DE
ECCLESIA CHRISTI AB HAERETICORVM CONCILIABVLIS DINOSCENDA,
PRÆCLARI LIBRI DVO ANTEHAC NVNQVAM ÆDITI.

Authore
IACOBO NOGVERA, S. THEOLOG. DOCT. DECANO VIENNEN. ET CÆS. MAI. A SACRIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



MATTHÆI 5.
Non poteſt abſcondi ciuitas ſuper montem poſita.

Cum Gratia & Priuilegio Caſ. Maieſtatis.

DILINGÆ,
Apud Sebaldum Mayer.
Anno Domini M. D. LX.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AMPLISS: PRINCIPI, AC DOMINO,

D. Michaeli, Archiepiſcopo Saltzburgenſi, S. Sedis Apoſtolicæ Legato, Principi & Dño ſuo clementiſsimo.

S. P.

INTER EAS, QVÆ HAC contentioſiſs. ætate inciderunt de fide diſceptationes, principem locum tenere illam exiſtimo, Reuerendiſs. in Chriſto pater & Princeps ampliſs. quæ non iam primum mota eſt, ſed antiquiſs. & ſanctiſs. Patribus etiam multum exhibuit negotij, videlicet de Eccleſia Chriſti. Arduum ſanè, magniq́; momenti hoc caput eſt, de quo vno ſi inter partes conſtaret, nullus ferè aut perquàm exiguus de alijs ambigendi atq; diſſentiendi locus ſupereſſet: Quãdiu verò, quæ ſit, & vbi ſit vera Dei Eccleſia, dubitatur atq; cõtrouertitur, fieri nõ poteſt, quin ſit inextricabilis quæſtionum de Religiõne Labyrinthus, & vtrinq; pugnæ irreconciliabiles, quemadmodum etiam iam nihil ferè aliud fieri videas, quàm quòd in tenebris, & velut Andabatarum more certatur. Eo igitur melius de re Chriſtiana merentur, qui ſtudia & lucubrationes ſuas in hunc finem inſtituunt, vt grauiſsimum hoc argumentũ, noſtręq́; Religionis ac omnis veritatis maxi mum firmamentũ, fideliter explicent et illuſtrent. Nec video planè, quid aut vtilius, aut neceſſarium magis, priuatim & publicè, maiori ſtudio inculcari, omniũq;

mentibus infigi debeat, ſi modò qui Chriſto nomẽ dedimus, puppim & proram, vt aiũt, noſtræ ſalutis cõſeruare & confirmare cupiamus. Conuenit autem inter partes hactenus, quantum ego intelligo, Eccleſiam eſſe vnam, ſanctam, Catholicã, Apoſtolicam, omniſq; ſanctitatis & veritatis conſeruatricem, domum Dei viui, Chriſti dñi ſponſam, ſanctorũ & electorũ matrem, nutricem, cuſtodem, magiſtrã, atq; oĩm myſteriorũ Dei diſpẽſatricem, cui, quiſquis veluti membrũ corpori, nõ adhęſerit, eũ cũ Chriſto capite nihil prorſus habere cõmune: & qui area hac ſalutis deſtituitur, illãq; non audit præceptricem, hũc certo certius ſaluũ eſſe nõ poſſe, ſed Ethnicis et publicanis annumerari oportere. Hactenus inquã verbotenus conuenit, ſenſu aũt & re ipſa plurimũ diſsidemus: pręſertim cũ cominus pugnandũ eſt, de notis & authoritate Eccleſiæ, & penes quos illa verſetur. Tum verò in immenſum à Catholicis diſſentiunt ij, qui ſegregant ſemetipſos, et pro Eccleſia Dei amant Synagogam Sathanæ, multoq; prius habent in Babilone & eius horribili confuſione, q̃ in Sion eiuſq; pulcherrima vnitate verſari. Verùm hęc proſequi nõ attinet, ne alienas partes occupem. Author ipſe rem oẽm ſatis expedit, q vtinã reliquos etiã libros duos, ſicuti conſtituerat, adiũxiſſet: ſed neſcio quo caſu impeditus, et nobis è Germania modò ſubtractus, non abſoluit libros quatuor, de quibus haud dubiè cõtulit aliquãdo cũ Reuerendiſſ. Celſ. tua, præſertim in Comitijs nuper Auguſtæ celebratis. Viſum eſt aũt multis & magna authoritate præditis viris operę preciũ fore, vt lucẽ acciperet quidquid ex hoc opere apud Typographũ latebat, ne quid alioquin cõmodo publico detraheretur. Nam ſi verũ fateri volu-

volumus, eſt profectò in his libris, digna præſtante ſcriptore atq; Theologo eloquentia: eſt varia reconditæ eruditionis ſuppellex: eſt non vulgaris rerum copia, & ex probatiſsimis quibuſq; Patribus ea vis et efficacia teſtimoniorũ, vt nullus niſi valde proteruus & in ſenſum datus reprobum, ſe his libris poſsit opponere. Sed enim ex vnguibus leonem æſtimet alij: me quidem præcone non eſt opus in hac tã probata merce, q̃ ſeipſam ſatis & abũdè cõmendat, ſiue quis argumẽti dignitatẽ, ſiue dictionis ſplendorẽ, ſiue in tractando dexteritatẽ, ſiue argumentorũ põdus ſeriò animaduertat. Et primo quidẽ libro aptè diſſeritur, de veteri & vſitatiſſ. omnib. temporib. hæreticorũ more, q Eccleſię nomen nunquã nõ ſibi vendicare & arrogare conãtur. Quod vt imperito etiã vulgo cõprobent, aſtutè fingũt, Eccleſiã talem eſſe hoĩm cœtũ, q penes paucos bonos, qui ipſis viſi fuerint, & in obſcuro verſetur. Sed hæc ipſorum baſis hoc libro funditus euertitur, illudq; conuincitur, Eccleſiam illuſtrem, conſpicuam, & velut ſuper montem poſitam Dei ciuitatem eſſe, nec ratione vlla Sectarijs, quòd ſint ipſius membra, poſſe concedi. Excutiuntur etiam cauſæ, ob quas fieri ſoleat, cur multi hodie (proh pudor) tan topere faueant Sectarijs, illorumq; accepta doctrina, velut hauſto dulci veneno, Eccleſiæ caſtris ſalutaribus eximantur. Eiuſmodi cauſæ ſunt carnis oblata libertas, aperta feneſtra licentiæ, notati abuſus miniſtrorum & antiſtitũ Eccleſiæ, blãdiloquẽtia fucuſq; ſermonis, quo ſe in aures mẽteſq; populares inſinuãt. Poſt hæc reddit rationẽ Author, cur ipſe poſt eruditos præclaroſq; ſcriptores, qui hoc ipſum argumentũ ſępe multũq; tractarunt, ſcribendi operã ſumpſerit. Sed bona pars libri in

eo præcipuè verſatur, quibus nam de cauſis fiat, quòd hæretici aut nolint, aut non poſsint veram Chriſti Eccleſiam agnoſcere. Huc pertinent ambitio, carnis ſtudium, & carnalis libertatis amor, immodicus vſus prophanorum authorum, mentis elatio, ſupercilium, & aliorum contemptus, quod deniq; negligantur illi gradus ſapientiæ, per quos ad ſcripturas intelligendas rectà peruenire debemus. Huc accedit concinna tractatio de ſanctis Patribus, & quàm abſint hæretici procul ab illorum imitandis veſtigijs, vt nihil ſit mirum, illud demum conſequi, quod Deus ſectarijs ſemper iratus teſtatur: Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Nā quomodo illi non errarent, qui ſancto illo Spiritu, qui patribus familiaris erat, deſtituti, neq; puro & à vitijs libero animo ſacra oracula adeunt, neq; precibus à Deo facultatem petunt intelligendi, neq; ſuam in diuinis myſterijs capiendis exiguitatem agnoſcunt, nec aliorum ferè commentaria recipiunt, adeoq; maiorum & veteris Eccleſiæ authoritatem, ſenſum atq; conſenſum, cùm ipſis lubet, pro nihilo ducunt: qui præterea ſibi & alijs ſcripturæ cognitionem omnem pollicentur, modò in humanioribus literis vtcunq; exercitati ſint. Atq; vt vno verbo expediam, primus liber oſtendit, cur omnes hæretici Eccleſiam ſe eſſe dicant, & quas ob cauſas nolint veram Chriſti Eccleſiam agnoſcere. Secundus autem refutat hæreticorum ætatis noſtrę ſententiam de ſignis monſtrantibus Chriſti Eccleſiam, & declarat eam non eſſe Eccleſiam Chriſti, quam illi fingunt, quin eam potius veræ Eccleſiæ, & Apoſtolorum doctrinæ prorſus aduerſari. Hæc ego de librorum horum ſumma perſtrinxi, vt

lector

lector eo melius iudicare poſsit, quid ſit hoc opere accepturus. Cũm autem huc ego fortè veniſſem, & mihi cum Typographo res foret, nolui equidem cùm illi roganti, tum ſtudioſis & pijs alijs, qui horum librorum æditionem vrgebant, deeſſe, ſed gratificari potius hac mea qualicunq; Præfatione, vt ne quid præter morem hîc deſideraretur. Nec dubitaui alienum opus & commendare, & nuncupare Reuerendiſſ. Celſ. tuæ: cuius patrocinium & authoritas ſi non malorum omnino depellet calumniam & inſectationes, à quibus nihil eſt nunc tutum ſatis, at certè quidem apud bonos & pios valebit, firmamq; tutelam adferet huic nouæ æditioni. Tum extabit hoc argumentũ obſeruantiæ meæ, quam & maximam & perpetuam animo grato circumfero erga laudatiſsimam Celſitudinem tuam, cui nihil eſt antiquius, quàm vt ampliſsimus hic Germaniæ Archiepiſcopatus, cui diuino nutu præfecta eſt, ritè adminiſtretur. Prætermitto nunc de induſtria, quàm ſyncerè munus hoc ab initio recuſaris, planeq; inuitus hunc locum conſcenderis, non quidem huc tua voluntate permotus, ſed aliorũ authoritate acriq; poſtulatione pertractus. Illud res ipſa vel me tacente clamat, Archiepiſcopo Saltzburgeñ. cæteros qui huius ferè ſunt ordinis, liberalitate, munificentia, & humanitate cedere, eundemq; præſtantibus animi dotibus excellere, ac velut in domo Dei lucernam ardentem & lucentem præſto eſſe. Quo magis Deũ Opt. Max. precamur, vt pro ſua æterna charitate cõſeruet ad publicã Eccleſiæ vtilitatẽ, quod amplitudini tuæ cumulatè donauit. Atq; vtinã tales vbiq; Antiſtites videremus, quibus velut peritis gubernatoribus hæc profectò quàm maximè eget

turbulen-

turbulenta ætas, & fœda tempeſtas, quæ nos medijs fluctibus ſubinde & horrendis procellis ita obijcit, vt nonnunquam ſalutis & incolumitatis ſpem omnem ſublatam putemus, iamq; portæ inferorum aduerſus illam dilectam columbam præualituræ illico videantur. Tot motibus vndiq; concutimur, tantis artibus, fraudibus, inſidijs appetimur, tam diu domi, foris, clam, palam oppugnamur, vt quid tutum & firmum nobis, quid ſaluum & diuturnum patriæ polliceamur, vix quidquam proſpiciamus. Et dormit interim in naui dominus Ieſus, vt quo magis diffidimus humanis præſidijs, eo ardentioribus votis ad ipſum exuſcitandum cõfugiamus. Excitatus aũt quàm facilè totam Iudæ cohortem proſternit? quàm potenter ſuos defendit atq; cuſtodit? niſi quòd ad tempus poteſtatem tenebrarum valere concedat, vt malorum improbitas, bonorum virtutem exerceat augeatq;. Hoc vnum ſupereſt, vt me, quamuis exiguum, ſed Eccleſiæ tamen Catholicæ ſtudioſum, etiam atq; etiam commendem Illuſtriſſ. Celſ. tuæ, quæ me ſuorum quæſo clientum albo abſcribere, ſuaq; gratia me proſequi clementer vſq; dignetur. Chriſtus Opt. Max. ad ſuam & Eccleſiæ vtilitatem ſeruet incolumem amplitudinem tuam. Dilingæ, die quo celebrat Catholica Eccleſia glorioſum martyrium principum Apoſtolorum. S.S. Petri & Pauli, Anno ſalutis humanæ ſupra ſeſquimilleſimum ſexageſimo.

T. Reuerendiſſ. Celſ.

Humill. ſeruus

M. Stephanus Agricola Auguſtanus.

DE ECCLESIA CHRISTI,

AB HÆRETICORVM CONCILIABVLIS DInoſcenda liber primus, auctore Iacob. Nog. Theologo, Decano Viennæ, Cæſareæ Maieſtatis à ſacris.

SCRIBIT D. AVGVSTINVS, *Conc. 2. in Pſalm. 30.*
Prophetas in ſacris literis de Eccleſia, *Prophetæ cur*
quàm de CHRISTO apertius verba *de Eccleſia,*
feciſſe: quòd iam animo præuiderent, *quàm de Chriſto apertius*
atq; in poſterum longè proſpicerent, *locuti ſint.*
futuros eſse homines, qui etſi magnas
de Chriſto mouerent controuerſias, maiores tamen de
Eccleſia lites excitarent, atq; eam complures in partes,
& cõciliabula ſcindere conarẽtur: ſanctumq; illud corpus,
cuius caput CHRISTVS eſt, palàm oppugnarent, *Epheſ. 4.*
magnoq; ſtudio, & contentione lacerarent: & ſanctam
eius concordiam, qua nihil amabilius eſse poteſt, diſsiparent:
&, uel vbi ea eſſet, vel quæ nam exiſteret, incer- *Eccleſiæ concordia nihil*
tum eſſe vellent, ne ei parere cogerentur, & Sathanæ *amabilius.*
voluntati obediẽtes, errores ſererent: ac capitis ſui ſomnia
longè, lateq; propagarent, atq; affirmarent, ſe ſolos
eſſe Eccleſiam: reliquos autem, qui ab ipſorum mendacijs
diſſentirent, è communi hominum ſocietate expellerent:
atq; ita demum conſtitutã CHRISTI doctrinam
perturbarent: & falſas, atq; peſtiferas opiniones pro cæleſtibus
oraculis amplectendas proponerent. Ac fuiſſe
quidem certè conſtat perditos quoſdam homines, qui
erroris ducem Donatum ſecuti, Eccleſiã duntaxat do- *Donatus.*
micilium habere dicerent in ijs, qui morum ſanctitate
præſtarẽt: qui cùm nulli vnquam mortalium eſſent cogniti,
quia DEVS ſolus ſciat, qui ſint ipſius, illud effici *2. Tim. 2.*
volebant, vt ne ſciri quidem, cognoſciq; poſſet, vbi Eccleſia
eſſet, quam audiendam eſſe tam diſerta oratione *Math. 18.*

præcepit CHRISTVS. Illud verò cõmune hæreticis,& mendaciorũ magiſtris omnibus ſẽper fuit, vt ſe Eccleſiam ſolos eſse aſſererẽt, ſibiq́; duntaxat, ſuoq́; cętui eam vendicarent: reliquos verò mortales, quos à ſuis erroribus alienos eſſe viderẽt, à CHRISTI corpore, quod Eccleſia eſt, arcendos eſſe affirmarent. Atq; id quidem iam tum ferè factum fuiſſe, cùm Apoſtoli inter mortales verſarentur, ex Irenæi, & Tertulliani ſcriptis facilè intelligitur. Et Lactantius Firmianus ijs non multò poſterior ſingulos quosq; hæreticorum cœtus, ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuã eſſe Catholicã Eccleſiã contendiſſe ſcribit. Quinetiam magnus ille Doctor, & glorioſus Epiſcopus, ac Dei martyr Cyprian⁹ idẽ feciſſe prodit Nouatianum hæreticũ, de quo ad hunc modũ loquitur: Nam Nouatianus ſimiarum more, quæ cum ,, homines non ſint, homines imitãtur, vult Eccleſiæ Ca-,, tholicæ authoritatẽ ſibi vendicare, quando ipſe in Ec-,, cleſia non ſit, imò adhuc contra Eccleſiam rebellis ex-,, titerit. Sciens enim vnum eſſe Baptiſma, hoc vnum ,, ſibi vendicat, vt apud ſe Eccleſiam dicat, & nos hæreticos faciat. Hilarius quoq; Arrianos idem factitaſſe ſcribit ſuo ſæculo. Similiter ſanctus ille presbyter Hieronymus, hæretici, inquit, licet foris ſint, tamen nominant ſe Chriſtianos. Et quos à Donato Donatiſtas Auguſtinus vocat, eos arrogãtius, quàm dici poteſt, eccleſiæ nomẽ, & poſſeſsionem ſibi attribuiſſe, ex cõpluribus ſcriptis, quæ ille contra errores eorum ædidit, perſpicimus. Diuus etiã Bernardus admirabili puritate vitæ, doctrinaq́; excellẽs, meritoq́; in Sanctorum numerũ relatus, ſuo tẽpore non aliud feciſſe prodit eos, qui Apoſtolici, quàm Chriſtiani, dici maluerũt. Superioribus aũt ſęculis ij,

Omnib. hæreticis cõmune, vt ſe Eccleſiã Chriſti vocẽt.

Coloſ. 1.

Lib. 5. contra Valentinum.

De præſcript. hæretic.

Lib. 4. cap. 30. diuinarum inſtit.

In Epiſt. ad Iubaianum.

Nouatianus.

Lib. ad Conſtantium Cæſ.

To. 1. Epiſt. 40.

Epi. 50. 166. Donatiſtæ.

Serm: 66. in Cantic.

lis ij, qui à quibusdã pauperes de Lugduno, ab alijs Vual- *VValdenſes.*
dẽſes vocãtur: & Iohãnes Vuicleffus Anglus, nouas & *VVicleffus.*
à pietate aberrãtes opiniones in Eccleſiã introduxerũt,
& Eccleſiã CHRISTI ſe ſolos eſſe prædicarunt, reliquos
verò mortales Chriſtianæ veritatis hoſtes declararunt.
Ante annos centũ Iohãnes Huſsius apud Bohemos, qui *Huſsius.*
hoĩs vnius Vuicleffi commenta totius Eccleſiæ iudicio
prætulit, eis, qui ipſius ſententiæ aſſentirentur, Eccleſiæ
nomẽ dedit: cæteros aũt hoĩes, qui CHRISTI doctrinã
amplecterentur, ab eo ordine ſegregãdos, atq; in nume-
ro impiorũ habendos eſſe ſtatuit. Quinetiam pari in er-
rore verſatos fuiſſe eos hæreticos, quorum alij Dulcini- *Dulciniſtæ.*
ſtæ, alij Leoniſtæ, & fratres flagellatores alij nuncupati *Leoniſtæ.* *Fratres fla-*
ſunt, ex doctorum hominum libris comperimus. Quid *gellatores.*
pluribus opus eſt? Nemo vnquam hæreticus præte-
ritis ætatibus fuit, qui ſuum cætum Eccleſiam eſſe non
dixerit. Ac quamuis quidem ita, id ſemper factum ſit
ab omnibus ſuperiorum temporum hæreticis, nunq̃; ta-
men maioribus opibus & copijs factum eſt, quàm nunc
fit ab ijs, qui noſtro tempore ab Eccleſiæ Catholicæ
caſtris ſe vltrò præciderunt, & bellum contra CHRI-
STI ſponſam, quæ eos ad vitam ſempiternam in eo re-
generauit, & in cœleſtium bonorum ſocietatem, &
communionem aſsciuit, ſuſceperunt. Natus eſt noſtro
infœlici ſæculo Martinus Lutherus, qui deſertis Ca- *Lutherus.*
tholicæ Eccleſiæ ſignis, nouos in CHRISTI hæ-
reditatem errores introduxit: vel eos potius, qui
compluribus ab hinc ætatibus damnati, ſepultiq; fue-
rant, exuſcitauit: & more, atq; imitatione eorum,
qui congregant, quæ non pepererunt: quod de per-
dice ſcribit Hieremias, quæ hæreticorum figura eſt, *Cap. 17.*

ſcholam aperuit mendaciorũ:& ſe,atq; eos,quos in ſuas
partes pertraxit, veram Chriſti Eccleſiam Catholicã,
atq; Apoſtolicam eſſe contendit. Secuti eum poſtea
Zuinglius. ſunt Zuinglius, & Carlſtadius, in quo, vt Melanthon
Carlſtadius. Lib. de Sententijs patrum de Euchariſt. ſcribit,nulla vnquam ſignificatio ſpiritus emicuit: qui
& ipſi cùm nouam erroris officinam inſtituere,& nomi
na ſua vocare in terris,celebriaq;,& clara efficere cupe-
rent,damnatum Berengarij ſomnium è tenebris exci-
tarunt,ſuumq; cætum Eccleſiæ nomine ornauerũt.Io-
Caluinus. hannes Caluinus,homo Gallus, cuius nomen tam cla-
rum inter hæreticos eſt,nullius vt vnq̃; clarius extiterit,
ſuæ duntaxat opinionis ſectatoribus, cùm à Luthero,
atq; ijs, quos modò nominaui, magnopere diſſide-
at, Eccleſiæ nomen, ſingulari ſupercilio, atq; arro-
Melanthon. gantia tribuit. Philippus Melanthon eorum, qui Lu-
thero nomen dederũt,anteſignanus:quamuis à reliquo
hęreticorũ ordine,pleriſq; in locis abhorreat,ſe tamen,
Brentius. ſuoſq;, Eccleſiam eſſe iactat. Iohannes Brentius
eius confeſsionis, quæ Vuirtembergenſis vocatur,au-
thor,cùm in eo articulo,& capite,quod Chriſtianę reli-
gionis vel maximum eſt,videlicet de iuſtificatione ho
minis Chriſtiani,nihil ei cum reliquis ſectarum princi-
pibus commune ſit,tamen non veretur, ſe, ac ſuorum
Snepfius. cõciliabula,Eccleſiam nuncupare. Erhardus Snepfius,
Illyricus. Gallus. Mathias Illyricus, Nicolaus Gallus,qui ſe verã Lutheri
doctrinã tueri iactant,& Philippum ab ea deſciuiſſe cõ-
tendũt,& pro hęretico habẽt, reliquoſq; errorũ magi-
ſtros damnant,& execrantur, ad ſe,& paucos, Eccleſiæ
Catholicæ nomen transferunt. Neq; minori ſuperbia,
Anabaptiſtæ. ac faſtu, qui Anabaptiſtæ vocantur, & cæteros om-
nes abominantur,quos ſecum non ſentire vident,vni,
aut

aut alteri ciuitati, atq; oppido, (neq; enim error hic latius patere dicitur) Eccleſiæ nomen vendicant, atq; aſcribunt. Quid Suenckfeldius, & qui ab eo cæleſtes Prophetæ vocantur? An non is Lutherum, Philippum, Caluinum, Brentium, ac reliquos omnes abominatur, & inter hæreticos numerat, ſeq; vnum cum ſuis, qui, vt audio, amplam iam ditionem occuparunt, Eccleſiam eſſe prædicat? Quid ij, qui Oſiandri, & qui Serueti, vel Arrij potius errorem ſequuntur? An non pari quoq; animi elatione & arrogantia, Eccleſiam CHRISTI ſe eſſe contendunt? Longum eſſet, aliorum perſequi nomina, qui ab ijs, quos dixi, omninò diſcrepant, & inauditos ferunt errores, apud quos profectò tot ſunt ſententiæ, quot capita: tot fides, quot voluntates: quod de ſui temporis hæreticis olim ſcriptum reliquit vir ſanctus Hilarius. Quæ, cùm ipſi vera eſſe ſciant, minimè tamen committendum ſibi eſſe putant, quin ad ſe, & ſuos Eccleſiæ nomen, & iura pertinere conſtanter aſſeuerent: ſeq;, & ſua conciliabula, ſinguli Eccleſiam nuncupent: atq; ita demum efficiant, vt Eccleſia vel incerta eſſe, vel agnoſci non poſſe videatur. Quis non ad hæc cachinnum ſuſtulerit? Eccleſiæ, inquiunt, noſtræ, ſcilicet purpura ſimiam: aſinum Leonis ornant exuuijs. Sed benè illud, & perpulchrè, quòd diſtinguunt, quòd ſuas appellant. Prius enim ex Dæmonio Angelum, quàm ex iſtis Eccleſiam DEI, quæ vnica eſt, confeceris. Nimirum ita res habet, Quicquid pulchrum eſt, ſequitur Momus. Neq; verò Sathanas ad euertendam religionem Chriſtianam, & introducendam impietatem, quæ latè omnibus terrarum oris dominabatur, ante-

Suenckfeldius.

Oſiander.

Seruetus.

Ad Conſtantium.

Philip. in confeſſ. Saxonic. Eccleſ. & ſæpè aliâs.

Atheiſmum Sathanas quomodo introducat.

quam CHRISTVS verum DEI cultum nobis patefeciſſet, magis idoneum conſilium excogitare potuit. Si enim vel quæ Eccleſia ſit, vel vbi ea quæri debeat, ignores: neq; audire eam poteris, neq; DEVM colere, qui per eam nobis innotuit, atq; in ea voluit coli. Eccleſia enim DEI, & doctrina, qua DEVS ritè colitur, ita cohærent, vt alterum ſine alterius præſidio conſtare nequeat: Vt qui Eccleſiam euertere velit, is omnem diuinitatis colendæ memoriam ex hominum animis funditus tollat. Contrà, qui doctrinam de Eccleſia auferat, is Eccleſiæ euerſionem omninò inferat: nec aliter affecta hæc ſunt inter ſe, quàm ſol & mundus. Tolle ſolem, nullus erit mundus: Tolle mundum, nuſquam ſol ſe videndũ præbebit. Euangelio (inquit Auguſtinus) nõ crederem, niſi Eccleſia me doceret. Docet Euangelium, quis cultus DEO gratus ſit, atq; acceptus: Quid DEVS ab hominibus exigat: quæ præmia piè, ſanctéq; viuentibus cõſtituat: quibus ſupplicijs eos, qui flagitioſè vitã duxerũt, afficiat: ſi quæ Eccleſia ſit, neſcias: nec doceri ab ea poteris, quod ſit euangelium: ſi, quod CHRISTI euangeliũ ſit, exploratum non habeas, ne ſcire quidem tibi licebit, quo genere pietatis colendus ſit DEVS. Quid ergo aliud ex eo conſequetur, quàm vt impius, & à DEI agnitione alienus ſis, & Diabolum pro DEO amplectaris? qui ſimul cum ſanctiſsimo DEI numine regnare in animo tuo non poteſt? Vides quod nam ſit Sathanę conſiliũ? quò illius aſtus tẽdat, dũ per hæc ſua mẽbra efficere conatur, vt quæ, & vbi Eccleſia ſit, ignores? Nimirum, vt omnem DEI præpotentis religionem, ac cultum ex animo tuo deleat, teq; ſuæ poteſtati, atq; imperio

Contra Epiſt. fundamen. Cap. 5.

Sathanæ cõſilium & aſtus.

imperio ſubijciat. Audi,quo conſilio ſinguli hæreticorum cœtus ſibi Eccleſiæ CHRISTI nomen attribuant:nolo ex me id vt intelligas:loquatur pro me Auguſtinus, qui de ea re ad hunc modum ſcribit, cùm in Donatiſtas, qui ſe ſolos Eccleſiam eſſe iactabant, inuehitur: Quid,inquit, ad defenſionem poſſeſsionis ,, tuæ titulos CHRISTI poſuiſti? Nonne hoc faciunt ,, nonnulli in domo ſua, ne domum ipſius inuadat ali- ,, quis potens: ponit ibi titulos potentis, titulos men- ,, daces? ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ,, ſuæ de titulo alieno muniri? vt cùm titulus fuerit ,, lectus, conterritus quis potentia nominis,abſtineat ,, ſe ab inuaſione? Itaq; Eccleſiæ CHRISTI no- ,, men ſibi attribuunt, qui apertè eam bello oppugnant: tantoq; in ipſam odio inflammantur, vt ſicut olim Eſau Rebeccam contemnens, exterorum filias adoptauit ſibi in vxores: ita ipſi, quò ſe Rebeccam noſtram, quæ Eccleſia eſt, pro nihilo habere doceant, exterorum filias, ideſt, errores, & opiniones à vera religione abhorrentes,eiq; planè repugnantes amplectantur,& pijs, ac ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ decretis, atq; ſanctionibus nuncium remittant. Hæ enim ſunt alienigenæ illæ, à quarum connubio ſuos prohibuit ſanctus ille, & religioſus dei ſacerdos Eſdras. Hæ, inquam, ſunt illæ alienigenæ, quæ Salomonem regum omnium ſapientiſsimum à vero dei cultu ad ſimulachra colenda abduxerunt. Ac quamuis quidem alienigenæ ſint, & à Dei populo, & regno extraneæ, CHRISTI tamen ſe vxores eſſe fingunt. Sed nihil nos id commentum moramur. Non enim poteſt ,,

Quo conſilio ſe hæretici Eccleſiam eſſe dicant.

In Pſal. 21

Gene. 28.

Heretici hæreſes Eccleſiæ contemptione ſequuntur.

1. Eſdr. 10.

3. Regum 11.

,, (inquit Auguſtinus) error fallere, niſi Chriſtiani no-
,, mine pallietur. Euangelij nomine, euangelium hæreti-
ci oppugnant, & legis appellatione, legem violant: atq;
Eccleſię prætextu, Eccleſiæ depopulationem, & vaſti-
tatem moliuntur. Atqui latere nequit Eccleſia, cùm ſit
Matth. 5 ea ciuitas, quæ ſupra montem à CHRISTO locata eſſe
dicitur. Quamobrem conſultiſsimum fuerit ſequi ſa-
Auguſtin. contra Donatiſtas lib. 4. cap. 14. luberrimum D. Cypriani conſilium, qui admonet, ne
quod iactatur nomine CHRISTI, id ſtatim tanquam à
" CHRISTO profectum recipiatur: ſed quod in eius ve-
" ritate geritur: ita tu quoq; ne ſtatim audiendos eſſe ſta-
tuas quoſcunq; hominum cætus, qui ſe Eccleſiam eſſe
aſſerant. Illud enim perſuaſum tibi ſit oportet, eam ſem
per hæreticorum fuiſſe cõſuetudinem. Neq; .n. idcirco
credendũ eſt eos eſſe Eccleſiã, quia eum ſuo ordini, &
ſocietati titulum adiudicant. Alioqui tot eſſent ibi Ec-
cleſiæ agnoſcẽdæ, quot hominũ ſomnia, & errores ſũt.
Matthei 7. Audi CHRISTVM, qui aduerſum eorũ fraudes nos in-
,, ſtituẽs, ait: Attẽdite à falſis Prophetis, qui veniũt ad vos
,, in veſtimentis ouium, intrinſecus aũt ſunt lupi rapaces.
Veſtis Ouis quæ? Quæ eſt veſtis ouis? niſi Eccleſiæ nomen? niſi vox ſcri-
pturæ, Euangelij, & CHRISTI? Sed ſi diligenter intro-
ſpicias, quid eis vocibus lateat apud hæreticos, reperies
eos eſſe lupos illos rapaces, & falſos Prophetas, quos vt
Cõtra Donatiſtas lib. 1. ca. 4. caueres ac fugeres, tã ſeriò iuſsit CHRISTVS. Pręclarè
,, de ſui tẽporis hæreticis Auguſtinus: Induunt (inquit) lu-
,, pos ſuos veſtibus ouiũ, & dicũt, ecce hîc eſt CHRISTVS,
,, ecce illic, & ab vniuerſitate ciuitatis ſuper montẽ cõſti-
,, tutæ, ad particulas inſidiarum ſuarum multos ſeparant,
,, & iugulatos abſumunt. Sed dices: Qui ad partes Lu-
" theri, & aliorum defecere, eos purum DEI verbum,
& CHRI-

&CHRISTI Euangelium docere: cur ergo eis obtem-
perandum non ſit? Audi, cur nolit D. Auguſtinus, imò *Lib. de cantl. nouo C. 5.*
CHRISTVS per eum loquens, vt ijſce hominibus au- „
res patefacias. Quia, inquit, aliud eorum lingua habet, „
aliud eorum conſcientia: non te ſeducat filius falſitatis, „
ſi vis eſſe filius veritatis. Diſce iam Chriſtiane, qui „
CHRISTVM deſideras & audire, & videre: ſi quis tibi *Hæreticis cur non credendũ.*
CHRISTVM prædicat, attende, & conſidera, qualem
prædicet, vbi prædicet. CHRISTVS enim veritas „
eſt, per ſcripturas ſanctas prædicatur, non in angulis, „
non occultè, ſed palàm, publicè: in ſole poſuit taberna- „
culum ſuum, in manifeſto collocauit Eccleſiam ſuam. „
Cùm CHRISTVS proſpiceret ſingulos quoſq; hæreti-
corum cætus ſibi Eccleſiæ nomen eſſe attributuros, ne
te omni doctrinæ vẽto exponeres, & quæ eius Eccleſia
eſſet ignorares, incertumúe tibi eſſet, vbi ea quæri debe-
ret, in tanta multitudine, & varietate eorum, quorum
partem quiſq; ſuam tuetur, & Eccleſiæ appellatione
exornat, certam, conſpicuam, & oculis omnium ex-
poſitam eſſe ſuam Eccleſiam demonſtrauit, cùm de „
ea loquens dixit: non poteſt abſcondi ciuitas ſuper „
montem poſita: Quia vtiq; fides gloriæ exaltata eſt „
ſanctificatio noſtra: vt non audiantur illi, qui ad reli- „
gionis ſciſſuras traducunt, dicentes: Ecce hîc eſt CHRI-
STVS, ecce illic. Partes enim oſtendunt, dicentes, Ec- *Matth. 5.*
ce hîc eſt, ecce illic. Ac mons quidem Eccleſia propter *Eccleſia mons cur uocetur.*
eminentiã, & firmitatem appellatur, quippe, quę ſit ciui *Auguſt. in Pſal. 7. cap. 2.*
tas ſuper eum mõtem locata, quem tam magnũ, tamq́;
latè patentẽ fore præuidit Daniel Propheta, vt vniuerſũ
terrarũ orbẽ impleret, atq; occuparet. Quis tã motę mẽ
tis fuerit, tã inops cõſilij, & ęternę ſuę ſalutis negligẽs, vt
cùm audiat CHRISTVM dicẽtem, Eccleſiã ſuã ciuitatem

illam

illam eſſe,quæ in alto,atq; edito mõte ſita ſit,ut cõſpici ab oĩbus poſsit,& ſe mortaliũ vnicuiq; videndã præbeat,eã abſcõdi poſſe credat,& Vuittẽbergæ,aut Vuirtẽbergæ,aut Geneuæ,alióue aliquo terræ angulo quærẽdã eſſe iudicet? cũ doctrina Apoſtolorũ ſingulas quaſq;, & vniuerſas terrarũ orbis oras peruagata ſit,& in omnẽ

Pſalm. 18. terrã exierit ſonus eorum,atq; in fines orbis terrę verba eorum,ſicuti cæleſtibus olim oraculis prænunciatũ eſt?

Eccleſia latere non poteſt. An non ei meritò liceat cum ſancto Auguſtino dicere:

In Pſalm. 18. Quid erras frater? quid per angulos fugis? quid latitare ,, conaris? Eccleſia cõſpicua eſt: ciuitas eſt,quæ ſupra mõ- ,, tẽ cõſtitutum domiciliũ habet, nec abſcõdi poteſt, quia ,, in ſole,hoc ẽ, loco manifeſto poſuit tabernaculũ ſuum. An tu latere poſſe credis ſignum illud magnum, quod

Apocalip. 12. Ioãnes ſcribit apparuiſſe in cœlo,nẽpè mulierẽ,quæ ſo-

Euſeb. Emiſ. con. de Dom 3 poſt Paſcha. le amicta eſt,& lunã pedibus habet ſubiectã? ea mulier, ne erres, Eccleſia eſt,quæ ſole amicta eſſe idcirco dicit, quòd ad vidẽdũ tã clara ſit, tãtoq; ſplẽdore fulgeat, vt lucis ſuę radios in oẽs terrę partes atq; oras diffũdat: vt nemo ſit, qui eã videre nequeat,niſi vltrò oculos claudat mẽtis,& clara atq; aperta in luce caligare uelit. Quid tu

Eccleſia apud Chriſtianos quid? Eccleſiã apud Chriſtianos eſſe putas? Id quidẽ certè eſt, quod olim apud Iudæos fuere Hieroſolyma. Quod ſi Hieroſolyma, quę in collib⁹ cõſtat poſita fuiſſe,ſicut ex

Lib. 6. cap. 6. ſacra hiſtoria,& deſcriptione Ioſephi intelligitur, latere potuerunt, & corporis oculos effugere: latere & abſcõdi poterit Eccleſia CHRISTI,quam hæc ciuitas ſigni-

Pſalm. 86. ficabat,quæ in montibus multò altioribus fundata & collocata eſt. Si fieri potuit,incertũ vt eſſet, vbi quæri, adiriq; Hieroſolyma poſsẽt, quo ſolo in loco fas erat tẽplũ ędificare,& ſacrificiũ facere: licebit quoq; cõcedere,poſſe fieri, vt neſcias vbi,& quæ ſit Eccleſia CHRI-

STI,

STI, extra quam nec ritè DEVS coli, neq; vllũ votũ reddi poteſt, quod ipſi gratũ accidat, extra cuius caſtra nemini ſalus cõtingere poteſt. Atq; vt res paulò altius repetatur, ſi Noe viuẽte occulta eſſe potuit, & ab omni corporis aſpectu remota arca DEI iuſſu ab eo fabricata, quæ CHRISTI Eccleſię ſpeciem, atq; imaginem geſsit: abdita quoq;, & abſcõdita eſſe poterit Eccleſia CHRISTI: & vinea illa, quæ extẽdit palmites ſuos vſq; ad mare, & propagines ſuas vſq; ad flumẽ, vt ſancti regis, & Prophetæ verbis vtar: Si fieri poteſt, vt ſub oculorũ ſenſum nõ cadat area illa, quæ paleas habet, & frumentũ: & ager ille, qui frumentũ producit, & zizania: atq; illud rete, quod malos pariter & bonos piſces capit, multoq; eius generis cõplura, quibus ſuam CHRISTVS Eccleſiã cõparat: & magna illa domus, cui eã ſimilẽ facit Paulus: dabimus & nos illud, Eccleſiã CHRISTI Catholicã in tenebris, & ignoratiõe hominũ iacere poſse, atq; in paucorũ, qui DEO tantum noti ſunt, pectoribus latere. Quid dicã de Auguſtiſsimo illo Salomonis templo? an latere illud, & abſcõdi vnquã potuit, etiã tũc, cùm à Nabuchodonoſore, & Antiocho immaniſsimis veræ religionis hoſtibus violatũ, dirutũ, omnibus ornamẽtis ſpoliatũ eſt? Illuc, inquit Propheta, aſcẽderunt tribus, tribus DOMINI, teſtimoniũ Iſrael ad cõfitendũ nomini DOMINI. Si ciuitas illa, quæ magni regis vocabatur: & illuſtre, ac magnificũ illud tẽplum, quod Salomon extruxit, ampliſsimiſq; opibus ornauit, videri non poſſent, nunquã ſanè tribus DOMINI, ad laudes eius celebrandas, ſanctiſsimumq; ipſius numẽ placãdum precibus, & ſacrificijs, eò cõuenire potuiſsẽt. Si ergo illa oculis expoſita fuere, quãtò magis corporis ſẽſibus patebit ciuitas regis illius, qui & magnus

Gene. 6.
1. Petri 3.
Pſalm. 79.
Matth. 13
2. Tim. 2.
Ibidem.
3. Regum 8.
Pſalm. 121.

gnus,& pacificus meritò nuncupatur: quòd ſit rex re-
1. Tim. 6. gum,& DOMINVS dominantium, & vtraq; vnũ effe-
Ephes. 2. cerit,ac mediũ maceriȩ parietem diſsoluerit. Hæc cùm
Eccleſia apud hæreticos, & ſchiſmaticos nõ quærenda. ita ſint,quid eſt cauſæ,quamobrem Eccleſiã quȩras in-
ter hæreticos,& ſchiſmaticos,atq; eos, qui contempta
Apoſtoli admonitione,neq; omnes idem ſentiunt,neq;
1. Cor. 1. loquuntur:ſed alius dicit,ego ſum Lutheri,alius ego ſũ
Philippi, alius ego ſum Caluini,alius Brentij,alius Oſi-
andri,alius Suenckfeldij,alius Snepfij,alius Illyrici,et ſi-
milium monſtrorum potius quàm hominum, quorum
hæc noſtra ætas permagnum attulit prouentum, qui ſe
Math. 12. ipſi prædicant non CHRISTVM, & quia cum illo non
colligũt, ſpargũt:quibus iure optimo, & meritiſsimo
poſsis dicere, quod olim ijs, qui ſe Apoſtolicos voca-
runt,quòd Chriſtianorum nomen abiectum, & parui-
faciendum eſse ducerent, Sanctus Bernhardus obie-
Serm. 66. in Cant. Cant. cit, cùm dixit : Itane lapidem de monte abſciſſum
„ ſine manibus,montem factũ & implentem mundũ ve-
„ ſtris creditis incluſum antris? Quos haud iniuria queas
„ ea oratione increpare,qua Paulus ſuos reprehendit Co-
1. Corint. 1. rinthios dicens, Nunquid diuiſus eſt CHRISTVS? nun-
„ quid DEVS eſt DEVS diſsenſionis,ac non potius DEVS
Pſalm. 67. pacis? DEVS qui, vt ſcribit Dauid, habitare facit vnius
moris in domo,id eſt,qui in domo ſua,quæ Eccleſia eſt,
1. Tim. 3. columnaq;,& firmamentum veritatis,non alios agno-
ſcit pro ſuis,quàm eos,qui eiuſdem religionis,& doctri-
næ communione copulantur, & eundem DEVM, ean-
dem fidem,eadem ſacramenta amplectuntur, & vnita-
Ephes. 4. tem ſeruant,quæ eſt vinculũ pacis? Eum ne, vos, DEVM
exiſtimatis, qui veſtris ſciſsionib9, & diſsenſionibus de-
lectetur? An non is apertè ſanctis in literis pronunciat,
gratum

gratum inprimis,atq; iucundum ſibi eſſe,vt qui ſanctiſ-
ſimum ipſius nomen diuinis honoribus afficiunt,vnum *Pſalm.131.*
incolant Eccleſiæ domicilium,idem omnes ſentiant,&
profiteantur,nullis ſe rationibus,artibus,aut dolis à ve-
ritate abduci ſinant:nec doctrinis externis aures accō- *Heb. 13.*
modent,vt aliquando tandem virilem gerant animum,
qui firmus,ſolidus, & conſtans in fidei profeſsione exi-
ſtat:nec fluctuent,ſicut paruuli,& circumferantur om- *Epheſ. 4.*
ni vento doctrinæ,ad circumuentionem erroris,& ſan-
ctum CHRISTI templum, quod partim ipſi, partim
Eccleſia eſt,violari,inquinariq; ſinant. Eccleſiam ne
quæres apud eos,quorum ſi quenq; roges, vbi ea ſit,id
tantùm audies, quod vt in falſis Prophetis,& errorum *Matth. 7.*
magiſtris vitares, tam ſeuerè admonuit CHRISTVS:
Qui nunquam totum,& integrum CHRISTI corpus, *Heretici pro*
ſed ſuam quiſq; partem,& conciliabulum demonſtrant, *Eccleſia nunquam totum,*
& dicunt: Ecce hîc eſt CHRISTVS, ecce illic. Ex quo- *ſed partes ſemper oſten-*
rum numero nemo profectò eſt,cui non ſit hoc in vo- *dunt.*
tis,vt te à CHRISTI religione ad errores & mendacia *Matth. 24. Mar. 13.*
traducat,atq; ex altiſsimo Eccleſiæ Catholicæ monte,
quod olim Sathanas in capite noſtro,qui CHRISTVS *Matth. 4.*
eſt,fruſtra experiri voluit,deturbet,atq; è domicilio ſa-
lutis æternæ eijciat:ſicut eorum pater maiores noſtros *Gene. 3.*
è paradiſo,qui omnibus affluebat delitijs,expulit,& ad
ingentes ærumnas,miſerias, & calamitates præcipita-
uit. Quod enim illis paradiſus quondam fuit,id nobis *Eccleſia para-*
Eccleſia nunc eſt. Tu verò caue,ne vllam eorùm verbis *diſus.*
fidem vnquam adhibendam putes.Nam cùm ſuam ſin-
guli partem pro Eccleſia tibi oſtendant,palàm menti-
untur,& aduerſantur ei,qui dixit,Eccleſiam ſuam non
in aliqua orbis parte,ſed toto orbe terrarum diffunden- *Act. 1.*

dam,& propagandam eſſe. Tota hæreticorũ doctrina,
Chriſtiano qd potiſsimum attendendum. quos tandem fructus profert? Id enim animaduerſione
dignũ inprimis eſt ijs, qui (ſicut ſeruator docuit ex fru-
ctibus cognoſcere veritatis hoſtes) & intra Eccleſiæ ca-
Hæreticorum doctrina qualis. ſtra manere, & CHRISTI tutela eſſe velint. Quid, ro-
go, aliud docet tota hæreticorum doctrina, quàm ri-
xas, contentiones, diſſenſiones, ſectas, & contradictio-
Pſalm. 30. nes linguarum, vt ſancti vatis verba vſurpem, quas, qui
nõ declinauerit quanto maximo poſsit ſtudio, fieri ne-
Epheſ. 4. quit, vt caput CHRISTVM teneat, ex quo totum cor-
pus compactum, & connexũ per omnem iuncturã ſub-
miniſtrationis corporis ſecundum operationẽ, in men-
ſuram vniuſcuiuſq; membri augmentum corporis facit
in ædificationem ſui in charitate? Quid, inquã, aliud fa-
Hæreticorum ſcopus quis. ciunt hæretici, quàm vt inconſutilem illam CHRISTI
tunicam diuidant, quam ne impij quidem milites diui-
dere voluerunt: & corpus CHRISTI caſtiſsimum in
partes diſſecent, diſsipent, dilacerent, quod illi integri in
cruce relinqui debere iudicarũt? Quid deniq; aliud hæ-
reſeôn authores moliuntur, quàm vt efficiãt, ne CHRI-
STI Eccleſia, quæ terra viuentiũ eſt, vnius labij ſit, et ne
idẽ, atq; vnũ omnes, & ſentiant & loquant. Ac ſingula-
ri quidẽ beneficio DEI. & amore erga ſuos effectũ eſt, ut,
qui hac ætate ab Eccleſia ſe vltro præciderũt, & eã diui
dere voluerunt, ij varijs ſe iam diſsidijs, & opinionibus
1. Cor. 1. lacerent, & conficiant, planeq; appareat, exauditas eſſe
à CHRISTO voces illius columbæ, quæ quotidie
Tertul. de preſcript. ita interpellat: Præcipita DOMINE, diuide linguas
Pſalm. 54. eorum. Diuiſit ſanè eorum linguas, & permiſit, vt
Gene. 11. turris iſta Babelis, cuius ij Architecti, & Magiſtri
ſunt, tam altè progrederetur, vt appareret, notũq; om-
nibus

nibus eſſet,eorum terram non eſſe vniús labij, non vnã
eos tueri doctrinam, ſed tot apud eos ſententias eſſe,
quot ſint capita:tot fides, quot voluntates:tot doctri-
nas,quot mores:& tot cauſas blaſphemiarũ, quot vitia.
Perſpicuum eſt permiſſu & voluntate DEI accidiſſe, vt *Hilar. ad Cōſtantium.*
linguæ eorum ita diuiſæ ſint,nemo vt inter eos ſit, qui
alterius dogma omni ex parte approbet, ac non ſuo
potius ſenſu moduletur. Quod de iſtorum parentibus *De præſcript. hæretic.*
ſcripſit olim Tertullianus, autor grauis & peruetuſtus:
Oſtenſa tandem eſt via, qua reſtitui pax diu optata in
Eccleſia poſsit. Hæreticorum bellum, vt ait ſanctus Hi- *Lib. 7. De Trinit.*
larius, Eccleſiæ pax eſt. Diuiſum eſt cor eorum, inquit *Oſeæ 10.*
Oſeas, nunc interibunt. Ac interijſſe quidem iampri- ,,
dem potuiſſent, niſi quorundam principum ambitio, &
auaritia id impedirent. Nullo vnq; tempore maiorẽ ha *In Pſal. 30. Conc. 3.*
buit locũ aurea illa Auguſtini vox, quæ ad hunc modũ
habet: Cõtradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes, di- ,,
uerſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contrà dicunt ,,
veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum DEI, Ec- ,,
cleſiam Catholicam tene, & à regula veritatis noli diſ- ,,
cedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione ,,
linguarum. Vides, quid pio cuiq; faciundũ eſſe cenſeat *Hæreſeon tẽpore quid faciendum.*
vir ille, admirabili ſanctitate & doctrina excellẽs, eo tẽ-
pore, quo hæretici prauis opinionibus CHRISTI Ec- *Auguſt. in Epiſt. Io. tractatu 5.*
cleſiam, vt vitioſi humores corpus hominis, affligunt
& vexant. Atqui, ſi rem diligenter expendas, nulla vn-
quam ætas fuit, quæ maiorem turbam hæreticorum
pepererit, quàm exulcerata hæc noſtra habet. Nullo vn *Nullo tempore plures hæreſes fuere, quàm noſtro.*
quam tempore plures hæreſes, plura ſchiſmata, plures
linguæ religioni verę repugnarũt, quàm noſtro ſæculo
repugnant. Vt plures quàm triginta ſectas & hære-

ſes longo à ſe interuallo diſiunctas, ac plane diſſidentes hoc tempore, vel natas, vel renatas eſſe, grauiſſimorum, iuxtà ac doctiſsimorum hominum ſcripta confirment. Ac quamuis quidem hæc ita ſe habere, pleriſq; exploratum, & compertum ſit: videas tamen infinitam hominum multitudinem, qui relicto veritatis itinere, & deſerto Eccleſiæ Catholicæ domicilio, & tabernaculo, in quo tuti, incolumeſq; eſſe poſſent à contradictione linguarum, ſe eis in diſciplinam

Oſeæ 2. ,, dedant, & dicant: Ibo poſt amatores meos, qui mi-
,, hi dant panes meos, & aquam meam, veſtes meas, & lin-
,, teamina mea, & oleum meum & vniuerſa quæ volo.
,, Sic enim ait Auguſtinus: Hæreſes fiunt, & ſchiſmata, cũ
,, plebs carnalis, quæ in charitate DEI fundata non eſt, di-
Lib.3. contra Donati.ca. 19 cit: Ibo poſt amatores meos, quibuſcum ſiue per fidei
,, corruptionem, ſiue per elationem ſuperbiæ turpiter for-
,, nicatur. Atq; etiã idem beatus pater Auguſtinus, cùm
,, explicat, quid ſibi velit ſacrificiũ illud, quod DEVS fie-
,, ri ab Abrahamo voluit, ea de re ad hũc modum ſcribit:
Serm. 54. de temp. Aues, inquit ſcriptura, non diuiſit. Quare hoc fratres?
,, Quia in Eccleſia Catholica carnales diuiduntur, ſpiri-
,, tales omnino non diuiduntur, &, ſicut ſcriptura dicit,
Carnales à Catholica Eccleſia ad hæreſes deficiunt. contra ſe inuicem præparantur. Quare carnales, & diuiſi, & contra ſe poſiti ſunt? Quia omnes luxurioſi,
,, & amatores mundi, contra ſe inuicẽ diuiſiones, & ſcan-
,, dala habere non deſinunt. Iſti ergo diuiduntur, quia ſibi
,, inuicem aduerſantur: Aues autem, & ſpiritales nõ diui-
Spiritales cur maneant in Eccleſia. duntur. Quare ſpiritales non diuiduntur? Quia eſt illis cor vnum, & anima vna in DEVM. Eſt illis vnum
,, velle, ac nolle. Illis enim, quas ſupra diximus, auibus
,, ſimiles ſunt, turturi ſcilicet, & columbæ: In turture

caſtitas,

caſtitas,& in columba ſimplicitas deſignantur. Omnes ,,
enim in Eccleſia Catholica DEVM timẽtes,& caſti,ſim ,,
pliceſq; eſſe ſignant,& cũ Pſalmiſta dicere poſsũt: Quis Pſalm.54.
mihi pennas dabit ſicut columbæ,& volabo & requieſ- ,,
cam? Et iterum: Turtur inuenit ſibi nidum, vbi ponat Pſalm.83.
pullos ſuos. Et quando carnales,qui diuidi poſſunt gra- ,,
uibus vitiorum compedibus premũtur in mundo,ſpiri- ,,
tales diuerſarum virtutum pennis eleuantur in altum. ,,
Et duabus velut alis,duobus ſcilicet præceptis,diligẽdo ,,
DEVM & proximum,eriguntur in cœlũ,& cum Apo- Philip. 3.
ſtolo dicere poſſunt: Noſtra autem conuerſatio in cœ- *Sacerdoti dicenti: Surſũ corda: Habemus ad Dominũ, hæretici nõ poſſunt reſpondere.*
lis eſt. Et quoties Sacerdos dixerit: Surſum corda,
ſecuri & fideliter dicunt, ſe habere ad DEVM, quod
valde pauci & rari in Eccleſia, fiducialiter, & cum
veritate dicere poſſunt. Ideo ergo aues Abraham non
diuiſit, quia ſpiritales, quibus,ſicut dixi, eſt cor vnum, Act. 4.
& anima vna, diuidi, & à DEI, vel à proximi amo- ,,
re ſeparari non poſſunt. Sed cum Apoſtolo cla- ,,
mant: Quis nos ſeparabit à charitate CHRISTI? tri- Rom. 8.
bulatio? an anguſtia? an perſecutio? Et quæ ſequun- ,,
tur. Spiritales ergo nec tormentis ſeparantur à CHRI- ,,
STO: carnales verò interdum ocioſis fabulis ſepa- ,,
rantur. Illos non ſeparat nec gladius: iſtos verò ſe- ,,
parat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt: ,,
carnales etiam blanda corrumpunt. Atq; hæc quidem
ex Diuo Auguſtino ideò ad verbum exprimere vo-
lui,vt ex eis perſpicuum fiat,qui nam ij ſint, qui ſe ho-
die ab Eccleſia Catholica ſeparant, & quas ob cau-
ſas ab eius communione, & obedientia deſciſcunt,qui
contrà in ea maneant, eiuſq; obſequantur voluntati,
ſanctiſsimiſq; ipſius legibus obtemperent, & quibus

adducantur rationibus, ei vt ſe obedientes perpetuò præbeant. Quæ ſi quis attentius expendat, is facile profectò intelliget, nihil ad inſtitutam diſputationem accommodatius dici potuiſſe. Qui enim (rogo) ſunt, qui noſtra ætate Catholicæ Eccleſiæ veritatem deſe-runt? Nonne ij, qui carnis voluptatibus ſeruiunt, ventriſq; curam duntaxat gerunt, & tanquam viliſsima ei mancipia ſe planè totos addicunt, & moribus, ac vita eos referunt, qui in libro Sapientiæ ita loquuntur: Venite, & fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter, vino precioſo, & vnguentis nos impleamus. Et non prætereat flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Qui, inquam, alij bellum contra CHRISTI Eccleſiam nunc ſuſcipiunt, quàm ij, quos ita loquentes introducit Auguſtinus: Peccemus, & iam ſecurè faciamus quod volumus. Quia CHRISTVS purgat nos ab omni iniquitate. Sed ſi hæreſis, vt Apoſtolus ſcribit, inter opera carnis connumeratur, quis dubitet, quin ij, à quibus illæ oriuntur, carnales ſint, & animales, qui ſegregant ſemetipſos? Atq; huius quidem tam præclari, ſanctiq; Euangelij author, & princeps fuit magna ex parte Martinus Lutherus, qui, ſi vitæ genus paulò ſtrictius, & aſperi⁹, quàm Eccleſia ſequebatur, introducere voluiſſet: & diutius, quàm dierum quadraginta ſpacio ieiunādum eſſe, votaq; DEO religioſius perſolui debere: & carnē, atq; eius illecebras reprimi, rationiq; obedientē effici oportere ſtatuiſſet, quàm paucos reperiſſet, qui in eius verba iurare vellent, ex ijs qui nunc eum Heliam, aut Danielem alterum eſſe credunt? Sed verum

Qui Eccleſiā nūc perſequūtur quales.

Cap. 2.

In Epiſtol. Iohannis.

Galat. 5.

Iudas in Epiſ.

Lutherus ſi ad uitam paulò ſtrictiorē homines uocaſſet, paucos habuiſſet diſcipulos.

BIBLIOTECA ...

rum videlicet illud eſt, quod Diuus Hieronymus ſcri- *In Epiſt. ad Euſtoch.*
bit, eos ad hæreſes, & prophanas nouitates procliues *Ad hæreſes q propenſi ſint.*
eſſe, qui ſibi ad explendas voluptates aditum aperiri
cupiunt. Quàm multos (proh dolor) videas ætate
noſtra, qui volentes & ſcientes, ſanæ & Catholicæ
religioni nuncium remittunt: ſeq; in eam peſtem præcipites
dedunt, vt quiduis potius, quàm quod Catholica
Eccleſia approbat, recipiant, ſuſpiciant, admirentur,
ac cuiuſlibet hominis ſomnia pro cœleſti
doctrina amplectantur, quæ à maioribus noſtris, viris
ſanctitate & doctrina ſingulari præſtantibus, ſummo
conſilio, incredibili ſapientia, & maximo pietatis
ſtudio ſtatuta, & complurium ſæculorum atq; ætatum
vſu, & authoritate roborata, ac confirmata ſunt,
ea omnia ab inſtinctu, & voluntate dæmonum profecta
eſſe clamant. Quidquid vetus, antiquum, &
à memoria noſtra remotum eſt, id omne execrantur,
ac ne auditione quidem dignum putant, contrà atq;
habet cæleſte oraculum, quod ait: Interroga patrem *Deut. 32.*
tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & annunciabunt tibi.
Et quod alibi monet ſcriptura: Ne te prætereat ,,
narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, ,,
quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore ,,
neceſsitatis dare reſponſum. Quæ noua nondum audita,
& nunc primum nata ſunt, ſine vlla conſideratione,
iudicio, & examinatione admittunt, amplectuntur, exoſculãtur,
& diuina oracula eſſe prædicant. Vt plane liceat *Eccle. 8.*
de eis dicere, quod de Athenienſibus olim dixit
Lucas: Ad nihil videlicet aliud eos vacare, quàm vt *Actorum 17.*
aliquid noui dicant, aut audiant. Nec minus ſanè ad
rem accommodatè ea oratione eos ſimul, & ipſorum

In Timæo. Magiſtros alloqui poſſis, qua vſum fuiſſe ſcribit Plato Ægyptium quendam Sacerdotem, dum loqueretur cum Solone Lacedæmonio, quæ ad hunc modum ha-,, bet: O Solon, Solon, vos Græci ſemper eſtis pueri, *Heretici ſemper pueri.* nullam penitus in animis per veterem auditionem anti-,, quam habentes opinionem: Ex Græcis enim nullus eſt ſenex. Ac ita quidem certè res habet. Nullam enim aduerſarij noſtri opinionem, & ſententiam ſequuntur, aut proferunt, cuius authorē vel Apoſtolum, vel Apoſtolicum aliquem virum fuiſſe demonſtrare poſſent. *Serm. 66. in Cantic. Can.* Diuus Bernardus loquens de quibuſdam ſui temporis hæreticis, quorum hi ſopitos, & extinctos cineres in lu-,, cem reuocant: Quære, inquit, ab illis ſuæ ſectæ autho- *Hereſes non DEVM, neq; Apoſtolos, ſed homines habēt authores.* rem, neminem dabunt. Quæ hęreſis non ex hominibus habuit propriū hæreſiarcham? Manichæi, Manem habuere principem, & pręceptorem: Sabelliani, Sabelliū: Arriani, Arrium: Eunomiani, Eunomiū: Neſtoriani,,, Neſtorium: Ita omnes cæterę huiuſmodi peſtes, ſingu-,, læ ſingulos magiſtros hoīes habuiſſe noſcuntur, à qui-,, bus originem ſimul duxere, & nomen. Hæc vir ille ſanctus. Quamuis aūt noſtri temporis hæretici errores à ſuperiorum temporum, hæreticis excogitatos inuehāt in CHRISTI Eccleſiam, tamen quia neq; ab Apoſtolis, neq; ab ijs, qui Apoſtolorum loca tenuere priſcis temporibus, ortos fuiſſe probare poſſunt, nouos eos eſſe, & *Tertull. de preſcript. heretic.* ideo damnari debere cenſendum eſt. Quidquid enim Apoſtolicum non eſt, poſterius eſt, & proinde nouum, atq; adulterinū iudicari debet. Sed de ijs ſuo loco vberius dicam, & commodius: nunc eò vnde digreſſa eſt oratio redeat. Iam verò quàm miſerè deploranda eſt ſors eorum, qui ſe noſtro ſæculo peſtiferis ijſce

Magiſtris, & falſitatis tutoribus, in diſciplinam dedunt. Quàm profunda ſalutis ſuæ obliuione capiuntur. Quid ijs hominibus magis cęcũ, & miſerabilius excogitari, & fingi poteſt? Ita ne eos mentis oculis captos eſſe, vt non videant, & cum animo ſuo expendant, Eccleſiã CHRISTI vnam eſſe, & à ſanctis literis hortum concluſum appellari, quòd (vt D. olim Cyprianus memoriæ prodidit) alienis, & prophanis patere non poſsit? O cæcitatem, lachrymis largũ magni illius Hieremiæ imbrem manantibus, deplorandam. Vtinam tandem aliquando miſeri iſti, & modis omnibus perditi homines, mentis oculos aperirent, & viderent, ac luce (qua mortales omnes fruimur) clarius intelligerent, Eccleſiam, ſi in Lutheri ſocietate domicilium habeat, apud Caluinum, & ipſius ſectatores eſſe non poſse: &, ſi inter Anabaptiſtas locus ei ſit, nec apud Lutherum, nec apud Caluinum quæri debere: deq; reliquis errorũ Magiſtris, eorumq; diſcipulis idem ſtatuendum eſſe: quando illud compertum iam ſatis, & comprobatũ experimento eſt, nulla eos doctrinæ concordia, nullo Sacramentorum vſu, nulla charitatis & animorum communione coniungi: ſed tam grauibus inter ſe diſsidijs diſiungi, quàm ea ſunt, quibus diſsident à nobis, qui DEI beneficio Catholici & vocamur, & ſumus. Sed quia ea de re ſuo loco dicemus copioſius, eò ſermonem conuertamus, quò nos ratio ſuſcepti operis vocat. Hæc, & longe plura, quæ oratione perſequi poſſem, mente cum agito, eos, qui hæreticorum dictis noſtro ſæculo fidem tribuunt, duabus moueri cauſis intelligo. Prior illa eſt, quòd vident ſuis eos vitijs applaudere, qui mos hæreticis proprius ſemper fuit. Siquidem ij ſunt, quorum

Lib. 1. Epiſt. 6

Quanta ſit cæcitas eorum, qui hæreticos iſtius temporis ſequuntur.

Quas ob cauſas noſtri homines hæreſes ſectentur.

quorum blandis verbis ſimplicium,& ignorantium ho-
Rom. 16. minum corde decipi ſcribit Apoſtolus. Atq; ex eo ſanè
fit,vt tam multos reperias, qui ſe eis in diſciplinam tra-
dant. Nimirum ex eorum numero ſunt,quorũ ingeni-
um d. ſcribens Paulus,ait,fore quoſdam, qui ſanam do-
2. Tim. 4. ctrinam non ferentes, auditum à veritate auertant,&
conuertantur ad fabulas, & auribus prurientes co-
aceruent ſibi magiſtros,& eis dicant, loquimini nobis
placentia, nolite videre, nolite aſpicere nobis ea, quæ
Eſaie 30. ,, recta ſunt: videte nobis errores, auferte à nobis vi-
,, am, declinate à nobis ſemitam, ceſſet à facie noſtra
,, ſanctus Iſrael. Quæ verba enarrans germanus Eſaiæ
Lib. 9. Cõm. in Eſaiam. interpres Hieronymus: nolite, inquit, nobis videre, quæ
,, recta ſunt,nec gehennę flammas cõminamini: Sed pro-
,, mittite nobis regna cœlorum, vt poſt luxuriam,& deli-
,, tias; pandatur nobis paradyſus. Ac quidem certè ita
veriſsimum id eſt. Quales enim ij voluptatum &
ventris amantes homines poterant Magiſtros, &
Prophetas optare, & eorum ſcelera, ac vita impu-
ra promerebatur, tales eis DEI permiſſu conti-
gere. Quod ne falſum et à nobis confictum eſſe
Lib. de Concilijs & Eccleſia. putes, audi, quibus verbis eos depingat Lutherus: Di-
cunt (inquit) Audi, ſi es adulter, es ſcortator, es aua-
,, rus, aut pollutus alijs peccatis, ſi tantùm credis, ſal-
,, uus es: non eſt quod perhorreſcas minas legis. CHRI-
,, STVS iam omnia impleuit. Talium doctorum incre-
dibilem peperit multitudinem Lutheri ſchola orbi
Chriſtiano. Etſi enim ipſe in eos inuehatur, qui tamen
diligenter eius errores expenderit, eos ab illius offi-
cina prodijſſe intelliget. Ab eo enim authore, qui do-
cet,

cet, Chriſtiano, præter incredulitatem, nullum deli-
ctum obeſſe poſſe, qui alij, quàm tales diſcipuli procre-
ari poterant. Sed hæc planius perſpici poterunt ex eo *De Captiuit. Babylonica.*
huius operis libro, quo de vita, & moribus doctorum
quinti Euangelij diſputabo. Altera porrò cauſa, qua
adducuntur permulti, vt à nobis ad eos deficiant, ea eſt,
quòd cùm conſiderant, quæ ſit vita, & mores eorum,
qui res Eccleſię publicas adminiſtrãt: & quoſdam ex eis
vident minus honeſtè viuere, quàm eorum dignitas, &
profeſsio poſtulat: deſertos à DEO eſſe putant, &
Eccleſiam non poſſe locum apud eos habere credunt:
quaſi diuinæ functionis dignitas, niſi in eo, qui ſan-
ctitate morum excellat, conſtare nequeat. Sed ho- *Quàm turpiter errent, qui ob malos Eccleſiaſticorũ mores ſe ab Eccleſia ſeparant.*
rum quàm ſit ſtulta cogitatio, quàm miſera, & de-
ploranda mens, vt nunc omittam infinita, quæ ad
eam rem ſpectant, ex vno Auguſtini loco intelligi
poteſt, qui ad inanem eiuſmodi orationem reſpon-
dens, ait: An fortè attendunt, multos etiam in ipſis *Homil. 50. cap. 13. To. 10*
honoribus Eccleſiaſticis præpoſitorum, & miniſtro- »
rum non congruenter viuere ſermonibus & ſacramen- »
tis, quæ per eos populis miniſtrantur? O miſeros homi- »
nes, qui hos intuendo, CHRISTVM obliuiſcuntur, qui » *Matth. 23.*
tanto antè prædixit, vt legi DEI potius obtemperetur, »
quàm imitandi videantur illi, qui ea, quæ dicunt, non fa- »
ciunt: & traditorem ſuum tolerans vſq; in finem, eti- »
am ad Euangelizandum cum cæteris miſit. Tam ſunt »
autem iſti abſurdi, & præpoſteri, & miſeri, qui præpo- »
ſitorum ſuorum malos mores imitari eligunt, quàm »
per eos prædicta Domini præcepta ſeruare, quàm ſi » *Simile pulcherrimum.*
quiſquã viator remeandũ ſibi eſſe exiſtimet in itinere, »
cùm viderit miliaria lapidea literis plena viã docere, & »

non

,, non ambulare. Cur enim non potius, (ſi peruenire deſi-
,, derat) tales comites intueatur, & conſequatur, qui & vi-
,, am bene demonſtrant, & in ea perſeuerãt, atq; alacriter
,, ambulant? Quòd ſi iſti deſint, vel potius minus appare-
,, ant, nam deeſſe non poſſunt. Non enim ſic quęrunt ho-
Aduerſarij quid quærant in noſtris doctoribus. mines charitate ſtudioſa quid prædicent ad imitatio-
nem, quomodò quęrunt iniquitate ſuſpitioſa quod mur
murent ad deceptionẽ, partim non inueniendo bonos,
,, dum ipſi mali ſint, partim timendo inuenire, dum ipſi
,, mali ſemper eſſe volunt. Sed tamen concedamus non
,, apparere nunc homines dignos imitatione.. Quiſquis
,, hoc putas, DEVM mente intuere, qui homo factus eſt,
,, vt te hominẽ viuere doceret. Si habitet CHRISTVS
,, per fidem in interiore homine, in corde tuo, recorda-
1. Iohan. 2. ,, riſq; illud, quod Ioannes ait, qui ſe dicit in CHRISTO
,, manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipſe
,, ambulare: & ita tibi non deerit, quem ſequaris, & cùm
,, te alius viderit, de bonorum inopia conqueri deſinet. Si
,, enim non noſti, quid ſit rectè viuere, diuina præcepta
,, cognoſce. Fortaſsis enim multi rectè viuunt: Sed pro-
,, pterea tibi nullus videtur, quoniam quid ſit rectè viue-
,, re, ignoras. Si autem noſti, age quod noſti: vt & tu,
,, quod quæris, habeas: & alijs, quod imitentur, oſtendas.
,, CHRISTVM animo attende, attende Apoſtolos, quo-
Philip. 3. ,, rum nouiſsimus eſt ille, qui dicit: Imitatores mei eſtote,
,, ſicut & ego CHRISTI. Attende animo tot martyrum
,, millia. Hactenus alterum illud vas à Deo electum: alter
,, (inquã) Paulus, qualem futurum eſſe prædixit D. Am-
In Epiſt. de Auguſtini cõuerſione. broſius. Sed ô verba aureis literis exprimenda, & ſæcu-
lorum omnium, atq; ætatum memoriæ commendan-
dà. Qui itaq; eam cauſam iuſtam eſſe putant, quamob-

rem

rem eorum, qui noſtris temporibus Eccleſiam adminiſtrant, authoritatem repudient, & hæreticorum verbis credant, animo, ab ijs permotionibus, quæ de gradu cõſtantiæ demittere eum ſolent, perpurgato, audiãt & intelligant, quàm ſalubre, atq; in omnes partes vtile hoc ſancti illius viri conſiliũ ſit. Primùm illud conſtat èx ea Diui Auguſtini oratione, qui ideò ab Eccleſia Catholica diſcedunt, quód eius principes & rectores aliter, quàm docent, vitam degant, eos CHRISTI, cui ſe in lauacro regenerationis conſecrarunt, obliuiſci: & dum vicarios ipſius contemnunt, ab eo deſciſcere, atq; eius præceptiónes pro nihilo ducere. Quàm ſit autem vera hæc Auguſtini ſententia, duo ſanctarum literarum exempla facile demonſtrant. Alterum eſt illud, quod de filijs Samuelis liber Regum prodit: Eos improbos & ſceleratos fuiſſe, ex eodem libro perſpicitur. Atqui cùm gens Hebræa, quòd eorum ſcelera ferre nollet, regem ſibi creare cuperet, DEVS ea creatione nõ Samuelem, neq; eius filios, ſed ſe contemni dixerit. Non enim, inquit, abiecerunt te, ſed me, ne regnem ſuper eós. Populus autem ille nunquam Samuelis, ſed filiorum ipſius imperium reiecit, quos dum parui faceret, contemni ſe, & pro nihilo putari reſpondit DEVS, quòd eorum adminiſtrationi parere nollent, quos ipſius Sacerdos, aut qui certe Sacerdotis locum teneret, ad rempublicam gerendam vocaſſet. Quo in loco audiendus eſt ſanctus ille Pontifex Cyprianus: Qui de eo ita ſcribit: Et vt DOMINVS hoc vlciſceretur, quòd ſcilicet ſacerdotem „ ſpernerent, excitauit eis Saul regem, qui eós iniurijs „ grauibus affligeret, & per omnes pœnas, & contume- „ lias ſuperbum populum calcaret, & premeret: vt con- „

Exẽpla quib. demonſtratur, q̃ grauiter DEVM offendãt, q malis etiam rectoribus Eccleſiæ non obtemperent.

1. Regum 8.

Lib. 3. Epiſt. 9.

C temptus

„ temptus Sacerdos de ſuperbo populo vltione diuina
„ vindicaretur. Vides, quàm graui eos ſupplicio afficiat, qui nolunt obedire imperio eorum, qui ipſius voluntate ad populi gubernacula ſedent: licet ij ſceleribus, & flagitijs notari poſsint, modò ſuo officio ritè fungantur, & intra metas ipſis aſsignatas conſiſtant. Audi & alterum, quod nos eſſe allaturos promiſimus, exemplum: Roboam Salomonis filius, quàm indignus fuerit, qui in DEI populo principatum teneret, ſi conſilium, & prudentiam eius ſpectes, ex eo intelliges reſponſo, quò ille gentem Hebræorum excepit. Pater,
„ inquit, meus poſuit ſuper vos iugum graue: & ego ad-
3. Reg. 12. „ dam ſuper iugum veſtrum. Pater meus cæcidit vos
„ flagellis, ego autem cædam ſcorpionibus. Quid ijs verbis aſperius, quid durius, quid acerbius audire populus poterat? Videtur ne tibi regi, tam immania & inuſitata comminanti, obtemperandum fuiſſe? Credis ne tam crudelem regem tolerari debuiſſe? tibi forſan prudenter facere videretur, qui eius imperio neglecto, ad alterius partes tranſiret. At verò decem illæ tribus, quæ hoc conſilium ſecutæ ſunt, & contempto Roboam, legitimo Salomonis filio & ſucceſſore, Ieroboam regem ſalutarunt, tam graues eius defectionis pœnas dederunt, vt & vero DEI cultu, & agnitione priuatæ fuerint, & pro vno, ac præpotenti DEI numine ſimulachra coluerint, atq; ad extremum exterarum nationũ imperio, libidiniq; ſeruierint. An non iam intelligis, quàm ſeuere puniat eos DEVS, qui rerum ſuarum adminiſtros, etiamſi eorum vita reprehenſione non careat, contemnunt & reijciunt? In ijs, qui regum, & principum, vel precones & internuncij, vel legati ſunt, non

quales

quales illi ſint, & quibus præditi moribus: ſed quid in mandatis habeant, conſideras, eoſq; cauſa illorum, quorum gerunt perſonam, & benignè & attentè audis, & honore, ac veneratione dignaris: contrà ſi feceris, officij, & humanitatis rationem neglexiſſe videris. Quid ergo eſt, quòd id in ijs duntaxat requiras, qui DEI apud te oratores, & legati ſunt? Quæ (malum) ſtultitia eſt, nolle, quòd per eos tibi DEVS patefaciat, audire, quia ij turpiter viuant? Non qualis eorum vita ſit, quærit à te DEVS, ſed an ex eis oracula audias, quorum illi interpretes ſunt. Iam te admonuit multis ante ſæculis, vt qui tales fuerint, eos dum ex Cathedra dixerint, Id eſt, ex poteſtate, quam ad animum tuum regendum ab eo acceperunt, audias diligenter, & quæcunq; dixerint, ſerues, & facias: mala verò eorum opera ne imiteris. Si *Matth. 23.* Iudas fuerit, tolera eum tu: Quia CHRISTVS non tolerauit ſolùm, ſed in collegium etiam cooptauit eorum, quos terrarum orbis Magiſtros conſtituit: Apoſtolum declarauit, parem ei ac cæteris, poteſtatem & dignitatem tribuit, quod ad Apoſtolatus officium attinet: Ad menſam ſuam adhibuit, pedes ei abluit, & corporis ac ſanguinis ſui cæleſti alimonia recreare non eſt dedignatus. Ne ergo tu vermis, puluis, & cinis eum contempſeris, etſi proditor ſit, & CHRISTVM iudæis cruci ſuffigendum tradat, quem rex regum, & dominantium dominus, tam ingentibus beneficijs & muneribus honeſtauit. Quid Anna, & Caipha Iudæorum Pontificibus conſceleratius? Quid duobus illis hominibus iniuſtius? Atqui ab ijs morti adiudicari, horum calculis reus

mortis pronunciari voluit. Quod iam illuſtrius re-
Iohan. 11. quiris exemplum? Quos CHRISTVS veneratus eſt, quorum ille ſententiæ & iudicio paruit (quia ſedebant in Cathedra Moſis) ne tu pro nihilo impunè te habiturum putes, dum ſedeant in Cathedra Petri, quæ Cathedrę Moſis ſuccesſit,& in eo loco iudicia exerceant,quem DEVS tibi monſtrauerit. Deterreat te horrenda illa diuini numinis vox, quæ ait:
Deut. 17. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio,qui eo tempore miniſtrat DOMINO DEO tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille. Quis ſanæ mentis & ſui compos, ad hæc verba non expaueſcat, & animo conſternetur? Quis es tu, qui in malo homine & ſceleribus contaminato,dignitatem & ſacerdotium nō veneraris? Es ne tu alter Paulus? Es ne tu Doctor gentium? Es ne tu vas à DEO ſublectum, vt ipſius nomen in omnibus terrarum oris peruulges? Eſto per me alter Paulus,atq; vtinam id ſis: Nam vt talem,ac tantum virum haberemus,omnibus pergratum, perq; iucundum accideret: Sed eſto alter Paulus,eſto (inquam) ille,de cuius laudibus Lucas tam grauiter, tam explicatè diſſeruit. Quo propius ad eius bonitatem accedas: modeſtiam, & animi ſubmiſsionem, quæ in illo maximè viguit,imitare: & quanto honore afficiendi ſint mali homines, qui ſacerdotio funguntur, illius imitatione diſces. An non ille laruatum, & perſonatum Pontificem, quippe cuius officium, Leuitico Sacerdotio iam per CHRISTVM ſublato,abijciendū eſſet,propter eum honorē,quem illi lex tribuit,principē populi appel
Actorum 23. lauit,veneratus eſt,& ſe neſcijſſe dixit,eū Pontificē eſſe,

cum

cum dealbatum parietem vocaſſet. Eum ergò tu, quoad eius fieri poſsit, imitare: Et ſi Iudas aliquis, aut Annas, aut Caiphas, Pontificis ſacerdotiſúe officio fungatur, quæ ille dicit, attentè audi, & DEVM in eo loquentem eſſe puta. Ab ijs autem ſceleribus & maleficijs, quibus ſuam ille vitam inquinat, abſtine: & caſtum te, atq; integrum ſerua. Si Iohannes fuerit, aut Petrus, aut Paulus, qui non doctrina tantùm præſtet, ſed vitæ etiam ſanctitate excellat, & Magiſtri ſui exemplo, quod docet, opere impleat: & dicta attento, & præſenti animo auſculta: & ad facta eius imitanda te totum compone. Sin ex eorum numero ſit, qui dicunt quidem, ſed non faciunt: cogitatione & memoria repete, qualiſcunq; Epiſcopus, ſacerdoſúe exiſtat, eum, locum tenere vel Petri, vel alterius cuiuſpiam ex Apoſtolorum Collegio, vel eorum diſcipulorum, qui numero ſeptuaginta fuere. Iſtos ergò, qui nunc Eccleſiam regunt, ſi boni ſunt, & audi & imitare: Sin tales non ſunt, audi quidem, quid dicant, ſed eos, quibus illi ſucceſſerunt, intuere, & vita ac moribus exprime. An credibile eſt, omnes qui ſacerdotium apud Hebræos adminiſtrarunt, vitæ ſanctimonia claros fuiſſe? Aliquot certè ex eis à vitijs omninò caſtos non fuiſſe ex Prophetis intelligimus, qui corruptos eorum mores acriter inſectantur. Attamen palàm lex præcepit, vt mortis ſupplicio afficeretur, qui Sacerdotis imperio obedire nollet. An minorem noui Teſtamenti quàm veteris Sacerdotibus authoritatem tributam fuiſſe putas? Erras turpiter ſi id cogitas. CHRISTVS longè maiore eos in

Malus Eccleſie rector audiendus, bonus & audiendus & imitandus.

Matth. 23.

Deut. 17.

honore habendos docet, quàm illi habiti ſunt, cùm eos
Luc. 10. alloquens, ait: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit,
Epiſtol. ad Magneſ. me ſpernit. Audi, quid dicat Sanctus ille Martyr, & Pontifex Ignatius: Dignum (inquit) eſt, vos obedire
,, Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere. Terribile
,, eſt enim tali contradicere. Non enim illum viſibilem
,, quis ſpernit, ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui
,, non poteſt contemni. Hic enim non ab homine, ſed à DEO habet promotionem. Audi, quis eum in eo dignitatis gradu conſtituerit, non videlicet homo, ſed DEVS. Quid ergo eſt, quòd ipſe iudicare eum velis, quem tibi DEVS præpoſuit? Audi, quid dicat tibi & tui ſimi-
Rom. 14. libus Apoſtolus: Tu quis es, qui iudicas alienum ſer-
,, uum? Domino ſuo ſtat, & domino ſuo cadit, domino
Lib. 4. Epi. 9 ſuo illum iudicandum relinque. Tu quis es, inquit Cy-
,, prianus, noli diſcutere paſtorem, ne eius quoq; re-
Epiſcopus honorandus, & non iudicandus. us criminis tenearis. Noli te iudicem DEI conſtituere & CHRISTI, qui dicit ad Apoſtolos, & per hoc ad omnes præpoſitos: qui vos audit, me
Luc. 10. audit: & qui me audit, audit eum, qui miſit me.
,, Vnde enim Hæreſes & ſchiſmata oborta ſunt, &
,, oriuntur, niſi dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Ec-
,, cleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione
,, contemnitur: & homo DEI dignatione honora-
,, tus, ab indignis hominibus iudicatur? Imitare hu-
Luc. 2. militatis Magiſtrum, qui ſe Mariæ & Ioſepho obedientem præbuit, quamuis vi & poteſtate verbi ſui omnia moderetur. Quem ex ea CHRISTI imperatoris tui ſubmiſsione fructum capere poſsis, diſ-
Hom. in 2. Cap. Luc. ce ex Origene, cuius hæc ſunt verba: Si IESVS

DEI filius ſubijcitur Mariæ, & Ioſeph: ego non ſub-„
ijciar Epiſcopo, qui mihi à DEO deputatus eſt pa-„
ter? Non ſubijciar præsbytero, qui mihi DEI di-„
gnatione prepoſitus eſt? Sed dices: Sanctius ego vi-„
uo, quàm ille. Eſto, quod tamen non ſemper verum
eſt: ſed eſto, quid hoc ad rem? Nonne CHRISTVS
infinitis partibus melior erat Ioſepho? Atqui illius
imperio obediuit. Ita ergo tu ſubijcito te ei, quem
tibi DEVS præpoſuit, vt ſe CRISTVS ſubiecit
Ioſepho. Hæc libuit pauló fuſius hîc differere, quod
ad intelligenda Beati Auguſtini verba, & quorun-
dam animos ab eo errore, de quo diximus, liberandos,
non parum facere videantur. In tertio autem ſuſce-
pti operis libro plenius ea de re ſcribemus. Eſt &
alia non leuis cauſa, ob quam quidam malint hæretico-
rum verbis, quàm ſanæ Eccleſiæ doctrinæ aures accõ-
modare. Quod, vt Tertullianus ait, hæretici apud eos *Heretici apud*
multum valeant, qui in fide non valent. Et in pugna *quos multum valeant.*
pugilum & gladiatorum, non quia fortis eſt, quis vin- *De præſcript.*
cat, & quia non poteſt vinci: Sed quoniam ille, qui vi- *aduerſ. heret.*
ctus eſt, nullis viribus fuit: neq; prudentes, neq; vſitatos „
æſtimandos, quos hæreſes potuerunt demutare. Et qui
eum libenter ſequitur, ſi res ferat, Auguſtinus: Hære- *De Agone*
tici, inquit, decipiunt eos, qui negligentes ſunt in Ca- *Chriſtiano cap. 28.*
tholica fide, & ipſam fidem ſuam, quæ in ſcripturis „
manifeſtata eſt, nolunt diſcere. Iam verò ad has du-„
as cauſas, quibus moueri eos diximus, qui hæreſes
amplectuntur noſtro ſæculo, vt earum magiſtris fi-
dem tribuant, accedit & illa, quæ non poſtrema
eſt, quòd videlicet non pauci ſunt, qui noſtrorum

hoſtium eloquentiam & dicendi facultatem,qua aptè animi ſenſa efferunt, admirantur, & maximis concelebrant laudibus: ornatuq; & elegantia orationis allecti, quicquid illi dicunt, pro cæleſtibus oraculis habent, & venerantur. Ac, niſi me opinio fallit, vniuerſam Germaniæ iuuentutem hec vna res planè corrumpit, ac perdit, quòd pueri, cum primum fari incipiunt, ſtatim traduntur ludi literarij moderatoribus, ex quibus vix tres inuenias Catholicos,& de vera religionè benè ſentientes: Atq; hi mox pueros catechiſmis à ſe conſcriptis, ad Lutheriſmum, & alios errores inſtituunt, & antequam Chriſtiani ſint, hæreticos faciunt. Hæc vna peſtis,Germaniæ imperium nobiliſsimum euertit, ludi ſcilicet magiſtelli, qui,cùm quatuor paginas in Cicerone, Ariſtotele, & ſacris literis legerint, ſtatim ſe, quidquid eſt eloquentiæ, philoſophiæ, & rerum cœleſtium notitiæ, conſecutos eſſe putant. Et quia quotidiano docendi vſu aliquam ſibi eloquendi, atq; ornatè dicendi vim compararunt, ſe de omnibus Chriſtianæ fidei myſterijs diſserere poſſe credunt: contrà atq; Doctor ac Magiſter gentium ſtatuit, qui regnum DEI non in ſermone,ſed in virtute conſiſtere ait, & ſe cœleſtibus præceptis, Corinthiorum populo tradendis, non oratione elaborata, & ad perſuadendum oratorum more compoſita, ſed plano ac ſimplici genere ſermonis vſum fuiſſe, gloriatur. Iſti verò, quia aliquam ætatis partem in arte dicendi conſumpſerunt, ſine vlla animi puritate, quæ ſola cœleſtia arcana percipere poteſt, ad ſacras literas ſe conferunt, eaſq; pro eo, ac libet, quiſq; interpretatur. Et

Peſtis Germaniæ Ludi magiſtri.

1.Cor.1.& 2.

Auguſtin. de doctr. Chriſti. Lib.1.cap.10.

reiectis ſanctorum virorum commentarijs, quibus ad ſacros libros intelligendos facilis aditus dari poteſt, nouas comminiſcuntur explanationes, ſcripturas ad ſuum ſenſum accommodant, & quò viſum eſt, detorquent, ac melle venenum temperantes, quod ipſorum maioribus familiare fuit, ſuos errores facundiæ inuolucris tegunt, atq; inde miſeris mortalibus calicem plus quàm Babylonicum propinant, & venenum, quod labijs gerunt, inſtillant. Illud (inquam) venenum aſpidum, quod cœleſtes literæ vocant inſanabile. Nihil de meo hic fingo: quod ſeptem annorum experimento didici, loquor. Hi ſunt, qui ea, quæ falſa ſentiunt, aut nō ſatis exploratè percepta, & cognita habent, ſine vlla dubitatione, incredibili temeritate defendunt. Hi ſunt Germaniæ Doctores. Hi ſunt imperij Romani (cui olim tuendæ veræ religionis vel prima cura fuit) Magiſtri. Hi ſunt principum, magiſtratus, & imperitæ plebis idola, vt meritò poſsis dicere: Hi ſunt dij tui Germania, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Hi ſunt tandem illi Euangelici Doctores, Apoſtoli, Heliæ, & Danieles, quibus Germania, proh dolor, aures patefacit, dicentibus, hactenus Chriſtianum populum, & CHRISTI Eccleſiam in ſummo errore, atq; in veritatis ignoratione iacuiſſe: & affirmantibus Eccleſiam, cœtum eſſe hominum ſanctitate præſtantium, qui ſoli DEO noti ſunt: fieri non poſſe, vt ea videatur, & ſub hominum oculos cadat: quippe quæ lateat, & in obſcuro poſita ſit. Hi ſunt clari ac celebres illi Euangelij reſtauratores, & doctores Chriſtianorum, qui doctrinæ veræ lucem eripiunt, & quaſi noctem quandam rebus

Hieronym. in Epiſt. ad Eteſiphont.

Pſalm. 13.

Vide Symmach. Ver. 3.

1. Tim. 1.

rebus offundunt: deſertorumq́; & iam pridem damnatorum errorum patrocinium (nec opinatum) ſuſcipiunt. Deniq; hi ſunt, qui ſuis præſtigijs & fraudibus id efficere ſtudent, atq; enituntur, vt Chriſti populus neſciat, vbi quæri debeat domus illa, quæ abſcondi nequit, & alto in monte locata eſt: & lucerna illa, quæ non ponitur ſub modio, ſed in eo loco, vnde ab omnibus conſpici poſsit: ſed callidè, atq; aſtutè inprimis, vt cætera omnia. Nam cùm intelligant Eccleſiæ Chriſti authoritatem vel maximam & grauiſsimam eſſe, quòd mortalibus omnibus, vt ſe ei obedientes præberent, CHRISTVS præceperit, & qui contrà facerent, eos pro Ethnicis & publicanis haberi voluit, nullas non admouent machinas, quibus validam illam domum, quæ ſupra petram fundata eſt, euertant, diruant, & ſolo æquent. Quod vt commodè atq; ex voluntate facere poſsint, vel ſe, eam eſſe dicunt, vel cognoſci conſpiciq́; poſſe negant. Interea Sathanas, cuius hi homines ſatellites ſunt & adminiſtri, pro libidine in animas eorum graſſatur, quorum principem Chriſtum filium ſuum vnigenitum pater conſtituit, cùm dixit in Pſalmis: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Dum miſera plebs & multitudo, quæ paruo momento huc, illucúe impellitur, vel neſcire vult, vel neſcit, nos ne Eccleſia ſimus, an illi: cuiuis doctrinæ vento ſeſe exponit: & reiecta CHRISTI religione & Apoſtolorum decretis, nugas mendacium, & à veritate aberrantium hominum, & dæmoniorum doctrinas ſequitur, & veneratur. Ac ſæpè quidem optaui, vt magnus aliquis vir, doctrina & erudi-
tione

Matth. 5.
Math. 18.
Pſalm 2.

tione ſanctarum rerum valens, quales non paucos noſtrum habet ſæculum, plano & diſtincto ſermone eiuſmodi librum conſcriberet, quo demonſtraret, CHRISTI Eccleſia quæ eſſet: quibus ſignis ab hæreticorum conuenticulis diſcerni poſſet: quàm falſum ſit, quod iſti perditi, & deplorati homines dicunt: dum aut ſe, Eccleſiam Chriſti eſſe iactant, aut latere eam, atq; in errore, & veritatis ignoratione verſari poſſe affirmant: qui ſint, qui ad eam pertineant: qui ab ea alieni cenſeri debeant inter eos, qui titulo Chriſtianæ pietatis Sathanæ hædi ſunt, non Chriſti oues: quæ eius doctrina, & à quibus prodita ſit: quis illius rector, & magiſter in terris exiſtat, atq; ad hæc vſq; tempora extiterit. Neq; verò ignoro, ſingula hæc ſeparatim à maximis viris diſtinctè, ornatè, & copioſè explicata noſtro tempore fuiſſe: Inter quos facile principes ſunt Staniſlaus Hoſius Vuarmiæ Pontifex, cuius excellens, ac diuinum ingenium, variam, & multiplicem rerum cæleſtium doctrinam, ſingularem eloquentiam, & ſanctam, atq; Epiſcopo dignam vitam, nemo non laudare ſolùm, ſed ne admirari quidem ſatis poſsit. Et Iohannes Gropperus, vir ſummo iudicio, ſummaq; eruditione, & ſcientia diuinarum literarum præſtans: Qui nuper magno cum detrimento Reipublicæ Chriſtianæ è vita migrauit. Et Petrus Sotus, Hiſpanus meus, quem propter ingentem doctrinę famam, & incredibilem pietatem, ac rarā probitatem, meritò habuit chariſsimū Carolus Quintus Cęſar, immortali, & ſempiterna memoria digniſsimus. Neq; ea laude priuādus à me doctiſsimus ille Ricardus, qui egregijs, & mirabili eruditione illuſtribus ſcriptis

Staniſlaus Hoſius Vuarmienſis Epiſco.

Ioānes Gropperus.

Petrus Sotus.

Ricardus.

Eccleſiam

Eccleſiam Catholicā ab hæreticorum fraudibus defendit, deq; populo Chriſti præclarè meritus eſt. Sed illi de Eccleſia Catholica non plura literis mandarunt, quàm inſtituta ab eis diſputatio requirere videretur. Nec id proprium ac præcipuum eorum inſtitutum fuit, vt vno aliquo opere ſeparato, ſumma ac maxima huius argumenti capita perſequerentur, & ad omnes, aut certè pleraſq; aduerſariorum rationes, in quibus aliqua veri ſimilitudo ineſſe putaretur, reſponderent. Quippe, officio ſe ſuo feciſſe ſatis arbitrati ſunt, ſi eorum duntaxat argumenta diluerent, & fraudes retegerēt, quibus cum congredi, & manus conferere ſtatuiſſent. Neq; ab eis requirendum amplius quicquam erat. Quinetiam me non latet, Reginaldum Polum Cardinalem ampliſsimum, ante complures annos de Eccleſia opus mira dicendi venuſtate, ſummaq; grauitate, & ſcientia ſcriptū, peruulgaſſe: quod tamen in eo totum verſatur, vt validis, & ad perſuadendum aptis rationibus demonſtret, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum Chriſtianorum Pontificem, & vniuerſalis Eccleſię paſtorē, & caput iam inde ab vltima religionis noſtræ origine fuiſſe, atq; in poſterum futurū eſſe: donec IESVS opt: max: ad iudicia excercēda è cœlo deſcendat. Ego verò, quamuis neq; meum dicendi, eloquendiq; conatum tantæ rei explicandæ parem eſſe putem: neq; eam in me eruditionem, & doctrinam agnoſcam, quæ neceſsaria in primis ei eſt, qui in ea materia laborem ſumere velit: tamen partim eorū, quos modò nominaui, & Coclei ac Ioannis Eckij, atq; aliorum illuſtrium noſtri ſæculi ſcriptorum veſtigijs inſiſtens: partim ſanctiſsimorum Maiorum noſtrorum, qui pulcherrimos in ſanctos libros commentarios ediderunt,

Reginaldus Polus Cardinalis.

ęddiderunt, ſcriptis adiutus: fauente Auguſtiſsimo Dei numine, à quo omne bonum atq; præclarum munus, tanquam ab vberrimo fonte, ad mortales permanat: aggrediar tale opus conſcribere, quò & ijs, qui hæreticorũm quidem opinionibus adhærent, ſed quadam veritatis ſpecie decepti ſunt, qua illi oculos eorum perſtringunt, ad eam ipſam quam noſſe cuperent veritatem, viam, atq; aditum communiam: & eos corroborem ac confirmem, qui DEI beneficio ſingulari manent in Eccleſia Chriſti, ſuper quam (vt Irenæi verbis vtar) ſanctus ſpiritus requieſcit. Neq; dubium ſanè apud me eſt, quin tum illi ad nos, quos nulla cauſa deſeruerunt, redituri: tum iſti multò libentius in Eccleſia permãſuri ſint, vbi intellexerint, apud eos Chriſti Eccleſiam habere ſedem, qui licet magnis terrarum interuallis diſiungãtur, & varijs, ac diſcrepantibus linguis vtantur: ſi tamen doctrinam, Dei cultum, & pietatem ſpectes, ita coniuncti colligatiq; ſunt, quaſi vnam incolant domum, & vnam habeant animam, & vnum cor, atq; vnum os poſsideãt. Atq; id quidem vt commodè facere poſsim, ponendæ in medio ſunt rationes, quibus Primipili hæreticorum noſtri ſæculi, aut ſe eſſe Chriſti Eccleſiam iactant, aut eam latere affirmant: eæq; diſcutiendæ & refellendæ erunt. Recitare etiam conueniet ea ſigna, quibus noſci Eccleſiam putant: eiſq; reiectis, illa adducentur, quæ quaſi digito oſtendunt, quæ ſit illa Chriſti lucerna, quæ ſola lumen ſponſi ſui retinet, & ſeptem illa habet candelabra, de quibus D. Ioãnes grauiter diſſerit. Poſtea paucis perſtringendus erit locus ille, quo explicatur, quæ huius Chriſti Eccleſiæ vniuerſalis priuata Eccleſia mater, & magiſtra ſit: quis eius Rector, Paſtor, & princeps

Iacob. 1.

Lib. 4. cap. 44.

Irene. Lib. 1. cap. 3.

Apocalyp. 1.

à Chriſto inſtitutus fuerit. Prius verò quàm quicquam adducã, quod ad rem faciat explicandam, non inanem me operã ſumpturũ eſſe puto, ſi demonſtrem & planũ faciã, quæ ſint cauſę, ob quas hęretici tãtis opibus & copijs, conantur Chriſti Eccleſiã oppugnare: & cur nolint eam agnoſcere. Id enim vbi perſpectum fuerit imperitæ multitudini, quæ eos veritatis doctores eſſe putat, credibile eſt, fore, vt nõ pauci cognitis eorũ dolis & artibus, eò, vnde temerè egreſsi ſunt, reuertantur: & quantis oppreſsi tenebris fuerint, cognoſcant. Ac non omnes quidem eius ſeparationis cauſas patefaciam: id enim neq; fieri poſſet, & ſingulas annumerare moleſtum eſſet: ſed præcipuas tamen exprimere conabor. Quod ergo pleroſq; rerum nouarum cupidos homines mouet, vt ſe à Chriſti domicilio, quod Eccleſia eſt, ſeparent, & ad errorũ præcipitia conferant, cùm aliæ complures cauſæ, tum ambitio inprimis eſt, & immoderatum honorum ſtudium, ac plus habendi immodica cupiditas, qua qui ducuntur, vt ait Apoſtolus, incidunt in tentationes & laqueos Diaboli. Id quod nos verum eſſe aliquot exemplis demõnſtrabimus. Narrat Euſebius Cæſarienſis Theobuten quendam, cùm non potuiſſet ſummum ſacerdotium (quod in Eccleſiã Chriſti Epiſcopatus eſt) obtinere, ſeptẽ hæreſes excogitaſſe, atq; eas populo pro doctrina cæleſti propoſuiſſe. Nouatus, quòd Epiſcopus declarari cuperet, votiq; cõpos nõ efficeret, ab Eccleſię cõſenſu deſciuit, ſeq; (vt Cyprianus ait) nemine Epiſcopatũ dãte, Epiſcopũ creauit. Arrius cùm inuideret Alexãdrò eius vrbis, quę Alexãdria dicta eſt, põtifici, nouũ de Chriſti natura, atq; eſsẽtia errorẽ cõmẽtus eſt. Aërius etiã, ſicuti memorię prodidit Epiphanius, Cõſtantię

Hæretici quas ob cauſas Eccleſiam oppugnent, & agnoſcere nolint.

1. Tim. 6.

Hiſt. Eccl. lib. 4. Cap. 22.

Theobutes.

Nouatus.

Lib. 1. Epiſt. 6

Arrius.

Theod. lib. 1. cap. 2.

Aërius.

Cypri

Cypri Epiſcopus, cùm ad Epiſcopatũ aſpiraret, & Euſtachium, qui iam eum adeptus eſſet, odio proſequeretur, cõplures confinxit hæreſes, quas omnes noſtri temporis hæretici pro Euangelio Chriſti vulgo venditant. *[Lib. 3. To. 1. hæreſ. 75.]* Vuicleffus, qui non multis ab hinc ſæculis bellũ in Eccleſiã geſsit, quia nõ potuit cõſequi Vigorieſem Epiſcopatũ, cuius obtinẽdi ſtudio flagrabat, Marcionis & Manichæi errores amplexus eſt, & nouos ipſe permultos inuenit. *[Vuicleffus. Bund. in cõp. diſsid. tit. 33. In lib. Hiſt. Bohem.]* Eodẽ ambitionis morbo Huſsium, & Pragenſem Hieronymum laboraſſe, Pius pontifex memoriæ prodidit. *[Huſsius. Hieron. Prag.]* Quin etiã noſtros aduerſarios hoc vitio vehementer cõtaminatos eſſe, argumento illud eſt, quòd eorum princeps, neq; indulgentias peruulgare optaſſet, neq; ſe DEI gratia Eccleſiaſtẽ Vuittẽbergicũ vocaſſet, niſi ambitionis ægritudinẽ accenſus fuiſſet. *[Lutherus. In Epiſt. ad falsò dictos Epiſcopos.]* De cæteris, qui eius exemplo à Chriſti Eccleſia diſceſſerunt, quid opus eſt dicere? Præſertim cùm res ipſa indicet, tanta eos honorũ cupiditate duci, vt noua voce ſe Epiſcopos vocent, & pro Epiſcopis haberi, & ſalutari velint? Nam ſuperintendens vocabulũ, quod illi paſsim vſurpant, quid aliud latinè ſignificat, quàm quod Græcẽ Epiſcopi nomen? *[Hæretici cur ſe ſuperintendentes uocent.]* Lege cùm alia ſcripta eorum, tùm ea potiſsimum, quæ ipſi confeſsiones vocant: Videbis longum ſuperintendentum Catalogũ. Nemo deniq; eorũ ex ordine eſt, cuius animũ hæc ambitionis labes nõ maculet. Adeò vera eſt illa Theodoreti ſententia, quæ hæreticos omnes ambitionis vitio tentari tradit: & quod Auguſtinus ſcriptũ reliquit, multos eſſe, qui Eccleſiã idcircò deſerũt, quòd apud hæreticos eos adipiſcãtur honores, ad quos, ſi inter Catholicos verſarẽtur, peruenire nõ poſſent. *[In præfat. in Braniſt. Cont. Creſcõ. Gram. lib. 2. cap. 30.]* Cõſtat quidẽ certè Ioannẽ quendã Laſcũ natione Polonũ *[Ioãnes Laſcus]*

 tantopere

tantopere Epiſcopi dignitatem affectaſſe, vt primũ Lutheri, deinde Zuinglij dogma ſuſceperit, quo in eo munere & gradu locaret. Id quod ad extremũ ab Eduardo Angliæ rege obtinuit: & eorũ, qui propter verã religionẽ deſertã in Anglia profugi erãt, Rector effectus, & peregrinorum Epiſcopus vocatus eſt. Nos quoq; omnes, qui in Aula inuictiſsimi Ferdinandi Cæſaris verſamur, nouimus quendam, cui, ſi Labacenſis Eccleſiæ Epiſcopatus pro eo, atq; ipſe optauit, fuiſſet datus, aut intra Eccleſiæ ſacraria mãſiſſet, aut tã citò inde nõ exiuiſſet. Eſt & aliud nõ leuius quàm hoc malũ, quod vt quoſdã, qui ſuperioribus ſæculis vixerunt, ita pleroſq; noſtræ ætatis hæreticos mirabiliter infecit. Id quale ſit, indicat Paulus, cum ait: Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis, quorum finis interitus, quorũ DEVS venter eſt, & gloria in cõfuſionẽ ipſorũ, qui terrena ſapiunt. Nihil potuit aptius dici, ad exprimendũ eorũ hominũ, qui hoc ſæculo Chriſti Eccleſiam agnoſcere nolunt, ingenium. Si vitam & mores, quibus hi homines prædití ſunt, expendas, Epicuri, nõ Chriſti diſcipulos dixeris: Ventri apud eos omnia ſeruiunt: Et ſimulant Curios, & Bachanalia viuunt. De libidine eorum quid nunc attinet dicere? Quàm miſera Veneris mancipia ſint noſtri iſti Euangelici, illud declarat, quod Apoſtoli, cùm Euangelium Chriſti toto orbe terrarum propagare vellent, vel vxores reliquiſſe, vel eas pro ſororibus habuiſſe leguntur. Iſti contrà, non poſſunt hoc & quintum & ſuum Euangelium (ſi modò impia doctrina tam honorificum nomẽ meretur) euulgare, niſi vxores ducãt, & eas quidẽ non virgines tantùm, ſed viduas etiã, & ſcorta, idq; non ſemel,

Defenſ. 1. cõtra Vueſtpha. *Philip. 3.* *Iuue. Satyr. 2.* *Heretici noſtræ ætatis uentri, & libidini ſeruiũt.* *Clem. Alex. Strom. lib. 3.*

ſemel, quod & veteris, & noui teſtamenti oracula pro- *Leuitici 21.*
hibent. Ad has duas cauſas, quas cõmemorauimus, ac- *Ezech. 44.* *Can. Apo. 17.*
cedunt aliæ duæ, quæ vtinam nõ tam multos ex Eccle-
ſiæ caſtris nobis abducerent, atq; in errores, & hæreſes
præcipitarẽt. Vna eſt, quòd aſsiduè prophanos ſcripto-
res habeant in manibus, & humaniorum literarum ſtu-
dijs tantum tribuant, vt qui eis fuerit imbutus, nihil eum
fugere poſſe putent. Ab oratoria, & Poëſi, ac libris Phi- *Errores ex libris Prophanis multi orti.*
loſophorum, vnde infinita turpiſsimarum actionũ ex-
empla hauriuntur, neglectis patrum & maiorum ex-
planationibus, ad ſacras literas ſtatim tranſiliunt, atq; ex
eo fit, vt quia puro & integro animo ſacros libros non
verſant, nõ quid ſpiritus ſanctus velit: ſed quid Sathanæ
gratum atq; acceptum ſit, inde petant: nec aliud ſenti-
re ſcripturas credant, quàm quod ipſis ſomniare viſũm
eſt. Vetus Tertulliani querela eſt, hæreſes è Philo- *De præſcrip. aduerſ. hereticos.*
ſophorum Schola ortas eſſe. Extant permulta, eaq;
non obſcura complurium hominum exempla, qui,
dum Philoſophorum literis plus æquo ſe addicunt, à
vera religione ad commenta & fabulas hominum
aberrarunt. Vnde enim Æones Valentini fluxerunt?
Vnde Marcionis melior Deus? Vnde animæ interitus?
vnde materiæ, & Dei æqualitas? Nõne ex officina Phi-
loſophorũ? Quid Manichæi, quid Arrij, Vuicleffi, Aba-
ilardi, & non pauci Anabaptiſtarum errores? nonne ab
hoc fonte manarunt? Et vel ad ea, quæ recentiora ſunt, *Coloſs. 2.*
veniamus, nonne Vuicleffum, & Berengarium inanis *Inanis Philoſophia decipit Sacramentarios.*
Philoſophia decepit, & fecit: ne crederẽt CHRISTI ve-
rũ corpus & ſanguinẽ eſſe in Sacramento Euchariſtiæ,
quod nũc totis viribus propugnãt Sacramẽtarij, quorũ
Princeps eſt Caluinus? Nemo eſt, qui linguarũ, & Phi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

loſophiæ ſtudium abijciendum eſſe dicat, modò quis eo rectè vti ſciat, & ſequatur ſaluberrimũ D. Baſilij cõſiliũ, qui docere cùm vellet, quomodo legendi ſint libri eorum, qui à religione Chriſtiana extranei fuerunt, ita ſcribit: Quando verò ad infames & nefarios homines

In Epiſt. ad nepotes.

„ veniunt, hæc omninò vitare, his aures obſtruere, non
„ minus, quàm Vlyſſem ad cantus Syrenarum dicunt,
„ oportebit. Nam prauis aſſueſcere ſermonibus, via quæ-
„ dam eſt ad rem ipſam. Noui ego quendam non ita pridem, qui, etſi Chriſtianus & ſacerdotio initiatus eſſet, tamen quia totam ferè ætatem ab ineunte pueritia in Philoſophorũ, & Rabinorum libris contriuerat, non eſt veritus affirmare, ſi quis in eorum literis, & Cabaliſtica ſcientia verſatus ſit, eùm melius & plenius percepturum eſſe fidei noſtræ myſteria, quàm ſi ſanctos omnes ſcriptores, quos Eccleſia iure optimo, & meritiſſimo patres vocat, eúoluerit. Etſi verò ea vitia, quæ iam recenſuimus, multos ætatis noſtræ homines in eum errorem adducant, vt ſe ab Eccleſia Chriſti ſeparare non vereantur: eſt tamen quoddam vitium, quod commune omnibus pſeudoprophetis eſt, & hæreticorum omnium animos à veritatis via auocat, & ad præcipitia mendaciorum trahit, elatio videlicet animi incredibilis, & faſtus maximè execrãdus, atq; immodicus ſui amor, qui, ſicut Auguſtinus ſcribit, diaboli ciuitatem extruit atq; ædificat. Etſi alijs alij cauſis moueãtur, vt à nobis ſe ſegregent, omnes tamen in eo cõueniunt, quòd velint incedere inflati ſenſu carnis ſuæ, & altum ſapere, atq; apud ſemetipſos ſapientes eſſe, & reliquos velut vmbras, truncos, & fungos reputare, præ ſeq; adeò cõtemnere, nec veritati cedere, quæ rebus omnibus infinitis partibus

Ambitio & animi elatio omnibus communis.

Lib. de Ciuit. Dei 14. cap. 13.

Coloſ. 2. Rom. 11.

Eſdr. 3.

partibus præſtat atq; excellit. Id autem tam verum in
noſtri temporis hæreticis eſt, vt de eo dubitare nemo
debeat. Nam cùm pleriq; hęreticorum ſemper ſuperbi,
elatiq; fuerint, deq; ſe ipſi magnificè ſeſerint, alioſq; oẽs
vix homines eſſe putauerint, tam nulli profectò vnquã
hæretici extiterunt, qui ſuperbiores, elatiores, & arro-
gãtiores, ac vitijs magis & ſceleribus inquinati fuerint,
quàm ij ſunt, quos noſtra attulit ætas: vt planè appareat
eos eſſe, de quibus Apoſtolus ad Timotheum ſcribit, *2. Tim. 3.*
cùm ait: Extremis temporibus fore homines, qui ſint *Hæretici noſtri temporis quales.*
ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, paren-
tibus nõ obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine „
pace, criminatores, incõtinentes, immites, ſine benigni- „
te, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum „
amatores magis quàm DEI, habentes ſpeciem qui- „
dem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.. Quiſ- „
quis enim eorum ſcripta legerit, is facilè profectò intel-
liget, nullam in iſtis hominibus diuini ſpiritus ſignifi-
cationem ineſſe. Maiores enim noſtros, morũ purita- *Diabolica noſtrorum aduerſariorum ſuperbia.*
te, & rerum cæleſtium ſcientia claros, & illuſtres viros,
pro nihilo habẽt: clamant homines eſſe, qui labi, & tur-
piter errare, decipiq; poſsint. Eccleſiæ authoritatẽ ne
pili quidẽ faciunt: eã, antequã ipſi orirẽtur, erraſſe dicũt,
& dęmoniorũ doctrinis proſtitutã fuiſſe: ſummũ Eccle
ſiæ principẽ, & reliquos eius magiſtrat⁹ antichriſtos vo-
cãt: Cõcilia, ſacros cõuẽtus, & Maiorũ decreta pedibus
cõculcant. Incredibili arrogãtia ſe ſolos eſſe prædicant,
quos Chriſtus in ſua cellaria introduxerit, quib⁹ ſuũ ſpi- *Cant. 1.*
ritum abũdè impertierit, & cęleſtis ſapientiæ arcana pa-
tefecerit. Quicquid ipſi dixerint, quicquid in medium
attulerint, pro certo ſe habere, è cœlo eſſe, tãta DEO fa-

 miliari-

miliaritate ſe eſſe coniunctos, vt ſi velint, ne errare quidē poſsint. Si hæc ſuperbia, ſi hic tumor nō eſt: quid rogo eſt, quod ſuperbia & tumor dici poſsit? An credibile
Eſaie 66. eſt, ſpiritum illum ſanctum, qui fictos & ſimulatos deſerere ſolet, & non requieſcit, niſi ſuper humilē, & manſuetum, & trementem ſermones eius, in his hominibus
Cap. 2. Prouerb. commorari? Rectè dixit ſapiens: Vbi humilitas, ibi ſapientia: vbi tumor & inflatio, ibi ſtultitia: dicētes enim
Rom. 1. ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Quis credat eos, in quibus tantus eſt tumor, tantaq; animi elatio atq; inflatio, eſſe conualles illas, in quibus DEVM gratiæ ſuæ fontes
Pſalm. 103. emittere canit Propheta? Quis ſibi perſuadeat, hoſce
Matth. 11. homines eſſe paruulos illos, quibus DEVS ea aperuit myſteria, quæ ſapientibus & prudentibus abſcondita
2. Cor. 4. eſſe voluit? Quod ſi opertum, inquit Paulus, eſt Euangelium, in ijs opertum eſt, qui pereunt. In quibus DEVS huius ſæculi excæcauit mentes infidelium. Nos quoq; meritò dicemus, Eccleſiam quidem, etſi conſpicua, manifeſtaq; dubio procul ſit, opertā tamen eſſe, & abſcōditā ijs, qui dum alta ſapiunt, & humilibus nō conſentiunt, volentes eſſe doctores legis, neq; ſciētes ea, quę
Rom. 12. loquuntur, neq; de quibus affirmant, id promeriti ſunt, vt iuſto DEI iudicio, à veritatis luce arceantur: & quæ Chriſti Eccleſia ſit, neſciant: nec videant, quis ſit paradiſus ille Chriſtianorum, ex quo profluunt quatuor illa flumina, quæ vniuerſas orbis terrarum oras perua-
Cantic. 2. gantur, & irrigant. Quæ videlicet ſit illa Chriſti ſponſa,
Lib. 4. contra Dona. cap. 1. & columba, quæ ſola à ſponſo ſuo (vt D. Auguſtini verbis vtar) ſuper petrā fundata eſt, quæ ligandi & ſoluēdi
,, claues accepit. Quæ ſola, & vna tenet, & poſsidet om-
,, nem ſui ſponſi & Dñi poteſtatem: per quam cōiugalem

poteſta-

poteſtatem etiam de ancillis filios parere poteſt: qui ſi non ſuperbiant, in ſortem hæreditatis vocabuntur: ſi autem ſuperbiant, extra remanebunt. Operta & abſcōdita eſt Eccleſia, ſed nō omnibus: clara enim & conſpicua eſt ijs, qui ſicut in cœlis DEVM habere patrem cupiunt, ita matrem in terris Eccleſiam agnoſcere ſtudent: non ignorantes ſe in Dei filios adoptari non poſſe, niſi ab Eccleſia ſint lauacro regenerationis abluti: neq; vitam ſempiternam adepturos eſſe, niſi eius voluntati & decretis paruerint. Quibus ergo Eccleſia operta & abſcondita eſt? Illis quidem certè, qui ſanctas literas non eo animo legunt, vt DEVM in eis quærant: & quid ille ab ipſis poſtulet, quæq; eius voluntas ſit, intelligunt: & ad id, quod gratum acceptumq; ei ſit, efficiendum ſe totos comparent, & componant. Quo ergo animo, & quem ad ſcopum illi ſanctos libros legunt? Non certè alio, quàm vt inde contradicendi, & veritati repugnandi materiam ſumant. Quippe, ſe ſolos ſapere & diuina arcana percipere, reliquos autem mortales delirare putant: & odio, quo mirandum in modum aduerſus CHRISTI Eccleſiam flagrāt, accenſi: nouas opiniones, & capitis ſui ſomnia ſequi malunt, quàm veram, ſolidā, ac rectè de veritate ſentientem doctrinā amplecti. Quo fit, vt meritò ijs dicere liceat, quod olim Auguſtinus dixit Fauſto Manichæi diſcipulo: Hæc præſumptio tumidæ arrogantiæ oculum cordis vel claudit, vt omnino non videat: vel diſtorquet, vt peruerſè videat, & aliud pro alio probet, aut improbet. Nec aliud profectò in cauſa eſt, quamobrē aduerſarij noſtri in tot hæreſes atq; errores lapſi ſint, & quotidie etiam labantur, quàm

Anaclet. in Epiſt. & Cypri. de ſimpl. prælatorum.

Qui Eccleſiā nolunt agnoſcere, quo animo ſanctos libros legant.

Lib. 16. cap. 14. contra Fauſt. Manich.

quàm quòd ſcripturas ſacras eo quo diximus ſtudio, contradicendi nimirum, & Catholicæ veritatis oppugnandæ libidine, legant, & ſcrutentur. Ex quo efficitur, vt Chriſti Ecclesiam, quæ in cæleſtibus literis depicta, atq; ad viuum expreſſa eſt, non videant. Inuehitur Chriſtus in Phariſæos, & Scribas, & ait: Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; virtutem DEI. Quàm verè in iſtos nouatores hæc Chriſti verba competunt, qui ſine vlla reuerentia, ſine vlla amini præparatione & munditie, cæleſtes literas attingunt: & vt olim Phariſæi, & Scribæ, non ideò ſacros libros legebant, vt in eis Chriſti vitam, & facta, ac dicta adumbrata eſſe viderent, Chriſtumq; pro DEO amplecterentur, ſed, vt ambitionis, faſtus, & auaritiæ ſuæ latebras inuenirent: ita iſti non iccircò ſancta volumina verſant, vt inde intelligant, quæ Chriſti Eccleſia ſit, quæ ab ea beneficia acceperint, quanto ſtudio, & volũtate ei obedire debeant: ſed, vt ſcripturarum teſtimonijs perperam explanatis, vitia, ſordes, & improbas affectiones, quibus mirandum eſt, quàm obnoxij ſint, tueantur.

Exod. 19. De monte illo, in quo DEVS legem tulit populo Hebræorum, ſanctus Moſes loquens: Conſtitues, inquit, terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis finem illius: Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet: quum cæperit clangere buccina, tunc aſcendunt in montem. Quid ſibi vult Deus, quòd montem terreſtrem, ſaxeum, lapideum, quem licet non iumentis solùm, ſed pecudibus etiam conſcendere, & pedibus

conculcare,

cõculcare,tã auguſtũ,venerãdũ,formidandũq; eſſe demõſtret? An nõ quouis mõte excellentior pręſtãtiorq; eſt,nõ dico hoïs ſolũ,ſed pecoris etiã natura? Quid ergo eſt cauſæ,quamobrẽ nõ pecus tantũ & iumentum,ſed hominem etiam, cuius animo ipſe ſuam imaginem,& ſimilitudinem inclusit, ab eius aditu prohibeat? Magnum quiddam id ſit,oportet.Præclarum quoddam,& admirandũ in ijs verbis latet myſterium,quod quale ſit, declarat D.Gregorius Pontifex Nazianzenus, qui mõtem illum,quem Deus tam ſanctum & venerandũ eſſe voluit,figuram ſcribit fuiſſe ſanctorum librorũ, à quorũ lectione DEVS arcere voluerit eos homines,qui ſub imagine hominum,pecudum vitam gerunt,& nulla re à beluarũ impuritate differunt. Ædit DEVS opt:max: in ſancto illo monte,id eſt,in ſanctis libris oracula:tradit mortalibus ſanctiſsimas præceptiones & leges, quæ ad vitã,piè & ex virtute colendã, pertineãt:docet quid fugiendum,quid expetendum,& ſequendum ſit:quanta ijs propoſita ſint præmia,qui ſanctiſsimũ ipſius numen ritè,atq; ex dignitate venerantur:quanta,& quàm grauia maneant eos ſupplicia, qui ſeruire voluptatibus,& turpibus animi affectibus,quàm virtuti malũt: & tu loquẽtẽ in eo mõte DEVM auditur⁹,nulla reuerẽtia,nullo timore,nulla mẽtis caſtitate:ſed ſordib⁹,vitijs,faſtu,elatione,& innumeris alijs animi perturbationib⁹ inquinatus accedis? nec vereris,vt diuina illa ac ſacroſãcta maieſtas ira cõmoueat,quòd ſe à te contẽni intelligat,& te à ſuorũ myſteriorũ agnitione procul abijciat,illudq; tibi dicat,quod olĩ dixiſſe peccatori propheta ſcribit: Quare tu enarras iuſtitias meas,& aſſumis teſtamẽtũ meũ per os tuũ? Audi,quid cogitatione,& aïo concipere debeas,

antequàm

Lib.1.de Theolog.

Mons in quo DEVS locutus, figura ſanctorum librorum.

Nota,qui ſanctos libros legis.

Pſalm. 49.

anteq̀uam te ad ſacros libros legendos conferas: diſce, quanta animi puritate purgandi tibi mentis oculi ſint, qui adire ad ſanctas literas, & ſaluberrimo legum cæleſtium pabulo recreari velis. Nolo id vt de me audias: proferam tibi eius hominis verba, quem Baſilius ille magnus, & eius frater Gregorius Niſſenus, cōpluresq; alij graues & ſancti viri, ob inſignem vitæ ſanctitatem, & rerum geſtarum ac prodigiorū magnitudinē, Moſi, Prophetis, atq; Apoſtolis comparandum eſſe docent. Is eſt Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, Origenis illius magni diſcipulus, qui eos, qui ſanctos libros legere volunt, ita alloquitur: Cum ſacras literas legis, vel Deū, vel Prophetas, vel Chriſtum, vel Apoſtolos te audire loquentes puta. Quanta ergo diligentia, quanto ſtudio, & cura purgandus eſt animus ei, qui DEVM, Prophetas, Chriſtum, Apoſtolos quotidie loquentes auditurus ſit? An non is contemnere eos videbitur, & pro nihilo habere, qui vitijs inquinatus ad eos audiendos accedat? Nōne is dignus eſt, qui ſicuti à belua ſola hominis figura differt, moribus verò ei nihil præſtat, ita tanquam belua & iumentum, ſi ad ſanctos libros ſe recipit, lapidibus obruatur? id eſt, certam animi perniciem inde hauriat, vnde ſalutem & vitam immortalem petere debuiſſet? Donatiſtæ olim, qui ſe ſolos eſſe Chriſti Eccleſiam cōtendebant, & reliquas omnes terrarum orbis oras, quæcumq; Chriſtum colerent, vt impias, & à Chriſti grege alienas execrabantur: & ſi id ſanctarum literarum teſtimonijs roborare, firmareq; niterētur, tamē quia Eccleſiam in ſcripturis non inuenerunt, quòd nō inueniendi, ſed calumniandi inſtituto eas legerent, ijs verbis ab Auguſtino reprehenſi ſunt: Remotis ergo omnibus talibus

Lib. de ſpiritu ſanct. ca. 27. *In Orat. de uita Greg. Neocæſ.*

In con. in annunciat. Virginis.

Lib. de unit. Eccleſ. cap. 16

Eccleſiam

Eccleſiam ſuam demonſtrent, ſi poſſunt, non in ſermo- ,,
nibus & rumoribus Aphrorum, non in concilijs Epi- ,,
ſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputa- ,,
torum, non in ſignis & prodigijs fallacibus, quia etiam ,,
contra iſta, verbo domini præparati & cauti redditi ſu- ,,
mus: ſed in præſcripto legis, in prophetarum prædictis, ,,
in Pſalmorum cantibus, in ipſius paſtoris vocibus, in ,,
Euangeliſtarum prædicationibus, & laboribus, hoc eſt, ,,
in omnibus canonicis ſanctorum librorum authoritati- ,,
bus. Ad eundem modum de iſtis ſtatuere licet. Nemo quærat Eccleſiam in ſcriptis Lutheri, qui eam perijſſe, aut tectam fuiſſe ſcribit, donec ab ipſo priſtinæ dignitati reſtitueretur. Nemo Eccleſiam reperturum ſe eſſe putet in prodigioſis ſomnijs Lutheri, aut locis communibus, & neſcio quibus commentarijs Philippi, aut Caluini, aut Brentij, & aliorum, qui duas Eccleſias conſtituunt, & duas Chriſti ſponſas, & duo corpora eſſe volunt: cùm ſapiens affirmet, vnam eſſe Chriſti ſponſam: & Apoſtolus, vnius corporis, non duorum caput Chriſtum à patre factum, tradat. Euoluant libros prophetarum, legant ſcripta Apoſtolorum, excutiant volumina Euangeliorum, facilè intelligent, ſi vltrò claudere mentis oculos nolint, Eccleſiam viſibilem eſſe, Eccleſiam errare non poſſe, Eccleſiam audiri debere non minus, quàm ſanctos libros, quando non alius ſit, qui per Eccleſiam loquatur, quàm is fuit, qui per eos locutus eſt, qui ſanctas literas nobis reliquerunt. Si noſtri aduerſarij non eodem, quo Donatiſtæ, animo & voluntate, veritatis ſcilicet oppugnandæ, ſacras literas legerent, facilè Eccleſiam Chriſti in libris Prophetarum, Pſalmorum, Euangelij, & Apoſtolorum literis adumbratam, ex-

In lib. de Eccleſia. quem fecit latinum Coruinus.

Cantic. 6.

Epheſ. 4.

In libello de Eccleſia.

preſſam, exhibitam, digitoq; oſtentam eſſe viderent. Vſurpat quidem Philippus eadem Auguſtini verba, cum ſe & ſuos Eccleſiam eſſe contendit, & nos ab eius ſacrarijs excludit: ſed nihil minus facit, q̃; id quod Auguſtinus fieri debere ſtatuit, quippe, qui eò tandem rem perducat, vt non in ſanctis libris, ſed in ſuis, & ſuorum gregalium ſcriptis Eccleſiã quærendam eſſe cõfirmet: ſed longe aliam viam ingrediatur oportet, qui Chriſti Eccleſiam agnoſcere & ſequi (ſicuti par eſt) velit, quàm ea ſit, quæ in iſtorum libris demonſtratur. Neq; enim negari poteſt, quin ipſi varias in partes & ſententias diſtrahantur, etiam tùm, cùm ea deſcribunt ſigna, quibus Eccleſia Chriſti dignoſcitur. Alius enim duo tantùm, alius tria, alius quatuor, multi complura ſigna eſſe volunt. Quin & idem ipſe Lutherus nunc tria, nunc ſex, nunc decem eà eſſe ſcribit. Nec eo conſtantior in hac parte eſt Philippus, qui varijs in ſcriptis varias Eccleſiæ notas depingit. Quo efficitur, vt qui in iſtorum hominum ſcriptis verſetur, atq; Eccleſiam apud eos quærat, is intelligat, ipſos nihil aliud operam dare, quàm vt incertum efficiant, vbi Eccleſia ſit: tantum abeſt, vt demonſtrare eam velint. Atq; ex eo quidem apparet, eos non quærere Chriſti Eccleſiam, ſed Sathanæ Synagogam, & meretricem Babylonicam, quæ contradicendi, rixandi, conuiciandi, & calumniandi materiam ſuppeditat, quibus rebus, ſicut alij ſuperiorũ ætatũ hæretici, noſtri tẽporis Euangelici mirificè delectantur. Quòd ſi hi homines, qui Chriſtianorũ orbis doctores, & reſtauratores Euangelij videri volũt, eũ ad ſcopũ ſacras literas legerent, ad quẽ ſcopũ & finẽ ſpectare eas docet Apoſtolus: & id, quod in eis quærendũ eſt,

In lib: de Eccl. & in alio, de Eccleſia & concilijs. In Dydimo Fauſt. & theſibus Lipſic.

ea, quam

ea, quam res tanta poſtulat, religione, & pietate quæreret: longè alios fructus ſtudiorum ſacrorum caperet, quàm hi ſunt, quos eorũ ſcripta nobis proponũt. Ante oïa enim illud intelligerent, pręcepti finem eſſe charita- *1. Tim. 1.*
tem, quæ à corde puro, conſciẽtia bona, & fide nõ ficta, proficiſcatur: & poſtea ad hæc tria, omnes animi vires & copias dirigerent, ac tandem cernerent, ſcripturæ ſummam ſimul & ſcopum eum eſſe, vt DEVM ea *Aug. de doct. Chriſt. lib. 1. cap. 35. & 36*
charitate, quæ illi debetur, colamus: & hominem nobis æqualẽ ac proximũ, eo amore, quo diligi ipſi vellemus, proſequamur. Quiſquis verò ſacras ſcripturas ſibi intellexiſſe videtur, dũ geminã hanc DEI, & proximi charitatem non ædificauerit, is ſe nondum cæleſtia oracula intellexiſſe ſciat. Quærendus eſt in ſacris ſcripturis *Rom. 12.*
DEVS: & quæ eius voluntas ſit bona, beneplacens, & perfecta, inueſtigandum. Sed purgandus eſt animus ab ijs affectionibus, quæ eum ſępe ab honeſto reuocãt, vt lucem illam & perſpicere valeat, & ad eam, quoad eius fieri poſsit, ſeſe adiungat, vt cum eo vnum efficiatur. Sed tunc demum animus rectè purgatur, cùm fide, *Aug. de doct. Chriſt. lib. 1. cap. 38.*
ſpe, & charitate, quibus tribus virtutibus ſacroſanctis, & ſcientia oïs, & prophetia militat, illuſtratur. Quòd ſi multi, vt inquit Auguſtinus, fidei, ſpei, & charitatis beneficio in ſolitudine ſine codicibus viuũt: & quid ab hominibus DEVS ſuo iure poſtulet, intelligũt: vitamq; ſãctè & ſumma cũ religione traducunt: quis dubitet, quin is, cui fides, ſpes, & charitas mẽtis oculos aperuerint, & lucis ſuæ præſidio roborauerint, in ſanctis libris intelligẽdis tãtos facturus ſit progreſſus, vt pręcepta inde hauriat, quibus & ſe, & alios, ſempiternæ beatitudinis participes efficiet? Atqui ad ſacros libros tractandos, quiſquis

aīum ante conuertat q̃; expiatus (vt diximus) fuerit, ex eo ſtudio, nō vitam, ſed perniciē & exitiū ſe cōparaturū eſſe credat. Sed quæres, qua ratione fiat, vt ad eā animi puritatē perueniatur, quę ſola DEI myſteria ritè percipere, & ſūmū ac maximū illud bonū, quod DEVS eſt, cōtēplari, ſeq; ei in piam ſeruitutē tradere poteſt? Vtilis ſane quæſtio hęc eſt, & oībus, qui ſacros libros intelligere cupiunt, neceſſaria imprimis: cui, ſi nos reſpōdere ad plenū vellem⁹, vix id opere, quod iuſti eſſet voluminis, poſſemus præſtare. Ne tamē inſtitutæ diſputationi defuiſſe videamur, quædā ex D. Auguſtino adducemus: q̃, qui diligenter obſeruauerit, &, quoad liceat, effecerit, maximo cū fructu & ſuo, & aliorū cęleſtes literas attinget. Cōſtituit igitur ille ſeptē gradus, quibus ad ſapientiam, id eſt, pietatem, ſicut ipſe alio in loco interpretatur, aditus patefit. Ita .n. ad ſapientiæ arcem aſcenditur, ſi ad cognoſcendā Dei volūtatē ipſius timore cōuertamur: atq; ex eo timore in nobis eiuſmodi oriatur cogitatio, q̃ & nos mortales eſſe, & futurū, vt moriamur, admoneat, & clauis quaſi quibuſdā eas motiones, quas ſuperbia parit, ligno crucis affigat. Atq; hūc quidē timorē ſequit ea animi ſubmiſsio & manſuetudo, qua & vitia noſtra agnoſcimus, & nos ob ea reprehendi minimè ægrè ferimus. Qui verò ita animum comparauerit, is demum id intelligit, in quo oīs ſcripturarum intelligentia conſiſtit: videlicet, quod DEVM quidem propter ſe ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: proximū verò, propter Deū, tanq̃; ſeipſum amare, & diligere debeat: quod antè facere nō poteſt, q̃; ſe, & earū rerū, q̃ fluxę & caducæ ſunt, amore implicatum, & ab ea charitate, qua deus colendus eſt, valde remotū eſſe cognoſcit. Deinde ſe ad Dei tribunal ſiſtendū eſſe cogitans, vitæ anteactæ

Quæſtio. *Reſponſio.* *Lib. de ſpiritu & lit. cap. 11.* *Lib. 2 de doct. Chriſt. cap. 7.* *Primus.* *Secundus.* *Tertius.*

maculas lachrymis abluit,& expiat, atq; aſsiduis precibus diuini præſidij cõſolationẽ impetrat,ne deſperatione frangatur: & incipit quartũ gradũ aſcẽdere,hoc eſt, fortitudinis,qui eſuriẽ,& ſiti iuſtitię generat. Quẽ gradũ quiſquis attigerit,is animũ ab amore earũ rerũ,q̃ facile pereunt,nec in eodẽ ſẽper ſtatu manẽt,auocat:atq; ad ea amãda & diligẽda,q̃ incõmutabilis illa,& vna,atq; eadem trinitas æterna eſſe voluit,traducit. Poſtea autem quàm (quatenus fas ſit) auguſtiſsimã illã trinitatẽ,radios ſuæ lucis vbiq; diffundentẽ, aſpexerit, ſeq; eã, præ oculorũ mẽtis ægritudine,ſuſtinere nõ poſſe perſenſerit, in quinto gradu,hoc eſt,in cõſilio miſericordiæ animũ tumultuãtẽ, & quodãmodo ſibi obſtrepentẽ atq; inſultãtẽ, ab ijs mũdabit ſordibus,quas de appetitione earũ rerũ,quæ fortunę imperio mortalibus tribuũtur,cõcepit. Deinde verò in diligẽdo proximo ita ſe exercebit,vt ad eũ etiã amãdum,& charitate amplectẽdũ, à quo iniuria aut dãno affect⁹ ſit,nihil omittat. Vbi aũt has dilectiõis partes,& numeros abſoluerit: efficitur,vt ab omni peccati labe caſtũ atq; integrum habeat oculũ,quo deus videri poteſt ab ijs, qui pro eo,ac licet,huic ſeculo moriũtur. Poſtremò iã Dei filius effectus,atq; in ſũmo ſapiẽtię domicilio collocatus, id,ad quod aſpirabat, adipiſcitur: & optatiſsimis ſapientiæ fructibus potitur. Atq; hi quidem ſunt gradus, Chriſtiane lector,per quos ad ſapientiam aſcenſus aperitur,quæ ſola ex ſanctis literis cognoſcitur. Iam tu mihi, per DEVM immortalem, cogita, mecumq; diligenter expende: an hi hõies,qui ſe Euãgelicos vocãt,quaſi Chriſtianorũ nomẽ vile ſit,& erubeſcẽdũ,ita animũ inſtituãt,vt & hos gradus,quos numerãdo recẽſuimus,teneãt: & per eos ſibi ad cæleſtes literas intelligẽdas viã ſternãt. Cogita (inq;) mihi, vtrum in

Quartum. Quintum. Sextum. Septimus.

his hoĩbus,qui noſtra ætate contra nos ſcribunt, & ſanctos libros præter Canonis Eccleſiaſtici ratione͂ explanãt,perſpiciatur timor ille,qui deteſtari peccata docet, ſuperbaſq; oẽs motiones extinguit,ac mortalis naturæ coditione͂ ob oculos ponit. Iam verò mihi expe͂de,an in his hoĩbus locũ habeat illa animi manſuetudo,q̃ facit,vt ſua quiſq; vitia agnoſcat, & ea à ſacris libris vituperari gaudeat. Cõſidera quęſo,vtrũ hi eò dirigãt ſuas oẽs cogitationes,& ſtudia oĩa: vt DEVM propter ſe,& proximũ propter deũ diligãt? An ſe totos rerũ te͂poralium,& fortuitarũ ſtudio addictos,& à Dei,& proximi charitate alienos eſſe intelligant? Hæc ſi tecũ atte͂tius cogitaueris, inuenies in hiſce hoĩbus, de quibus ſermo nobis eſt, ne micã quide͂ eius pietatis,quã iſti gradus cõmonſtrãt, apparere. Nihil illis inſole͂tius,nihil ſuperbius,nihil à dei timore,& extremi iudicij cogitatione magis alienũ eſt. Nihil non ſibi de Deo pollicentur. Modò credant,nihil ſibi nocere poſſe,ſtatuunt. Securos ſe, & certos eſſe iactant de ſua æterna ſalute, modò ſuam fiduciam in ſolo Chriſto locent,qua ſe eũ nõ aliter incluſum tenere prædicãt, q̃; Annulo gemma incluſa ſit: ſiue piè,ſiue impiè vitam inſtituãt, & ſe flagitijs cõtamine͂t: nihil hoc Deũ morari,qui illud tantũ ſpectet, vt fides in Chriſtũ ſuſcipiatur, atq; ſpes ſalutis in eius merito conſtituta habeatur: nec præterea quicquam ab hoĩbus requirat. Id vnũ ſi habeant,de oĩbus Chriſti hoſtibus,Diabolo, mundo, & carne victoriã reportaturos & triumphaturos, ac regnum cæleſte cõſequuturos ſe eſſe gloriantur. Cæterũ de charitate,de diligendo Deo & proximo, de mutuo amore & beneuole͂tia,qua Chriſtianorum ſocietas cõtinetur,nullũ verbũ fit. Imò verò (quod vel auditu horrendum

In Cõmen: in Epiſtol. ad Gal. Luth.

Luth. in Commen: in Epiſt. ad Galat. & Antinomi ubiq;.

rendum eſt)negant legē, q̄ charitatis officia præſcribit, poſſe cū Chriſto & eius doctrína ac fide cōuenire, quòd modis oībus alterum cum altero pugnet. Oīa deniq; apud eos fidei ſeruiunt, quæ homini cū dæmonibus cōmunis eſſe poteſt. Charitati verò, q̄ & in hac vita DEO hoīes ita cōiungit, vt cū eo vnus ſpiritus ſint, & vitę muneribus perfunctos ad cœlū perducit, & ſola perpetuò manet: ſiue fides prætereat, ſiue aboleatur prophetia, ſiue ſcientia tollatur: nullus apud eos locus relinquitur. Quid ergo? credibile eſt eos ad ſanctarū literarū intelligentiā aſcendere poſſe? Nōne in ipſis ſtatim primis gradibus offendūt & labaſcūt? Si deū & proximū non diligunt, quid aliud de eis ſcriptura pronunciat, q̄; quòd maneant in morte, & homicidæ ſint? Si autem mortui, & homicidæ ſunt, quod ad animi vitam attinet, quis nō videt eis ad ſapientiæ ſacraria aditum non patere? Quod verò neq; DEVM diligant, neq; proximum charitate, *Auguſt. in Epiſt. Io. tractat. 5.* quæ ſēper debetur, & ſemper reddenda eſt, & ſola filios regni à filijs Diaboli ſecernit, proſequantur: atq; ea de cauſa & mortui, & homicidæ ſint: ex eo patet, quòd vnitatem ſcindant, quę eſt vnículum pacis, cuius nodo, *Idem de doct. Chriſt. lib. 1. cap. 16.* tanquam nodo ſanitatis, Chriſtus Eccleſiā ſuam aſtringit, & conglutinat: vt eo colligata, terribilis: vt ordi- *Cantic.* nata caſtrorum acies, exiſtat. Quare ſapienter Augu- *Contra lit. Petil. lib. 2. capi. 77.* ſtinus: Charitas Chriſtiana, niſi in vnitate Eccleſiæ, retineri non poteſt. Qui ergo vnitatem Eccleſiæ lacerant, & quantum in ipſis eſt, diſsipant: ijs nihil eſt cōmune cum charitate, ſine qua Chriſtiani hoīs vita cōſtare nō poteſt. Sed dicūt ſe vnitatē ſeruare, neq; eius lacerādæ cauſam eſſe: fabulę ſūt. Credibile id ei fieret & veri ſimile, qui neſciret, hoīes iſtos ſeſe vltrò à nobis prę

cidiſſe, noſtrũq; cœtũ, & ſocietatem deſeruiſſe: & cùm prius vnus eſſet nobiſcũ vnius Paſtoris grex, idipſũ nobiſcum dicerent & ſentirent, eſſentq; cõpoſiti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, & in domo dei ambularent vnanimes: & eſſent nobiſcum vnũ corpus, & vnus ſpiritus, & vna aĩa, & vnum cor, atq; vnũ os, ſi externa fidei profeſsio, & doctrinæ ac Sacramentorũ cõmunio expendatur: poſtea ſibi nouum Euangelium finxiſſe, nouam Eccleſiam excogitaſſe, nouum altare, quod Catholicæ Eccleſiæ, vnde exierũt, altari aduerſaretur, cõſtruxiſſe. Nobis verò, quibus hæc omnia probè cognita & explorata ſunt, nunquã id poterunt perſuadere. Alijs iſta prædicent Nouatores, non nobis. Nonne ante quadraginta annos ei ſummo pontifici obtemperabãt, qui dei perſonam ad tempus in Eccleſia gerit? Nonne eadem Sacramenta, eandem doctrinam, & fidem, quã reliquus terrarum orbis ſeruauit, tuebantur? Nõne poſtea, duce & principe Martino Luthero, ab Eccleſia Catholica defecerunt? Nonne eorum pater & Idolum Lutherus, faſſus eſt, noſtros Eccleſiam Chriſti eſſe: & cùm ei authoritas illius opponeretur, quia ſuos, quòd pauci initio eſſent, Eccleſiam vocare non potuit, euangelicos nominauit? Nec ante auſus eſt ſua conuenticula Eccleſiam vocare, quàm iuſtum numerum diſcipulorum collegiſſet? Nõne apertè dixit, ſe Eccleſiam agnoſcere, eiuſq; autoritati plurimũm tribuere, ſed malle euangelio obtemperare? Nõne hoc nomen Euangelicorum tunc primum auditum eſt, cùm ſuam doctrinã propagare cœpit Lutherus? Quis ergo non videt tunc primum ab eo factã fuiſſe vnitatis Eccleſiæ ſciſsionem & diſsipationem, cùm ad nouum errorem tegendum, nouum nomen excogitatum eſt: vt qui Chriſtiani pri-

Pſalm. 67.

us voca-

us vocabantur à veteri & antiqua Chriſtianæ religionis puritate, ij à noua doctrina, & prophana euangelicæ veritatis ſimulatione, euangelici nuncuparentur. Nonnè profeſſus eſt Lutherus, ſe Romanam Eccleſiam pro Catholica & vniuerſali eccleſia agnoſcore, & eius Pō-tificis vocē pro voce CHRISTI in eo loquentis & præſidentis habere? Nonnè Philippus Auguſtæ apud Cardinalem Cāpegium, qui ſummi Pōtificis legatus in Aula Cæſaris erat, palàm dixit, ſe eccleſiā Romanā, tanq; eā, quę Chriſti Eccleſia eſſet, & ea quæ ad res ſacras pertinerēt, ſtatuere poſſet, orare, vt de ſummo iure nōnihil remitteret, & tria, quæ ipſi poſtulabāt, cōcederet: in reliquis ſe ei perpetuò obtemperaturos eſſe? Nōne ille idē Lutherus palā affirmat, ſe tāq; ſūmo CHRISTI vicario Pontifici parere in omnibus velle, modò ſuam illam, & apud ſe natam de ſola fide doctrinam recipiat? An non Iohannes Caluinus diſertè profitetur, Eccleſiam Romanam in omnibus ſemper orbis terrarum oris principatum tenuiſſe, atq; Eccleſiæ vniuerſalis caput fuiſſe? Tunc ergo Lutherus, & qui in eius verba iurarunt, Eccleſiæ CHRISTI vnitatē lacerauerunt, cùm ab obedientia Romanę Eccleſiæ diſceſſerunt, & ea fide, quam illa ſequebatur, repudiata, ſuam quiſq; fidē & doctrinā elegit. Ac cum prius vna oīum cōfeſsio eſſet, qua oēs vnā, ſanctā, Catholicā, & Apoſtolicā Eccleſiā amplectebantur, diſceſsione illa effectū eſt, vt innumeræ fidei cōfeſsiones, & fides, prodierint in lucem, & ex vna fide, quam ſacra ſcriptura commendat, apud eos fidium quidam ludus factus ſit: atq; illud eis euenerit, quod olim Arrianis eueniſſe Hilarius ſcribit, cum ita ait: Qui poſtquā noua potius cępit condere, quàm accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit: & facta

eſt fides

In Epiſtol. ad Pontif. Max. Leonem. Et in Actis Auguſt. Ego frater Martinus etc. fo.4.2.

In ſcripto quod Auguſtæ exhibuit Car. Campegio.

In Com. epiſt. ad Gal. c.2.

In lib. inſtit. Chriſtianæ.

Lutherus ex una fide effecit ludū fidiū.

In lib. ad Conſtant. Auguſtum.

eſt fides temporum potius quàm Euangeliorum: dum & ſecundũ annos ſcribitur, & ſecundũ confeſsionẽ baptiſmi non tenetur. Periculoſum nobis admodũ, atq; etiã miſerabile eſt, tot nũc fides exiſtere, quot volũtates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarũ pullulare, quot vitia ſunt: dũ aut ita fides ſcribuntur, vt volumus: aut ita, vt volumus, intelligũtur. Et cùm ſecundũ vnũ DEVM, & vnũ dominũ, & vnũ baptiſma, etiã fides vna ſit, excidimus ab ea fide, quę ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id cęperunt eſſe, ne vlla ſit. Conſcij .n. nobis inuicem ſumus, poſt Nicęni cõuentus ſynodum, nihil aliud quàm fidẽ ſcribi. Dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dũ de Autoribus querela eſt, dum de ſtudijs certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri Anathema eſſe cępit, propè iam nemo CHRISTI eſt. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: &, aut dum docemus, perturbamus: aut dum docemur, erramus. Tunc ſcilicet primũ, cùm ab Eccleſia Romana ſeſe Lutherus ſegregauit cũ ſuis, aditus apertus eſt ad CHRISTI tunicã dilacerandã, ad CHRISTI corpus diuidẽdũ, atq; eius mẽbra diſsipanda. Hinc illa prodijt licẽtia lõgè perniciosiſsima, vt quiſq;, quod liberet, ſẽtiret: hic ortę ſunt tot fides, quot volũtates: tot dogmata, quot capita: tot blaſphemiæ, quot vitia. Hinc illa nata libertas eſt, vt cuiq; ſuarum manuum idola, id eſt, capitis ſui ſomnia liceret colere. Hinc illa confeſsionum, ſeu potius confuſionum mõſtra: Auguſtana, Saxonica, Vuitẽbergica, Magdeburgica, Sacramẽtaria, Anabaptiſtica: & cõplures aliæ, quæ numerari vix poſſunt. Antea enim vna totius Chriſtiani orbis confeſsio erat. Credo: vnã, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Hæc

Confeſsionum varietas unde nata.

Ante Lutherũ una erat Chriſtianę fidei cõfeſsio.

vna

vna confeſsio, quam omnes vno ore amplectebantur, Chriſtianos facit: vt contra, cæteræ omnes hæreticos reddunt. Ab eo tempore, quo hæc vna confeſsio reiecta à filijs deſertoribus fuit, & noua hominum cōmenta recepta ſũt, accidit, vt ex vna Chriſtiana fide, libertas quædam Philoſophica facta ſit, qua cuiq; mortalium licitum eſſet, nouam ſectam inſtituere, & diſcipulos colligere, atq; eos de ſuo nomine vocare. Vt ſicut olim à Platone Platonici, & à Stoa Stoici, ab Ariſtotele Ariſtotelici, & à Gnathone Gnathonici cognominati quidā ſunt, ita à Luthero Lutherani, à Philippo Philippiani, Caluiniani à Caluino, Zuingliani à Zuinglio, ab Oecolāpadio Oecolāpadiani, à Flacco Flacciani nūcuparentur. Atq; vt dicam, quod ſentio, vix tot Philoſophorū, tamq; varias diſsidenteſq; ſentētias potuit Diogenes Laërtius, qui eorum vitas literis mandauit, recenſere, quot nos hæreticorum noſtri temporis opiniones diuerſas, & mutuò ſecū pugnātes poſſumus numerare. Qui tot in Eccleſiā CHRISTI mala inuexere, qui tantum errorum colluuiem, quanta noſtra ætate cernitur, peperêre? Qui hæreſes ſuperioribus ſæculis damnatas, & iam multis ab hinc annis ſepultas, reuocarunt in lucem, atq; ex ſingulis, quòd Arrianos feciſſe tradit Ambroſius, venena collegerunt? Qui talem hydriam, qualem fingunt Poëtæ, cuius vno capite amputato, mox plura naſcerentur, in DEI populum intulerūt? Qui nouam ſibi Eccleſiam conſtruxere? & legem, ſacerdotium, ſacrificium, & CHRISTI regnum abolere voluerunt? Qui, quæcunq; viſum eſt, in Chriſtiana religione, vel imitarunt, vel peruerterunt, vel planè abrogauerunt, eos quis non videat violandæ

In Eccleſiam à Luthero Philoſophica libertas introducta.

vnitatis

vnitatis principes & magiſtros fuiſſe. Sicut olim Dathan & Abyron eam concordiam, qua tota Iudæorum ſynagoga, vnius ſummi Sacerdotis nutu & voluntate regebatur, labefactarunt, ac tollere omninò voluerunt. Quicquid dixerint, nihil nos moratur: ſemper illud obijciemus: „ Ex nobis prodierunt: Sed non erant ex nobis.

1. Ioan. 2. „ Nam ſi ex nobis fuiſſent, vtiq; permanſiſſent nobiſcum.

„ Sed maneant vbicunq; velint, quandiu extra caſtra matris, quæ eos in Christo regenerauit, fuerint, vnitatis

August. ad Bonifa. Epiſt. 90.

hoſtes erunt. Atqui non poteſt eſſe particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis: nec accipiet lucem ſancti ſpiritus, quem cor vnum, & anima vna, atq; os vnum reliquis fratribus non coniunxerit, arctoq; vnitatis vinculo copularit. Iam verò cùm omnes hi, quos nominaui, quiq; ſe eis in diſciplinam dedicarunt, contra vnam ſponſam, & vnum CHRISTI corpus bellum gerant, ac proinde vnitatem oppugnent: efficitur, vt neq; ament DEVM, neq; proximum diligant, ſicut lex DEI præcipit. Ex quo illud profectò conſequitur, vt neq; ſanctorum librorum quæ mens ſit, percipere valeant, ad quam charitas aditum patefacit. De ſuperbia autem, ambitione, & cupiditate, qua ipſi affectant primos accubitus

Lucæ 14.

in menſa, & ſedes in Synagoga, & optant appellari magiſtri, & ſuperintendentes, nihil attinet dicere, cum ea de re explicatum paulò ante à nobis ſit. Id, qui memoria repetat, intelliget eos multum & longè abeſſe ab ea

Lib. de doctr. Chriſt. 2. ca. 7.

ſubmiſsione & manſuetudine animi, quæ, ſicuti D. Auguſtinus ait, in quarto collocat gradu ſtudioſos ſapien-

In aſſert. art. 31.

tiæ, & facit, ut eſuriant & ſitiant iuſtitiam. Quam iuſtitiam, tantùm abeſt, vt iſti eſuriant & ſitiant, vt nihil ſit,

3. Ioan. 2.

quod maiori odio proſequantur. Nam cùm Iohannes dicat,

dicat, qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: & iuſtitiæ nomine, bona opera intelligat: Iſti contrà, omnia rectè facta, & ſancta opera, peccata eſſe: & iuſtum hominem in omni bono opere peccare, contendunt: & qui ſe, ſuamq́; vitã virtutibus ac ſanctis actionibus ornare ſtudeat, eũ apud DEVM nihil effecturum: imò, quod grauius eſt, DEI in ſe iram concitaturum eſſe. Atq;, vt id quàm impudenter & temerè aſſerant, videas, audi quid de bonis operibus ſcriptum reliquerit, mendaciorum, & quinti Euangelij fabricator Lutherus: vt ergò viſitator iſte, inquit, cum Papiſtis vniuerſis magis iraſcatur, dico, opus bonũ etiam optimè factum, eſſe veniale peccatum. „ Quin „ imò, vt vehementius iraſcatur, reuoco vel moderor „ hunc articulum hoc modo: Opus bonum optimè fa- „ ctum, veniale peccatum eſt, ſecundum miſericordiam „ DEI: ſed mortale peccatum, ſecundum iudicium DEI. „ Egregia ſanè ſententia & digna, quæ ab eo ſpiritu prodiret, qui non ſpectat, quid verum ſit, & relligioni Chriſtianę conſentaneum: ſed quid comminiſci poſsit, quod & alios ad iram cõmoueat, & ipſius libidini ſatisfaciat. Vt iſte, inquit, viſitator cum Papiſtis vniuerſis magis iraſcatur, & vehementius commoueatur. Non vt vera dicam: non quia CHRISTVS hoc ſtatuit: non quia ſcriptura hoc ſentit, & affirmat: nõ quia Prophetę, & Apoſtoli hoc docuerunt, & Euangelium aſſerat: ſed vt ego Papiſtis bilem accendam, vt libidini meæ morem geram. Nam, modò ei ſeruiam, & Papatui officiam, nihil penſi habeo, errem ne, & mentiar: an, quæ vera ſunt & Chriſtiana, loquar. Videsnè, quanto, ſpiritus iſte vertiginis, contradicendi & veritati repugnandi ſtudio flagrarit? Intelligisnè paratum eum fuiſſe ad quæuis

In ſermone de piſcatura Petri.

In aſſertio. art. 32.

Temerarius Lutheri animus.

mendacia cõfingenda, modò aliquã Põtifici ſummo, & Eccleſiæ Catholicæ moleſtiã adferret? Sed quid mirũ eſt, eum hæc dixiſſe, qui, dum ſummũ Põtificatũ euertere cuperet, eo aío ſe fuiſſe ſcribit, vt nõ dubitaret negare, verũ CHRISTI corpus & ſãguinẽ eſſe in Euchariſtia, niſi id Carolſtadius anteuertiſſet? Iã rogo, Chriſtiane lector, tu ipſe iudica: hi nè gradus, quos Lutherus & ipſius ſectatores ſequũtur: an illi, de quibus Auguſtinus verba facit, ad ſapiẽtiæ arcẽ perducãt. Sed age, paululũ mecũ etiã nũc expẽde & cõſidera, num ad aliquẽ triũ ſequẽtiũ graduũ adire eis liceat. Quintus gradus ijs dũtaxat ſe patefacit, qui ea pro nihilo habent, quæ à fortunæ volũtate pendẽt, & fluxa ac caduca ſũt. Quid ergo? quî fieri poteſt, vt ea iſti hoíes cõtemnant, quos tanta ambitione bonorũ cupiditate, & plus habendi ſtudio ardere cõſtat, quãto nullo vnquã tẽpore verę religionis aduerſarij flagrarũt? Nõnè Tragędiæ huius, ſicuti anteà diximus, initiũ ab ambitione & auaritia eſt ortũ? voluptatũ aũt & vẽtris, ac libidinis, q; fuerit ſtudioſus & amãs Lutherus, ex eo perſpicitur, quòd vt libidinem expleret, abiecta cuculla, virginem, quæ ſe DEO conſecrauerat, quod præteritis ſæculis inauditũ fuerat, è cœnobio abduxerit: atq; ea, quod vitæ ſuperfuit tẽpus, abuſus ſit: ieiunia oía, vt vẽtri obſequeretur, abrogauerit: &, vt auaritiæ ſuæ obtẽperaret, cænobiũ amplũ & redditibus cumulatè auctũ, à Duce Saxoniæ obtinuerit, atq; ad ſuas voluptates cõuerterit, vt nõ temerè dixerit Eccius: Lutherũ lupã & opes, ſicuti optauerat, nactũ fuiſſe. De reliquo nihil neceſſe eſt nũc dicere. Nã, ſi hæretici oẽs (vt ſuprà demõſtrauim⁹) Pauli teſtimõio carnales ſũt et carnis mãcipia, quis dubitet, quî & auari ſint, & rerũ fortuitarũ amore capiãtur? Sed dices, fieri poſſe, vt ſextum gradũ attingant.

In epiſt. ad Argentinenſes.

Auaritia, & libido Lutheri.

In Replic. Apolog. con. Buc.

Galat. 5.

attingant. At verò id quàm nulla fieri ratione poſsit, ex eo potes intelligere, quòd nō multo antè probauimus: hæreticos huius temporis, neq; erga DEVM, neq; erga proximū Chriſtiana charitate affectos eſſe. Quomodo ergo fiet, ut inimicos diligāt, & eos ament, à quibus aliqua re violati ſūt: quod Sextus gradus faciēdū eſſe præſcribit? Iam uerò, ſi ſex gradus, per quos ad ſapientiā aſcendere licet, ij homines, qui nouos errores ſeuerūt, nō attingūt, quomodo ad ſeptimum peruenire poterunt? qui homines in firmiſsimo ſapientiæ domicilio collocat: in quo, qui fuerit, ſacros libros rectè intelliget, & diuina myſteria atq; abſcōditos ſapiētiæ ęternę theſauros percipiet? Cū ergo illi nō ab hoc tantū gradu, ſed à reliquis etiā prioribus quàm longiſsimè poſiti ſint, fieri nequit, ut ſanctas literas intelligant. Quod quidem ex eo etiam apertū eſt, quòd in eis nequaquam ij fructus cernūtur, quos ij percipiunt, qui in ſanctis libris piè uerſantur. Nam ſcientia rerū cœleſtium, inquit Auguſtinus, bonæ ſpei hominem, ſe non iactantem, ſed lamētātem facit. At uerò quid ijs hominibus ſuperbius, quid elatius, quid iactantius vnquàm fuit? Suā quiſq; ſectam, ſuū quiſq; cōmentum, ſui quiſq; capitis ſomnium tanto ſtudio & cōtentione defendit, vt alterius iudicio nihil omninò tribuat. Putare forſan aliquis poſſet, à me hæc fingi, ſed is audiat, quid de ſe prædicet hæreticorum Pater Lutherus: quàm magnificè ſe Euangeliſtam eſſe iactet. Ego, inquit, certus ſum, quòd CHRISTVS ipſe me Euāgeliſtam vocat ac reputat, qui doctrinæ meæ Magiſter eſt, atq; etiam teſtis erit in nouiſsimo die, quòd mea non „ ſit, ſed ipſius purum Euangelium. Audiſti nouū Pro- „ phetam, nouum Apoſtolum, & Euangeliſtam, qui non

De doctri. Chriſt. lib. 2. cap. 7.

Lib. contra ſtatum Eccleſię.

Aug. contra Epiſt. funda. cap. 6.

minore ſupercilio & arrogantia (quàm olim Manichęus Apoſtolum) ſe CHRISTI Euangeliſtã vocet? Atqui neq; ea gloriatione ſibi ſatisfactum eſſe putauit. Nam eò ſuperbiæ & iactationis progreſſus eſt, vt veritus non ſit dicere, Euangelium tam copioſè à ſe, & ſuis prædicatum fuiſſe, vt ne Apoſtolorum quidem tempore tam clarum vnquàm fuerit. Quis ad hæc non obſtupeſcat? Quis non hîc Luciferi mentem & ſpiritum in eo homine fuiſſe clamet? An ideo eius tempore quàm Apoſtolorum, purius (vt ille gloriatur) prędicatũ Euangeliũ eſt: quòd Deus cum ipſo q̃; cum Apoſtolis, ſua arcana copioſius & familiarius communicauerit? Atqui iſte ijs verbis non aliud de ſe concipere viſus eſt. Sed imitatus perbellè eſt patris ſui, & fratrum ſuorum ſpiritum. Nam & Valentinus, & eius commilitones, tam elati & de ſe alta ſapientes, fuiſſe dicuntur, vt ſe non Epiſcopis tantùm, quibus tum cura Eccleſiæ credita erat, ſed ipſis etiam Apoſtolis doctiores & ſapientiores eſſe iactarent. Apoſtolos .n. CHRISTI doctrinam legalibus documentis adulteraſſe: ſe verò puram, & ab omni externæ opinionis admiſsione integram eam tradere. Quis non hîc affirmet Valentini animum regeneratione quadam Pythagorica in Lutheri corpus ſeſe inſinuaſſe? Nam & Lutherus conqueritur Euangelium doctrina legis obſcuratum eſſe. Quare & Moſen & legem reijcit, & CHRISTO cum eis nihil commune eſſe prædicat. Sed neq; hîc pedem fixit nouus Helias. Altius aſcendere voluit, nihil veritus futurum, ne grauiore rueret caſu. Ego, inquit, neq; Papæ, neq; Imperatori, ſed ne angelo quidem de cœlo doctrinam meam ſubmittere iudicandam

Serm. de deſtruct. Hieruſalem.

Irenæus lib. 3. cap. 2.

In ſerm. de Moſe Vuitembergæ anno 1526.

Lib. contra ſtatum Eccleſiæ.

candam volo. Sed quoniam de ea certus ſum, per eam „ iudex eſſe volo, non modò hominum, ſed etiam cun- „ ctorum angelorum. Quia iudicium meum, dei iudici- „ um eſt. Quid ad hæc dicis Chriſtiane lector? Poteſt „ ne quidquam eo homine ſuperbius cogitatione adumbrari? CHRISTVM iudicandi poteſtate, quam illi *Ioan. 5.* pater tribuit, priuans, teſtem conſtituit: ſe verò, & hominum, & angelorum omnium iudicem facit. Quinetiam ſuum iudicium dei æquat iudicio? An non palàm „ in Luthero agnoſcis ſpiritum eius, qui dixit: Ponã ſoliũ *Eſaie 14.* meum ſuper nubes: aſcendam, & ſimilis ero altiſsimo? „ Hæc cùm ita ſint, quis in aĩum inducat, vt credat, Lutherũ & qui ab eius ſchola procreati ſunt, ad illius ſcientiæ agnitionẽ perueniſſe, quæ, vt Auguſtinus ait, nõ iactãtẽ, ſed lamentantem ſe facit? An non hæc apertè demõſtrãt, eos nihil ſimile habere cum hac ſciẽtia, quæ ex ſacris literis diſcitur: & animum ſubmittere, ſeq́;, & ſuam imbecillitatem agnoſcere docet? Tales.n. homines tam ab omni humanitatis natura alienos, tam alta de ſe prædicantes, ſeq́; tam magnificè extollentes, an intra ſua ſacraria admittet ſpiritus ille ſanctus, qui nihil æquè ac ſuperbiam, atq; animi elationem execratur? Nihil certè minus quàm hoc credibile eſt. Diuinæ enim literæ *Sanctæ literæ à quibus intelligantur.* ijs aperiuntur, qui puro ac ſimplici, atq; ab omni peccati labe integro corde ſacras ſcripturas ſcrutantur, iugiq́; labore, & animi puritate, ac continuis vigilijs ſe ad eas intelligendas præparãt: & fideliter atq; humiliter in eis Deum, & ipſius voluntatem requirũt. Rectè Diuus Dionyſius, Pauli Apoſtoli diſcipulus, & Theologorũ facile Princeps: *De Eccleſia. hierar. cap. 2.* Diuina, inquit, non capit, qui Dei mãdata nõ ſeruat. Et Clemens Alexandrinus presbyter, qui „

Strom. lib. 1. nõ multis poſt eum ſæculis claruit. Faciẽtes dei volũta-
Lib. de Theolog. 1. tẽ, volũtatẽ eius cognoſcimus. Nõ.n. (ait Gregorius il-
,, le cognomẽto Theologus) cuiuſuis eſt hoĩs de DEO di-
,, ſputare, & ſacras literas intelligere. Nõ hęc adeò res vi-
,, lis eſt, & eorũ, qui etiamnũ humi ſerpentes, terrenis ſtu-
,, dijs occupantur. Quoniã eorũ tantũ eſt, qui inter mul-
,, tos, habito delectu, ad tantũ mun⁹ videant̃ idonei: quiq;
,, contẽplandi acumine cæteros antecellũt: qui iã antè, &
In Epiſt. ad Gregor. Nazianz. de vita ſolitaria. corpus & aĩum ab affectuũ ſordibus purgarũt. Quĩetiã
magnus ille Baſilius, docẽs, quãta animi puritate libri ſa
cri ſint tractãdi: Quemadmodũ, inquit, in cera ſcribere
,, quis nõ poterit, niſi characteres impreſſos deleuerit: ſic
,, nec aĩa, diuina dogmata deguſtare, niſi priſtinos ex aĩo
,, mores penit⁹ extixerit. Si quis aĩum ita, vt dixim⁹, à vi-
tijs purgauerit, & priſtinos ex eo errores, ac turpes mẽ-
tis motus abſterſerit: is demũ vtiliter & cũ fructu ſãctos
libros leget: is alius multò fiet q̃; prius erat: is omnẽ ani-
mi feritatẽ, oẽs vitiorũ labes, turpes oẽs cogitationes ex
aĩo delebit: & ita de ſcriptura ſacra iudicabit, vt eã luci-
Auguſt. contra lit. Parm. lib. 3. cap. 2. diſsimo ſpeculo ſimilẽ eſſe cogitet, in quo quiſq; vitia &
maculas aĩ ſui cõtẽplari, atq; apertè videre poſsit: ac ſe-
quẽs ſãcti cuiuſdã & docti viri cõſiliũ, quicquid in ſacris
literis reprehẽditur, id nõ cõtra aliũ q̃; cõtra ſe dictũ in-
Marcus heremita de lege ſpirituali. terpretabit̃. Ac cũ odiũ, vel auaritiã, vel ambitionẽ, vel
cõtẽtionis, & vanæ atq; inanis gloriæ ſtudiũ, vel immo-
dicã plus habẽdi cupiditatẽ, cõpluraq; alia motionũ ge-
nera, q̃ aĩum perturbare ſolẽt, vituperari viderit: tũ talia
vitia in ſe carpi intelliget, quòd eis ſe laborare ſciat: &
quid de ſuo habeat, & DEO quid debeat agnoſcet: mox
q̃; illud ſtudebit, vt ita vitã emẽdet, ne aliquod deinceps
taliũ affectionũ veſtigiũ in ſe oſtẽdat. Is eſt ſacrorũ ſtudi
orũ fructus. Hæc parit cõmoda ſanctarũ literarũ lectio.
Qui ſacros libros cùm legit, hęc bona ſe nõ ſentit perce-

piſſe, eſt, quòd eũ pudeat: quia nõ eã ex ſactis literis vtilitatẽ capiat, quam Socrates cępit ex philoſophia: cuius ille ſtudio turpes aĩ motus repreſsit, atq; adeò imperio rationis ſubiugauit. Quòd ſi hi, qui ætate noſtra purũ ſe DEI Euãgeliũ docere gloriãtur, ſãctæ ſcripturæ lectionẽ ad hũc finẽ inſtituẽdã eſſe intelligere vellẽt, in eis expreſſa cernerent ea vitia & peccata, quibus ipſorũ animi inquinati ſũt: & mentis oculos aperirẽt ac viderent, planeq; cognoſcerẽt, ſe vel odio aliorũ, vel inuidia, vel animi elatione & ſuperbia, vel cõtentionis & inanis glorię cupiditate, vel ĩmodico plus habendi acquirẽdiq; deſyderio, vel libidinis explẽdę appetitu duci: quib⁹ affectionibus qui liber nõ fuerit, is haud ſanè poterit veritatẽ puro mentis oculo intueri, quando verũ eſt illud Poetæ. Cicero de fato.

Male uerum examinat omnis

Corruptus Iudex. Horat. Serm. 2. Satyra 2.

Si, quęcũq; in ſãctis literis legũt, ea cõtra ſe dicta eſſe acciperent, illud profectò eniterent atq; pugnarẽt, vt & rectius vitæ genus in poſterũ ingrederent, & aĩos ab ijs perturbationibus, quas cõmemoraui, vacuos gererent. Queritur Ioãnes Roffẽſis Epiſco. vir vt doctiſsimus, ita maximè ſãctus, ac dignus, qui, quod glorioſa morte meritus eſt, publico Eccleſiæ ſuffragio, ac ritu ſolẽni in eorũ numerũ cooptetur, qui ſacroſanctũ IESV CHRISTI Euãgeliũ ſanguine ſuo cõfirmarũt atq; obſignarũt: q̃rit (inq̃;) ille, noſtro tẽpore plures eſſe, qui ideo ad rerũ diuinarũ ſtudiũ ſe cõferãt, vt inde ſibi doctrinę laudem & opinionẽ potius apud alios cõparẽt, q̃; vt cęleſtibus pręceptis aĩum ad virtutem inſtituãt, & meliores ac diuinarũ legũ obſeruãtiores euadãt. Ac dubiũ quidẽ nõ ẽ, quin apud noſtros quoq; nõ pauci ſint, qui ob id ſancta ſtudia ſectentur, vt eruditi habeãtur, & aliorũ ore celebrẽtur: In refutat. proœmij Lut. aſſert.

quod hominũ genus reperiri inter Catholicos dolendũ quidẽ eſt. At verò qui tales ſunt, vereãtur neceſſe eſt, ne eis accidat, quod olĩ accidit Phariſæis & ſcribis: qui ſcrutabãtur ſcripturas, vt haberẽt quæ dicerẽt bona: quãuis
„ facerẽt mala. De quibus in libro ſapientiæ: Quærũt, in-
„ quit, me mali, & nõ inuenient. Quod aũt attinet ad eos, qui ſe ab Eccleſia ſeparauerũt, illud tibi perſuadeas oportet: aut oĩbus, aut certè pleriſq;, dũ ſanctis literis ſe addicũt, nihil aliud eſſe in optatis, q̃; vt nominis immortalitatẽ ſibi pariãt: & aliorũ, qui ſeparatiõis principes fuerũt, errores ſtabiliãt: ac plures etiã hoĩes, ſi poſsĩt, ad ſuas partes pertrahãt: Chriſtiq; Eccleſiã oppugnẽt, & cõtra ſummũ eius Põtificẽ, vniuerſũq; Antiſtitũ ac ſacerdotũ ordinẽ, quæcũq; ſcelera, flagitia, ac cõuitia cõfingere poſsint, euomant: & Eccleſiaſticos magiſtratus in odiũ & cõtemptũ aliorũ adducant: patrũq; ſanctiones & ſtatuta Maiorum irrideant, atq; alijs irridẽda proponãt: ac eius diſciplinæ, qua Chriſtiana Reſp. cõſtat, ſeueritatẽ ſuggillẽt: & argumẽta rationeſq; cõminiſcãt, quibus ſuas, & aliorũ prauas ac cõſceleratas voluptates defẽdãt, recteq;, ac Chriſtianè, & Euãgelicè (vt ipſi dicũt) facta eſſe cõfirment. Adeò verũ eſt, quod Clemẽs Alexãdrinus ſcribit, hæreticos nõ legere ſcripturas, vt ædificent: quod propriũ charitatis eſt offitiũ: ſed vt perdãt, & à veritate ad errores & mẽdacia abducãt. Et quia hũc finẽ, quem Clemens dicit, propoſitum habent, cùm ſanctos libros legunt, fit DEI voluntate & permiſſu, vt eum ſacris literis ſenſum affingant, qui cum mente ſpiritus illius ſancti, cuius afflati numine ſancti hoĩes locuti ſunt, vehemẽter repugnet. Qua de re ſapienter Auguſtinus: Nam & ipſi, inquit, hæretici, ex eodẽ arcu, id eſt, ex eiſdẽ ſcripturis in aĩas non charitate inflãmandas, ſed

Hæretici noſtri temporis quid in ſcripturis quærant.

Strom. 1.

Hæretici non legunt ſcripturas, ut ædificẽt, ſed ut deſtruant.

2. Pet. 3.

Enar. in pſal. 7.

venenis

venenis perimendas inſiliunt: quod nõ cõtingit, niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidẽtię etiã iſta diſpoſitio tribuẽda eſt. Nõ quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat, cùm peccauerint. Malo.n. voto per peccatũ legẽtes, malè cogũtur ĩtelligere, vt ipſa ſit pœna peccati. Ex eo tã prodigioſæ & horribiles opiniones, & errores apud hæreticos oriũtur, quòd non ideo ſcripturã euoluãt, vt charitate, quã illa perpetuò prædicat, & inculcat hoĩum pectoribus, aĩas inflãment, atq; ad Deũ & proximũ diligendũ, qua in re vna cõſiſtunt lex & Prophetæ, accẽdãt: ſed vt inde argumẽta & rationes colligãt, quib⁹ ſua ſõnia veri faciãt ſimilia, & quos decipere poſsint, eos veneno ſuorũ errorũ occidãt, ac planè vitæ cæleſtis luce priuẽt. Quod vbi effecerĩt, nihil ſanè aliud cõmodi inde reportãt, q̃; quòd ſe quoq; ipſi cõficiũt, atq; vltimo gehẽnæ ſuplicio dignos reddũt. Quare meritò D. Ambroſius eos proditores vocat, & cõparat Iudę proditori, qui & CHRISTVM prodere voluit, & ſeipſũ in cruciatus æternos pręcipitẽ dedit. Tali (inquit) hęreticus, quali Iudas pęna dãnatur, vt idẽ ſui & reus ſit ſceleris, & iudex vltionis. Ea pœna eſt, qua afficiuntur ij, qui è ſacris literis nõ cõſilia, quibus ædificẽt: ſed venena, quibus ĩterficiãt, hauriũt. At lõgè aliò, q̃; iſti tẽdunt, ſpectare ſcripturas, demõſtrat Paulus, cũ de eis ita loquitur: Oĩs ſcriptur a vtilis eſt ad docẽdũ, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus. Quæ verba exponens beatus ille Chryſoſtomus: Ad docendum, inquit, ſi quid vel diſcere vel ignorare opus ſit, illic addiſcemus: ſi arguere falſitatẽ, ĩde haurięm⁹: ſi corrigi, ſi caſtigari, ad exhortationẽ, ad ſolatiũ: ſi quid deſit & oporteat

Pœna peccati, quòd heretici malè ſanctos libros intelligant.

Serm. de tem. paſs: 30.

Heritici proditores, & Iudę ſimiles.

2. Timoth. 3.

Cur ſacra ſcriptura nobis prodita ſit.

teat adipiſci, ex ea nihilominus diſcimus. Et pauló póſt: pro me ſcripturas habes, ſi quid addiſcere cupis, hîc poteris. Vides quid intueri aīo debeat, qui eũ ex ſāctis literis fructũ percepturus ſit, quē in eis ſpiritus ſāctus proponit? Videlicet, vt q̄ ignorat & ſcire opus eſt, inde diſcat: vt ſcripturarũ teſtimonijs nō ad veritatē oppugnādam, ſed ad falſitatē arguendā & cōfutandā, vtatur: vt verbis peccantes caſtiget, & autoritate diuinorũ oraculorũ à maleficio reuocet, atq; in officio cōtineat: vt, quid fugere, quid ſequi cōueniat: ex eis doceat, vt eos, qui aut ſcelera ſua lachrymis purgāt, & præteriti tēporis maculas abluunt: aut deſperatione franguntur & debilitātu r, ad cæleſtia ſperāda, ijs ratiōibus, quibus ſcriptura plena eſt, erigat & ſoletur: vt eis præceptionibus ac legibus, quas illæ continent, hoīes ita inſtituant, vt in religione Chriſtiana perfectos eos reddant, atq; ad omne opus bonum inſtructos: vt ſcripturæ tandem nobis pro Paulo ſint. Si .n. Paulus in viuis eſſet, quid aliud doceret, q̄; ea, quæ cōmemoraui? At qui hæc vult, vt ex ſacris literis, quaſi ex ipſius ore hauriamus. Iā rogo te, mi lector Chriſtiane, mihi cogita, an iſti ideo ſāctis literis dēt operā, vt inde ea documēta capiāt, quibus doceāt, quæ vera ſũt: falſa arguāt, & refellāt: delinquētes corripiāt: hoīes ad iuſtitiā, & ſancta opera inſtituāt. Si cōſideres, quod fuerit initiũ eius ſeparationis, qua ſe à nobis ſegregarũt (quod facere minimē debuiſſent) intelliges, non alio eos quàm perdendi cōſilio, & ſacra ad hũc vſq; diē ſtudia tractaſſe, & in poſterũ tractaturos eſſe. Lutherus, qui primus oīum mortalium noſtro tēpore auſus eſt Chriſti corpus ſcindere, & varias in partes ſecare, dum diſputaret cum Iohanne Eccio Lipſiæ, et ab amicis admoneretur, vt modeſtiæ ſeruiret, cuius iam fines violaſſe videretur, in

In diſput. Lipſica.

cauſa præſertim DEI, de qua tum ageretur, reſpōdit, eā rē neq; propter Deū cęptā eſſe, neq; fore, vt propter eū finiretur. Tecum, quæſo, expēde, quiſquis es Chriſtiane lector, qui non ſuſceperat diſputationem de rebus ſacris propter Deū, quis dubitet, quin propter Diabolū id fecerit? Nā ibi de rebus ſacris diſputatum eſſe, illud indicat, quòd de primatu Petri, in quo religionis noſtræ cardo ſitus eſt, diſceptatio orta eſſet. Atqui, quod Lutherus Diaboli cauſā tutaturus tunc prodierit, ex eo intelligi, quòd eo aīo ad diſputandum acceſſerit, vt, quos CHRISTVS collegerat, & vnū eſſe atq; vni paſtori parere voluit, eos ipſe diſpergeret, & in diuerſa fruſta diuideret, ſummūq; Pōtificatū, quē ad ſeruandā vnitatē (cuius ipſe autor eſt) CHRISTVS inſtituerat, euerteret, atq; ex aīs hoīum & oī poſteritatis memoria deleret. An nō hic tū Lutherus partes Diaboli tuebatur? Quæ.n. aliæ Diaboli partes ſunt, quàm CHRISTI corpus lacerare & diſſipare? Sed quid ego in re clara multa verba prodigo? Nōne ipſe Lutherus faſſus eſt, ſibi nihil eſſe aliud in votis, quàm Pontificis maximi dignitatem labefactare, & Papatui euerſionem inferre? Non eſt opus nunc, vt ego longa oratione id verum eſſe confirmem. Teſtantur me non mentiri varia eius ſcripta, quibus prædicat, quæuis ſe impigrè facturum eſſe, modò Papæ nomen & officium penitus obliteret. Neq; verò ſolū Pōtificem, quanquam ad reliquum corpus perdendū ſatis erat caput adoriri, ſed vniuerſam etiā religionē noſtrā ſe breui euerſurū eſſe minatus eſt. Sic.n. quodā in loco ſcribit de eo religioſus ille & Catholic⁹ Prīceps, Georgius Saxoniæ dux, cuius vtinā laudabile & ſæculorū omniū memoria dignum exemplū noſtri etiā principes imitarētur: Quāuis, inquit, Lutherus rē primò ſub prætextu ,, cuiuſdam

Lutherus Eccleſiæ nō propter Deum, ſed propter diabolum ſe oppoſuit.

Ioan. 17.

Ioan. 21.

Diaboli officiū Chriſti corpus diuidere.

In prologo noui Teſtam. uerſi à Hiero. Emſero.

,, cuiuſdam reformationis ac emendationis abuſuum, qui
,, apud Eccleſiaſticos & ſæculares radices egerunt, cępe-
,, rat: verbis tamen & factis mox indicauit, ſeſe non intē-
dere, rem emēdare, ſed prorſus euertere. Quemadmo-
dum gloriatur eò ſe rem perducturū eſſe, vt intra pau-
cos annos nullum templum, nullum collegium, ſacellū,
aut monaſteriū: nullus presbyter, Monachus, aūt mo-
,, nialis: nullus item Epiſcopus aut princeps ſub cœlo ma-
,, nere debeat. Quid hîc cogitas, quiſquis CHRISTI no-
,, men & fidem ex animo amplecteris? An non eiuſmodi
ingenium ad ſeditiones, & bella concitanda, remq́; pub.
Chriſtianorum ſurſum ac deorſum quatiendam, peni-
tuſq; euertendam, natum fuiſſe videtur? Atqui eodem,
quo ille aïo fuit, eius diſcipulos fuiſſe, inde cognoſces,
quòd cùm proximè ad colloquendum de religione cū
noſtris Vuormatiam eis ueniendum eſſet, Francfordiæ
ſuos iureiurando aſtrinxit Philippus, qui tum fabulæ
Coryphæus fuit, ne quid aliud in eo cōuentu cogitarēt,
q́; vt, quod poteſtatis in Papatu ſupererat, funditus de-
lerent. Quid ergo aliud operam dabunt atq; enitentur,
qui id cogitant, cum ſacra ſcripta vſurpant, quàm vt
perdant ac deſtruant? At qui tales ſunt, fures eſſe & la-
trones, non paſtores, quod iſti ſibi tanto arrogant ſuper-
cilio, declarat CHRISTVS, qui ait: Fur non venit, niſi
vt furetur & mactet & perdat. Sed ne videar verbis ſo-
lum agere, id ita eſſe facilè demonſtrabo. Omnes iccir-
cò ſe ad diuina ſtudia conferunt, vt ex vtriuſq; teſtamē-
ti libris voculas aliquot & ſententias furentur, quibus
nitantur imperitæ multitudini ſuadere, ſummum Pon-
tificem Antichriſtum: & Romanam Eccleſiam, quæ
Chriſtianorum magiſtra ſemper fuit, Babylonicam il-
lam

Lutheri animus fuit uniuerſam religionem Chriſtianam perdere.

Staphylus in libello de hyſt. colloq. Vuormat.

Ioan. 10.

Euāgelici noſtri quid hodie populo de ſanctis literis ſuadere uelint.

lam meretricem eſſe, quæ ab omnibus regibus & principibus diuinis honoribus affici velit. Qui verò reges & principes ei ſe obedientes præbeant, eos & Antichriſti mãcipia, & meretricis illius ſeruos, ac idololatriæ defenſores exiſtere. Quanta id, deus bone, verborũ libertate & licentia conantur planum facere. Quantopere omnes eloquentiæ neruos, opes, & copias hac vna in re explicant. Quantis dicendi fulminibus id apud ſuos detonant. Hîc inaudita, inuſitata, horrenda, & quæ caſtis auribus ſtuporem meritò incutiant, nomina & conuitia excogitant, quæ, ſi quis nominare velit, ſine piaculo id facere vix poſsit. Eas verò Chriſtianorum Scholas & Academias, quæ Pontifi. Max. & Rom. Eccleſiæ autoritatem (quæ Auguſtiſsima ſemper, & ſacroſancta habita eſt) defendunt, quibus non maledictis proſcindunt, quibus non monſtris verborum impetunt? Lupanaria, Sodomas, & Gomorras vbiq; vocant. Hæccine eſt ſapientia illa, quam Euangelium cõmendat & laudibus extollit? maledictis & conuitijs, à quibus Chriſtianæ aures abhorrere quàm longiſsimè debent, ſummum CHRISTI Vicarium, qui mille & quingentis abhinc annis, maximum ac primum in populo Chriſtianorum locum tenuit, & qui ei adhærent, perpetuò inceſſere? Si Quintum Euangelium talem laudat ſapientiam, certè CHRISTI Euangelium multo aliter veram nobis ſapientiam deſcribit. Quæ enim, inquit, deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis. Sed exerant (quantum libeat) cõtra nos linguas, nos cum Beato illo Epiſcopo, & martyre Cypriano dicemus eis: Quaſi apud lapſos & pro-

Iacob. 3.

Sapientia Euang. Chriſti diuerſa ab ea, quam tradit Lutheri Euangelium.

Lib. 4. Epiſt. 9.

 phanos,

,, phanos,& extra Eccleſiam poſitos, de quorum pectoribus exceſſerit ſpiritus ſanctus, eſſe aliud poſsit, niſi mẽs praua,& fallax lingua,& odia venenata, & ſacrilega mendacia: quibus qui credit, cũ illis neceſſe eſt inueniatur,cũ dies iudicij venerit. Haud ſanè nobis mirum accidit, quòd illi conuitijs & falſis criminationibus Eccleſiæ Antiſtites, & Sacerdotes traducant,cũ inter ſuos verſantur. Fuit olim Diui Baſilij, meritò cognomento Magni, querela,ſuo tempore, quo nimirum Arrius pacem Eccleſiæ Catholicæ perturbauit,vt quiſq; lingua eſſet ad maledicendum & conuitiandum procacíſsima, ita præ cæteris maximè iudicatum fuiſſe idoneũ, qui ad Eccleſiæ gubernacula vocaretur. Quinetiã,ſicut D. Auguſtinus,& Eccleſiaſticę hiſtoriæ ſcriptores memoriæ prodiderunt, hæreticis oĩbus familiare & vſitatũ ſẽper fuit,vt cùm nõ haberent argumenta,quibus diuiſionis ſuæ cauſam defendere & tueri poſſent,aliud nihil facerẽt,q̃; vt crimina aliquorũ vel colligerent,vel confingerent,eaq̃; ipſa falſiſsimè iactarẽt: vt,quia ipſã diuinę ſcripturę veritatẽ,quæ diffuſa vbiq; CHRISTI Eccleſia cõmendatur, criminari, & obſcurare nõ poſsũt,hoĩes, per quos prædicatur, adducerent in odiũ, de quibus fingere quicquid in mentem veniret,poſſent. Atq; id quidem verũ eſſe,ex ijs perſpicitur,quæ de Cornelio ab hæreticis conficta fuiſſe,queritur Cyprianus: quæq; olim Athanaſio, Chryſoſtomo,Baſylio,Gregorio Nazianzeno,Anaſtaſio, & alijs viris,ſanctitate & doctrina excellentibus, ab hæreticis falſò obiecta fuiſſe Eccleſiæ hiſtorici tradiderũt. Quãuis autem id ſemper hæreticorum proprium fuerit, nulli tamen vnquam hæretici,maiori id ſtudio & contentione

Epiſt. 69. Epiſt. 137. Lib. 4. cap. 9.

contentione

tentione fecerunt, quàm ij faciunt, qui ſe noſtro ſæculo ab Eccleſia vltrò ſepararunt. Nam vt miſſa nunc faciam ea, de quibus abſq; vlla cauſa apud vulgus nos accuſant, vt olim Catholicos inſimularunt Donatiſtæ eorum ſcelerum, quæ nunquam cogitare illis in mentem venerat: quia intelligunt Eccleſiam Romanam vnam eſſe, quæ ſemper hæreticorum conatibus obſtiterit, eorumq; impetum facilè fregerit: atq; errores & fraudes retexerit & confutarit: ac veritatem ab omni falſitatis admiſtione puram ſeruauerit: & (vt Cyprianus de ea memoriæ poſteritatis mandauit) vnius cubiculi caſtitatem ſancto pudore cuſtodierit: in qua deniq; vna apparuerit veram eſſe illam CHRISTI promiſsionem, quòd portæ inferorum, id eſt, hæreſes, ei non eſſent dominaturæ, quando nullum vnquam ad eam acceſſum habuit perfidia: nihil non excogitant & comminiſcuntur, vt ſuis ſectatoribus & patronis perſuadeant, aliquot Pontifices hæreſis labe inquinatos fuiſſe: quorum in numero Liberium ſanctiſsimum & conſtantiſsimum Catholicæ fidei propugnatorem locare non verentur: quod quàm falſum ſit, cùm Albertus Pighius, tum noſter Hoſius copioſè demonſtrarunt. Deniq; vt libidini, & petulantiæ, ac rabiei, qua ad maledicendum rapiuntur, morem gerant, quæcunq; iuxta Rhetorum præcepta, in quibus exercitati ſunt, crimina in nos fingere poſſunt, ea ſtatim aliquo orationis fuco ornant, expoliunt, ac literarum monimentis conſignant. An non hoſce homines liceat in ſimili profectò argumento ijs verbis affari, quibus olim ſcribas, & Phariſæos affatus eſt D. Bernhardus: Veſtras, ô

Hæretici noſtri temporis omnium maledicentiſsimi.

De ſimplic. prælatorum.

Math. 16.

Cyprianus lib. 4. epiſt. 2.

Liberius Pōtifex.

De adultera, & Suſan. ſerm. 3.

 hæretici,

Ab hæreticorum noſtræ ætatis lingua nemo liber. hæretici, manus nec adultera effugit, nec pudica: veſtras accuſationes nec ſanctus, nec peccator euadit. Diſsimulatis peccata veſtra, vbi inueneritis aliena: alio-„quin verò, ſi quis fortè ſuum non habet, veſtrum ei „crimen impingitis. Quicquid iſti ſibi de ſuo illo ſpiritu (quo duce, ſe nihil in cœleſtibus literis ignorare iactant) polliceantur, nullo orationis colore, nulla ſermonis venuſtate, nulla rhetorica exornatione perſuadere ſanæ mentis hominibus poterunt, quandiu Eccleſiæ CHRISTI principes, & reliquam gentem Chriſtianorum tot falſis vexationibus onerent, & conuitijs proſcindant, ſe non violare præceptũ illud, quod

Exod. 22. ait, Principi populi tui ne maledixeris. Dum falſis criminibus traducunt, Maximum Pontificem, & ſacrum ſummorum Antiſtitum collegium, non poſsunt inficiari,

Zach. 3. quin Sathanam imitentur, qui ſtetit à dextris IESV, ſacerdotis magni, vt eum conuitijs appeteret. Nihil ad nos, quod ſe tum demum egregios Euangelij propugnatores fore pūtent, ſi ſummum Ponti-

Epiſt. 162. ficem, et Romanam Eccleſiam, in qua, ſicut ſcribit Auguſtinus, Apoſtolicæ cathedræ ſemper viguit principatus, ac reliquum Epiſcoporum ac Sacerdotum ordinem, omni cōuitiorum genere quàm acerbiſsimè inſectentur. Neq; nos mouet illud, quòd eorum libri ſcateant eiuſmodi conuitijs, maledictis, & falſis criminationibus: quas ſi ex eis auferas, vacuas ſanè chartas relicturus ſis. Viderint interim ipſi, qui pleno (quod aiunt) ore prædicant, nihil ſe dicere, quod cœleſte oraculum non ſit: quo animo legant il-

1. Cor. 6. lud, quod digito DEI expreſſum eſt: Maledici regnum

DEI

DEI non poſsidebunt. Habes quid illud ſit, quod potiſsimum ſpectent hæretici omnes, quicunq; de Eccleſia exierunt, cùm vel concionantur ad populum, vel ſanctos libros, aut publicè in Gymnaſijs enarrant, aut commentarijs in lucem edendis explanant.

Iam, ne ſit tibi graue audire, quid prӕterea ſit, quod efficere volunt noſtri iſti Euangelij reſtauratores. Caue putes eos id velle præſtare, quod Paulus ait præſtari ab eo poſſe, qui intelligat, quæ ſit vtilitas ex ſanctis libris petenda. Longè alia eorum mens eſt. Sathanas vt ſuas fraudes ac mendacia pro diuinis legibus obtrudat, ea veritatis titulo veſtit & ornat: atq; ita ſe in lucis angelum transfigurat. Præclarè iſti hac parte parentem ſuum ac præceptorem imitantur. Si palàm flagitioſè vixerint, ſi apertè ſe in omni libidinis genere effuderint, ſi publicè aliena rapuerint, ſi nullo veri ſimilitudinis fuco iura diuina & humana omnia prophanarint, verentur, ne ſtatim non contemnantur ſolùm, ſed meritas etiam pœnas luant. Quid ergo faciunt? quid aliud, quàm quod in patris ſui Schola didicerunt? vitia, ſcelera, flagitia, & mendacia, ac fraudes, & dolos, ad quos natura procliues ſunt, ſcripturæ aliquo teſtimonio colorant, & Euangelium vocant: & ſi quæras, cur, qui prius vitæ monaſticæ inſtitutum profeſſus eſt, cucullam abiecerit, & mulierculam ſibi copularit: ſtatim tibi reſpondet, ſcriptum eſſe: Nubere quàm vri præſtare: & fieri nequire, vt quis perpetuam caſtitatem ſeruet: qui hoc ſe facere dicant, ſimulatores eſſe, nec admitti ad Eccleſiæ miniſte-

Heretici iſtius temporis uitia ſua ſcripturæ teſtimonio tegunt.

2. Cor. 11.

Lutherani uitia ſua uocant Euangelium.

1. Cor. 7.

rium debere quenquam, qui prius vxorem non duxerit. Quod ætate præterita quoſdam hæreticos feciſſe, ſcribunt Hieronymus & Epiphanius. Si interroges, quare liceat apud eos principibus, bona, quæ compluribus ſæculis Eccleſia poſſedit, Cæſarum, regum, & eorum, qui aliorum imperium tenuere, benignitate ei relicta, inuadere, atq; ad ſuum patrimonium adiungere: mox audies, ſcriptum eſſe: CHRISTVM, & Apoſtolos, & naſcẽtis Eccleſiæ rectores, pauperes fuiſſe, nec vllas opes cumulaſſe: temporalia bona principũ arbitrio cedere debere: cùm tamen ipſi poſtea ſuis principibus ita adulentur, vt bonam eorum reddituũ partẽ, quos ipſi illorum fiſco adiudicarunt, blanda oratione extorqueant: vnde & ſe, & ſuas meretriculas ſplendidè alant: nullam interim rationem habentes eorum, qui in ægeſtate ſunt, & vitam ex Eccleſiæ eleemoſynis traduxerunt, antequam ea ſibi principes attribuerent. Si perconteris, quid ſit quòd in ſexta feria, & in Quadrageſima (quo tempore iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ habitum, ciborum delectum, & ieiunium à cœtu piorum toto orbe terrarum, quàm latè CHRISTI cultus & nomen pateret, ſeruatum, & corpus caſtigatum, atq; ita ad diuina habilius effectum fuiſſe, antiquiſsimi patres memoriæ tradiderunt) ipſi valenti corpore, & nulla ægritudine affecti, carnibus veſcantur: vino ſe ingurgitent: opipara & lauta conuiuia inſtituant: gulæ ac ventri, quæcunq; libuerit, indulgeant: confeſtim dicent, conſcriptum cœleſtibus monimẽtis extare: omnia munda mundis eſſe: Quæcunq; apponantur eis veſci licere, quicquid in foro & macello veneat, Chriſtianis

Contra Iouinian. *Hæreſ. 78.* *Math. 8.* *Tit. 1.* *1. Cor. 10.*

niſedere fas eſſe: nolle deũ eiuſmodi cultu placari, nec quicquam, qui ieiunio corpus caſtiget, ab eo obtinere: relictum cuiusq; arbitrio eſſe, ieiunare ne velit, an contrà. Si exquiras, quî fiat, quòd apud eos tantus bonorum operum, & rectè factorum neglectus ſit, nulla ut virtutum & piarum actionum exempla cernantur: ſed quiſq;, quod libitum ſit, hoc faciat: & cuiq; liceat, quod libeat: nemo ieiunet, neminem vitæ ante actæ pœniteat, nullus alteri libenter impartiatur, & reliqua pietatis opera exerceat: reſponſum præſtò erit, bona opera ad regnum cœleſte adipiſcendum nihil habere momenti, neq; delictorum condonationem impetrare: neq; curare deum, rectène, an ſecus vitam agas: imò opera, quæ bona vocas, ſi rem diligenter expendas, peccata eſſe, eaq; non talia, vt facile veniam promereantur, ſed quibus æternæ mortis ſupplicium paratum ſit: ſolam fidem eſſe, quæ CHRISTI ſacris initiatum hominem, diuitem, & opibus ac bonis omnibus cumulatum reddat: ſacris literis eſſe comprehenſum: Qui crediderit, vitam ſempiternam adepturum eſſe: eum, qui non crediderit, damnatum iri. Abrahamũ nullis operibus, ſed ſola fide remiſsionẽ peccatorum obtinuiſſe: qui in rectè factis ſpem ſalutis locet, eum graui ſe ſcelere aſtringere: quòd ſumma iniuria CHRISTI mortem, & quod ille ea morte meritus eſt, & nobis à patre impetrauit, afficiat. Poſtremò, ſi ſcire velis, q̃ ſit cauſa, q̃; obrẽ, qui ſe apud eos Sacerdotes iactãt eſſe, & Superintẽdẽtes vocãt, nõ orẽt, & preces ad DEVM fundãt ijs horis, quibus Maiores noſtri ab ipſis Ec-

[Margin: Luth. de capt. & Flaccus ubiq. — Luth. de cap. Babyl. — Mar. 16. — Rom. 4.]

cleſiæ incunabulis Deum precati ſunt: protinus tibi de ſacris libris vocula illa proferetur, quæ Deum ita lo-
Matth. 15. quentem introducit: Fruſtra me colunt, docentes præ-
„ cepta & mandata hominum: Deinde ſubijcient, traditionem hanc eſſe humanam: & cultum ab hominibus inſtitutum, quo Deus honorari nolit. Hæc, & plura, quæ verbis & oratione perſequi poſſem, cùm vitia, flagitia, ac ſcelera maxima ſint, & cum verbo DEI, quod illi paſsim crepant, quamuis nihil minus, quàm illud habeant, Euangelij ſpecioſo nomine ornant, & cœleſtia eſſe oracula aſſeueranter affirmant. Quid iam ad hæc dicis, quiſquis noſtra legere non grauaris? An non palàm intelligis, Euangelium hoc Quintum omninò illis quatuor aduerſari, quæ Ec-
Euangelium Lutheranorū uelamen, & Aſylum nequitiæ. cleſia nobis commendat? An non vides, hoc Euangelium nequitiæ & ſcelerum velamen, atq; aſylum eſſe? nonne apertè cognoſcis, nullum eſſe ab iſtis Nouatoribus dogma ſuſceptum, quo non aliquod inſigne vitium, & flagitium notabile tegatur: nec aliud eos ſuo iſto Euangelio moliri, quàm vt vniuerſam religionem euertant, & morum diſciplinam omnem de medio tollant? Nonnè ex ijs perſpicis, quid conſilij eis ſit, cum ad ſanctos libros legendos & interpretandos adeunt? Quid animo conſtitutum habeant, & confirmare ac ſtabilire velint, cum teſtimonia è ſanctis libris adferunt, & patris ſui imi-
Matth. 4. tatione ad ſingula dicunt: Scriptum eſt? Quis credat DEVM ſanctarum literarum intelligentiam ijs hominibus patefacturum eſſe, qui eas ad res turpiſsimas & ſordidiſsimas, ac cogitationes, & ſtudia maximè praua & conſcelerata in teſtes vocant? Abſit, vt ab eiuſ-

modi

modi hominibus ſcripturæ intelligantur,& diuina myſteria percipiantur. Abſit (inquam) vt ij, quibus nihil commune eſt cum Chriſti caſtiſsima puritate, cernere in ſcripturis Eccleſiam poſsint, quam ille æterno ſibi connubio copulauit. Si inuenire Eccleſiam in ſcripturis, in quibus ad viuum expreſſa eſt, velint, deſinant Cauponariam artem exercere, vino aquam ne miſceant, ſcripturam ne torqueant, & priuatæ ſuæ ſententiæ ſeruire faciant. Quid enim? Hoc eſt ſcripturas interpretari, ac non potius (ut Auguſtinus ſcribit) ad imagines phantaſmatum ſuorum, cum quibus carnalis anima uolutatur, omnia Sacramenta, & uerba librorum ſanctorum conuertere? Quæ ſunt imagines phantaſmatum, niſi affectiones & perturbationes animi, ad quas quiſq; natura fertur? niſi cogitationes & ſtudia, vnde uitia oriuntur? Nonnè cum ijs anima uolutatur, quoties ſeſe eis oblectat? Ad has conuertit ſanctorum librorum uerba quiſquis uoluptates, quas ex eis capit, ſpecie pietatis tegere vult. Es libidinis amans, oppugnas uitam cœlibem, quò tuæ libidini prætexere honeſtatis ſpeciem poſsis, & Sacerdotibus æquè ac reliquis hominibus coniugium præceptum in ſanctis literis eſſe contendis. Es gulæ mancipium, quæris aliquod in ſacra ſcriptura uerbum, quod perperàm intelligens, aut de induſtria falſò explanans, eò torques, ut ieiunium, & ciborum delectum, cultum humanum, & à verbo Dei alienum eſſe monſtres. Feruet auaritia miſeraq; cupidine pectus, ut ille ait. Quid tu hîc? Peruolas per ſacra volumina, & uoculam aliquam furaris,

Ezech. 17.
Oſeæ. 2.
Eſa. 1.
Cõtra Donati. lib. 3. cap. 19.
Euangelici ad ſuas uoluptates torquent ſcripturas.
Hora. in epiſt.

ſuraris, qua vel tibi, vel tuis Principibus (quibus, omnia ad voluntatem, & non ad veritatem niſi loquaris, actum de te eſt) licere bona Eccleſiæ dedicata rapere, & pro eo, ac libuerit profundere confirmes. Deniq;, vt multa paucis complectar, abhorres ab ea vita, quam ſuis Chriſtus præſcribit, & vis præceps eò ire, quò te prauus tuarum cogitationum impetus vocat. Mox ad librum hæreticorum (ſic enim ſcripturam Lutherus tuus vocat) confugis: ibi aliquid ſtatim reperis, quod ita ipſe explanas, vt tuis vitijs fauere cogas. Intelligis iam, quorſum hæc dicta ſint? Eò certè, vt intelligas, tum demùm à te & tuis æqualibus ſcripturas ad phantaſmatum imagines conuerti, cùm eas ad coloranda veſtra vitia allegatis. Non vult Deus ad ſua oracula eiuſcemodi hominibus aditum præbere, tantum abeſt, vt earum ſententiam illis patefaciat. Non vult (inquam) Deus, & ægre inprimis fert, ab ijs, qui tales ſunt, qui tam impurè & conſceleratè vitam traducunt, ſcripturas ſuas attingi, ac proinde multo minus explanari, & publicè enarrari. Licet vera interdum proferant, & ea dicant, quæ ab ipſius religione minimè diſsideant, tamen, quia talibus vitijs, fraudibus, & dolis eam adulterant ac corrumpunt: atq; ex ſplendido regis ſimulachro fœdam, turpem, & deformem regis effigiem fabricant, impuras eorum manus à ſuis oraculis procul abigit. Protulit olim Sathanas, quæ vera erant, & tamen iuſſum eſt ei à CHRISTO, vt taceret. Id cur factum ſit, intelliges ex Athanaſio: ex illo (inquam) acerrimo, & inuictiſsimo Catholicæ veritatis defenſore: qui de veſtris maioribus Arrianis diſſerens,

Irenæ. lib. 1. cap. 1. Mar. 1.

Ora. 1. contra Arrianos.

differens, hæc, quæ ſubijciam, verba conſcripſit: Itidem quoq; dæmonibus, cùm è monumentis vociferarentur, ora obturabat: tametſi verum eſſet, quod ab illis diceretur: neq; falſi quicquam in ijs verbis proferrent, Tu es filius Dei. Noluit tamen per os impurum veritatem „ enunciari, ne per hanc occaſionem admiſcentes zi- „ zania ſuæ malæ voluntatis, eo tempore ſuperſemi- „ narent, quo homines in ſomnis eſſent. Ea de cauſa „ nec ipſe eos ſuſtinuit talia loquentes, nec eoſdem à „ nobis ſuſtineri voluit. Si CHRISTVS dæmones „ loquentes vera, cohibuit, &, vt ſacra oracula ore ſacrilego vſurpare deinceps ne auderent, comminatus grauiter eſt: nos CHRISTI fratres & membra, atq; os de oſsibus eius, & caro de carne ipſius, vobis, qui Dæmonum filij eſtis, ſcripturas legere fas eſſe, & earum ſenſum à DEO aperiri, vobiſq; in eis Eccleſiam commonſtrari, ac non potius (donec ad meliorem mentem redeatis) occultari credemus? Abſit, vt id cogitare vnquam nobis mentem ſubeat. Abſit (inquã) nos vt fieri vnquã putemus, vt ſpiritus ille ſacroſãctus, qui alijs ſermonem ſcientię, alijs prophetiã, alijs diſcretionem ſpirituũ, alijs genera linguarũ, & reliqua dona tribuit, vobiſcum velit ea dona cõmunicare, quandiu extra vnitatis Adyta fueritis: quam vnitatem tandiu videre non poteritis, donec ſerere zizania ceſſaueritis, & charitatis viſcera indueritis. Quoad autem fueritis eius hoſtes, à nobis id audietis, quod olim Donatiſtæ veſtri progenitores ab Auguſtino audierũt: Si haberetis charitatẽ, nõ in veſtris calũnijs fingeretis, ſed in verbis DOMINI manifeſtiſsimè expreſſã uſq; in totã terrã videretis vnitatem. Iccircò igit vos vnitatẽ, non

Non vult Deus ſcripturas ab impuro hæreticorum ore explanari.

Epheſ. 5.

1. Cor. 12.

Lib. 2. contra lit. Pet. c. 99.

nõ tota Europa ſolùm, ſed in alio etiam orbe quodam, qui à noſtro remotiſsimus eſt, & Eccleſiam CHRISTI, quam vnitas à Sathanæ Synagoga ſegregat diffuſam, non videtis, quamuis ſacros libros nocturna & diurna verſetis manu: quòd cum charitate, quæ Eccleſiam CHRISTO copulat, bellum geritis, & pro virili parte eam oppugnatis, ac funditus delere certò conſtituiſtis.

Iam verò, vt ad te, Chriſtiane lector, orationem conuertam, precibus à te contendo, vt quia ex ijs, quæ dixi, intelligere potuiſti, quæ ſit cauſa, quòd noſtri ſæculi homines quidam, vel non agnoſcant, vel agnoſcere ex ſacris literis Eccleſiam nolint, nunc mecũ pauliſper cõſyderes, Patres illi, ac Maiores noſtri, quos meritò religionis noſtræ columnas vocamus, quanto purius & ſyncerius ſcripturas tractauerint, vt ex eis Eccleſiam, in qua nati atq; educati fuerant, agnoſcerent: atq; ijs, quos Deus ipſorum curæ crediſſet agnoſcendam, & ſequendam proponerent.

Patres ad intelligendas ſacras literas quàm diligenter animum præparauerint.

Videmus Patres, ac Maiores illos noſtros, quos Chriſtianæ pietatis columina verè dixeris, cum diuina myſteria intelligere vellent, exiſtimaſſe ad eorum perceptionem nihil tam opportunum, nihil tam neceſſarium eſſe, quàm animi præparationem diligentem: vt maxima reuerentia & caſtimonia, ad hanc cæleſtem diſciplinam adirent: & memoria repeterent, libros ſanctos eſſe mõtem illum, quò ſi quis accedat in figura hominis, vitam beluæ gerens, lapidibus interficitur: id eſt, vnde ſalutem & beatam vitam petere debuit, inde perniciem ac certam miſeriam refert. Proinde, ſicut olim

Exod. 19.

Moyſes,

Moyſes, ſummum rerum omnium effectorem, & Dominum loquentem audituri, & in caliginem illam ſplẽdidiſsimam ingreſſuri, quàm maximè potuerunt, animum abduxerunt à cogitatione rerum fragilium & caducarum: manus, linguam, oculos, ab omni intemperantia prohibuerunt: & puritatem, ac ſummiſsionem animi imprimis coluerunt, exploratumq; habuerunt, his tantùm gradibus aſcendi ad altiſsimam cognitionem rerum diuinarum: neq; poſſe fieri, vt ſapientia, mentes impuras aut ſuperbas, in ſua ſacraria intromittat. Atq; aſsiduè ſanctiſsimum CHRISTI numen precati ſunt, ab illo intelligendi facultatem petentes. Hinc fit, vt crebrò ab eis voces illæ vſurpatę ſint: Reuela oculos meos, & conſyderabo mirabilia de lege tua. Et, da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & ſexcenta alia, quæ tum alij ſancti libri, tum diuini ac cæleſtes Dauidis hymni continent. Scribunt, qui patrum res geſtas literis mandarunt, eos ita vitam inſtituiſſe, vt vbi corpori tantùm ea tribuiſſent, ſine quibus vita mortalium tueri ſe nequit, reliquum tempus lectioni ſanctarũ literarum, & precibus impenderent: & frequentibus vigilijs ac meditationibus animum præpararent, & Deo domicilium in eo præſtruerent: illius præceptũ ſequentes, qui dixit: Dilata os tuum, & implebo illud. Poſſem innumerabilia Argumenta proferre, ex quibus perſpici poſſet, quanta puritate & reuerentia, ſancti illi ac religioſi patres, ſe ad diuinarum rerum ſtudia contulerint. Qui velit quandam eorum ſyluam ob oculos poſitam habere, is legat eũ librum, qui inſcribitur: Vitæ, & collationes patrum. Euoluat item alios, qui de eorum rebus præclarè compoſitas orationes reliquerunt.

Pſalm. 118.

rũt. Ego duos tãtũ hoĩes in mediũ adferã, duo videlicet illa Græciæ lumina, Baſiliũ verè magnũ: & Gregoriũ, qui iurè Theologus nũcupatus eſt. Ac de Baſilio quidẽ

In Monod. in vitam Baſilij.

certè literis prodidit idẽ (Nazanzi Epiſcopus) Gregorius, quòd vt cæleſtis philoſophiæ arcana itelligẽtia aſſequi poſſet, ea primũ oĩa abiecit, & pro nihilo habuit, q̃ mortales in bonis ponũt. Deinde tale vitę genus ingreſſus eſt, vt humi cubarit, noctes fere integras inſomnes trãſegerit, quotidiè ieiunarit, pane ſolo cõtentus fuerit, & ſal pro delitijs habuerit, & ab oĩ libidinis contagione ætatẽ integrã cõſeruarit, & vnica tãtũ veſte corpus texerit, nec antè ad ſacra ſtudia acceſſerit, q̃; precibus fũdẽdis & Dei beneficijs mẽte recolẽdis, aditum ſibi ad ea

In ead. monod.

ſterneret. Quibus ex rebus, id, vel ipſius Gregorij teſtimonio, cõſecutus eſt, vt tanta grauitate, pietate, religione, & eloquẽtia ſanctas literas explanauerit, vt pares admodum paucos, ex viris ſanctitate & doctrina præſtantibus: ſuperiorem certè neminem vnquam habuerit. Quod, quàm verũ ſit, declarant eius ſcripta, quæ nihil niſi ſummã pietatẽ, ſummumq; in Deum amorẽ, & erga hoĩes charitatẽ ſpirãt. De facũdia .n. qua ille mi-

Sanctitas, & doctrina Baſilij admiranda.

rificè excelluit, nihil dicã. Quãta, & q̃; rara ea fuerit, ex eo patet, quòd Gregori⁹ illũ cũ ſũmis ac claris oratoribus cõparet. Quod verò ad ſãctitatẽ attinet, quẽ nõ rapiat atq; ad ſui admirationẽ & reuerẽtiã trahat, admirãdũ illud & minime plenũ Baſilij magni pect⁹: cuius non aĩm ad res fragiles & caducas, deſpicatui habẽdas, & cęleſtia cõtẽplãda, & aĩo cõplectẽda erigat atq; extollat, maxima illa, & q̃ nulla oratiõe explicari poteſt, pietas, q̃ in ſãctiſsimi illi⁹ viri ſcriptis mirãdũ in modũ relucet? Quis libros de reb⁹ diuinis ab eo ſcriptos legat, ſi modò cũ fructu & non inaniter id faciat, quin vel vniuerſitatis

iſtius

iſtius, quæ corporeis oculis cernitur, opificē admiret? vel ad Dei beneficia crebrò memoria repetēda, gratiaſq; ob ea Deo agēdas, & præcepta eius diligenda, et quoad ei' fieri poſsit ſeruāda, accēdatur? vel ex eis, q̄; variæ hęreticorū fraudes, artes, & doli ſēper extiterint: & quibus armis cōgrediēdū cū eis ſit, intelligat? vel ſi flagitioſè vixit, & vitioſis affectionibus aīum inquinauit, nō ſtatim ſua vitia & peccata in eis expreſſa cernat: & remedia, quæ ad ſananda aī vulnera adhibere poſsit, inueniat: & verè, atq; ex animo reſipiſcat, fletuq; & gemitu veniam à Deo precetur: atq; ita vitam in melius cōmutet, vt & Dei in poſterum templum, & ſpiritus ſancti domicilium exiſtat? De Gregorio aūt, quē Theologū nūcupauit Græcia vniuerſa, quid dicam? Quis illo vno ſanctior? quis eloquentior? quis doctior vnq; fuit? Sed quid de eo memoriæ proditū ſit, audiamus. Narrat Gregorius presbyter, qui eius vitā literis complexus eſt, quòd à puero ſe, ſuaq; ſtudia & cogitationes Deo dedicauerit, & rebus oībus caducis, incertis, & fragilibus, quarū admiratione plerūq; hoīes capi ſolēt, nunciū remiſerit: ac Deo ſeſe cōſecrauerit, ſacrarūq; literarū ſtudijs addixerit, vt indè, quis eſſet veritatis ſplēdor, perciperet. Cùm vero aīum tā diligēter præparatū, atq; ab oībus vitiorū ſordibus caſtū & integrū ad ſanctas literas attuliſſet: id aſſecutus eſt, vt oīum, qui doctrinæ laude præſtarēt, iudicio, Theologus cognominaret. Ac quātus quidē certè in ſciētia cæleſtiū myſteriorū fuerit, illud īdicat, quòd eius ſchola, magnū illud Chriſtianæ religionis ornamētū, Stridonieſē Hieronymū, nobis pepererit. Certè hæreſes, & errores Arrianorū, qui ſæculo illo mirificè Eccleſiā Chriſti afflixerūt, tā doctè, tā grauiter, tā eloque-

In lib. de uitā Greg. Naz. quæ præfixa eſt eius operibus.

Doctrina, & integritas Greg. Nazā.

In expoſit. Symb. ter refutauit, vt de eo literis mandatum ſit à Rufino, quí ipſi' fidē nō profiteretˀ ſe colere, cū pro Chriſtiano habitū nō fuiſſe. Atqui eā quoq; aī præparationē, quā adhibuerunt illi duo maximi viri, reliquos oēs Maiores noſtros abhibuiſſe, ātēq; ſe ſāctis literis dederēt, atq; ad ea intelligēdas accederēt, ex eorū ſcriptis facilè intelligitˀ. Nā Clemens Alexādrin' (qui & Pātęnū martyrē habuit pręceptorē, & Origenē tantū, quātus eſt, effecit) q̄; ſedulò curarit, vt aīm à vitijs purgaret, quò veritatis arcana percipere, & alijs tradere poſſet: illud demōſtrat, q̄ à ſe ſcribēdo abſtinuiſſe ideo refert, quia mētē ſibi nōdū

Strom. 1. à peccatis integrā habere videretur. Iā .n. inquit, Eſaias
» quoq; Propheta igne linguā purgatˀ, vt poſſet dicere viſionē: & nec linguā ſolū, ſed etiā aures caſtas nobis habe
» re cōuenit, ſi conemur fieri participes veritatis. Hęc mihi erāt impedimēto, quo minus ſcriberē. Hactenus ille. Sed & eius diſcipulus & ſectator Origenes, q̄; magno aīo voluptates ſuperare ſtatuerit, vt ad ea, q̄ diuina ſunt,

In Epiſt. ad Pammach. & Oceanum. percipiēda, habilior eſſet, teſtātur q̄ de eo D. Hieronymus literarū monumētis cōſignata ad poſteros trāſmiſit. Magnus, inquit, vir ab infātia, & verè martyris filius:

Origenis ſanctitas, & doctrina. Alexādriæ Eccleſiaſticā ſcholā tenuit, ſuccedēs eruditiſsimo viro Clementi presbytero, voluptates in tantū
» fugit, vt zelo Dei, ſed nō ſecundū ſcientiā, ferro trūca
» ret genitalia. Calcauit auaritiam, ſcripturas memoriter
» tenuit, & in ſtudio explanationis earū diebus deſudauit
» & noctibus. Hęc Hieronymus. Sed ne videar hiſtoriam velle texere, plura exēpla cōmemorare nolo: Qui velit hæc plenius cognoſcere, legat cū eos, qui patrū vitas literis cōprehenderunt, tū ipſorū patrū ſcripta: intelliget oēs ita ſe ad ſacra ſtudia cōparaſſe, ſicuti ij, de quibus diximus,

ximus, cōpararũt. Oēs, inq;, Deũ in ſanctis libris loquētem audituri, ſenſũ moderati ſũt, vt Hilarius ait, ad ea, q̄ Deo digna exiſtant. Quippe illud inprimis apud ſe cōſtituerunt patres verũ eſſe, quod ſcribit his verbis Dionyſius Areopagita: Sicut ſol, cùm inciderit in craſsiorē materiā, radios ſuos ei nō tam copioſè, q̄; ſi ſubtilior & magis tenuis eſſet, cōmunicat: & calor minus effundit ſeipſum per ea, quæ non facilè eum capiunt, neq; ad eius ſpeciē & ſimilitudinem accedunt: ita Deũ lumen illud, quod ipſe ab omni obtinet æternitate, nō alijs impertiri quàm ijs, qui aīo ſint ab affectionibus turpibus purgato, & pro virili parte eum imitentur, atq; ad eius naturā q̄; proximè accedant. Nam, vt Theodoreto nō malè viſũ eſt, ſacri libri ſimiles ſunt ei lapidi, qui Magnes vocatur. Eius. n. natura ac vis ea eſt, vt reliquas oēs res licet attigerit, de loco tamē ſuo nō moueat: ferrũ vero altè ad ſe ſublatũ quaſi oſtentet, & ita trahat, vt cũ eo planè hæreat. Quam cōparationē tractans Theodoretus (malo. n. illius, q̄; mea verba ponere) Tale quippiā (inquit) & in „ diuinis ſcripturis & in verbis, q̄ de Deo fiũt, ſolet cōtin- „ gere: vt facilè is cognoſcet, qui diligenter aduertet. Plu- „ rimi. n. imò, vt ita dicā, cũcti ferè mortales aurē illis ac- „ cōmodant: ſoli verò capiũt, qui alumni ſunt fidei: cùm „ tamē ab inferiori loco nullius terrenę fœlicitatis ſolatio „ teneantur, neq; quicq̄; appareat, vnde à ſuperiori loco „ vincti dependeant, ſed ad occultas dũtaxat rerum ſpes, „ mentē animũq; accōmodent. Neq; putarim ei, qui pius „ ſit & veritatis ſtudioſus, moleſtũ fore, ſi hìc adſcribā D. Athanaſij aurea ſanè verba, ex quibus intelligi poteſt, & quàm puro, atq; à peccatis integro aīo patres, & maiores noſtri ſanctos libros tractarint: & quanta puritate à nobis tractandi ſint. Ea verò ad hunc modũ habent:

Lib. de Celeſt. Hierarch. cap. 13.

Lib. 5. de Græcar. affect. curatione.

Simile pulchrum.

Orat. de humanitate uerbi. Cęterũ, ad ſcripturarũ indaginẽ verũq; intellectũ, opus
eſt vita proba, aĩo puro, & virtute, quę ſecundũ Chriſtũ
,, eſt: vt mẽs per eius tramitẽ decurrens, ea, q̃ expetit, adi-
,, piſci poſsit, quatenus fas eſt humanã naturã diuina intel-
,, ligere. Nam ſine pura mẽte, & ſanctorũ imitatione, ne-
,, mo cõprehenderit ſanctorũ verba. Quemadmodum ſi
Aliud ſimile, notatu dignũ. quis intueri velit Solis iubar, oculos planè detergit, &
in ſplendorẽ redigit, quantũ poteſt ad eius ſimilitudinẽ,
,, cuius cõſpiciẽdi deſiderio tenet̃, ſeſe purificãs, vt ita ocu
Aliud, nõ minus aptum. lus, iã lumini redditus, lumen Solis contẽplet̃: Aut quẽ-
,, admodũ, ſi quis ciuitatẽ aut prouinciã perluſtrare velit,
,, plane ad ipſum locũ ſpectandi cauſa procedit: Ita quoq;
,, qui volet mentẽ virorũ cæleſtia loquentiũ intelligere,
,, prius detergere & abluere viuendi diſciplina animã de-
,, bet, & ad ſãctos accedere cum ſtudiorũ factorũq; ſimi-
,, litudine, vt illis, conſuetudine paris vitæ, familiaris red-
,, ditus, quæ ipſis à Deo reuelata ſunt, cognoſcat: & vnà
,, cũ illis inflãmatus, peccatorũ quidẽ pericula, eorumq;
,, ignem in die iudicij effugiat: ea verò recipiat, q̃ Sanctis
,, ſunt repoſita in regno cœlorũ, q̃ nec oculus vidit, neq;
,, auris audiuit, neq; in cor hoĩs aſcendit, q̃ præparata ſunt
,, ijs, qui ſecundũ virtutẽ viuunt. Neq; verò ad arcana cę-
Sancti precibus à Deo ſcripturæ intelligentiam petierunt. leſtis Philoſophiæ intelligenda ſatis eſſe duxerũt, ſi aĩm
ab affectionibus ocioſis purgarẽt, & quaſi domiciliũ in
eo ſpiritui ſancto præpararẽt, ſed (vt diximus) ad ſancta
ſtudia acceſſuri, ſemper ab eo precibus cõtenderunt, vt
ipſos in ſua ſacraria intromitteret. Hinc extãt apud eos
paſsim orationes lectu digniſsimæ, quibus Dei præſidiũ
implorant: quales profectò reperias frequenter in oĩum
ſcriptis. Oẽs videlicet, cũ ad ſacros libros accedere vel-
lẽt, haud abſimiles fuderant preces ab ijs, quas fũdit Hi-
larius, cum de Trinitate ſcripturus, ita ſanctiſsimũ Dei
numen

numen inuocat: Et in hoc quidē tantū voluntatis meæ *Lib. 1.*
profeſsio eſt, cæterū auxilij & miſericordiæ tuæ munus *Pia precatio uſurpata à D.*
orandū eſt, vt extenta fila fidei noſtræ, cōfeſsioniſq; ve- *Hilario.*
la, flatu ſpiritus tui impleas, noſq; in curſu prædicationis »
initæ propellas. Non .n. nobis infidelis ſponſionis iſtius »
Autor eſt, dicens: Petite, & dabitur vobis: q̄rite, & inue- »
nietis: pulſate, & aperiet̃ vobis. Nos quidē inopes, ea qui »
bus egemus precabimur: & in ſcrutādis Prophetarū tu- »
orū Apoſtolorūq; dictis, ſtudiū peruicax afferemus: & »
oēs obſeruatę intelligētię aditus pulſabimus: ſed tuū eſt, »
& oratū tribuere, & quęſitū adeſſe, & patere pulſatū. Et »
qđ alicubi Auguſtinus vſurpat, cū ait: Circuncide Dñe »
ab oī temeritate, omniq; mēdacio iteriora & exteriora *Lib. 12. Confeſsion.*
labia mea, & ſint caſtę delitię meæ ſcripturę tuæ, ne fallā *Auguſtini preces.*
in eis, nec fallar ex eis. Dñe attēde, & miſerere. Hæ atq;
his ſimiles voces ſunt, quib⁹ Maiores noſtri à Deo cęle-
ſtiū myſteriorū ſenſū precati ſunt. Nec quiſq; ex eis eſt,
qui non id precet̃ ſolū, ſed petat etiam ab alijs, vt idē pro
ſe precentur. Ex eo factum eſt, vt illi ſemper familiares
habuerint eiuſmodi ex ſāctis literis voces, quibus aditū
ſibi ad eas legēdas præmunirēt, qualis eſt illa: Declinate *Pſalm. 118.*
à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei. Quā, cùm
vellet accedere ad lectionē ſanctorū librorum, in ore ha
buiſſe D. Gregoriū Pontificē verè Maximum, ſcribit *Gregorius*
ſanctus vir Bonauentura. Et illa: Oculi oīm in te ſperāt *Pont. Max. Opuſc. de pa.*
Dñe. Paruuli petierunt panē, non eſt qui frangat eis, ſpe- *Pſalm. 144.*
ratur id à benignitate tua. O pijſsime, frange eſurienti *Thren. 4.*
panem tuū. Qua precādi formula, in ſanctis literis intel-
ligendis, oblectatus eſt D. Bernardus. Atq; alij cæleſtes *Bernardus.*
verſiculi, quos ſacris ſtudijs operā daturus in ore habuit *Serm. 1. in Cant. Cant.*
S. Thomas, qui in rerū diuinarum ſcientia maiores pre-
cibus, quàm labore & ſtudio progreſſus feciſſe dicitur.

Ac quia ſtudioſis ſanctorū librorū, ſi eos intelligere, vt par eſt, velint, neceſſum eſt, vt certa aliqua precandi formula ſibi ad id viam aperiant, ideo eam nunc ſubijciam, qua D. Thomas plerunq; vſus fuiſſe dicitur. Ea ad hunc modū habet: Creator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres angelorum Hierarchias annotaſti, & eas ſuper cœlum Empyreum miro ordine collocaſti, atq; elegantiſsimè partes vniuerſi diſtribuiſti. Tu (inquam) qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, atq; ſupereminens principiū infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuę radiū charitatis duplicē: in quib⁹ natus ſum, à me remouens tenebras, peccatū ſcilicet & ignorantiā. Qui linguas infantium facis eſſe diſertas, linguā meam erudias, atq; in labijs meis gratiā tuæ benedictionis infūdas: Da mihi intelligēdi acumen, retinēdi capacitatē, interpretandi ſubtilitatē, addiſcendi facilitatē, & loquendi gratiā copioſam: ingreſsū inſtruas, progreſsū dirigas, egreſſum cōpleas. Per Chriſtum Dn̄m noſtrū, Amen. Neq;.n. ſolū labore & ſtudio opus eſt, ad diuina arcana cognoſcenda, ſed implorādus etiam Deus eſt, vt ea nobis aperiat. Qua de re præclarè Origenes: Nō, inquit, ſtudium ſolum nobis adhibendum eſt ad diſcendas „ ſacras literas, verùm & ſupplicandum Domino, & die„ bus ac noctibus obſecrandum, vt veniat agnus ex tribu „ Iuda, & ipſe accipiens librum ſignatū, dignetur aperire. Sed neq; de ſe, ſuaq; induſtria & ingenio tā magnificè vnq; ſenſerunt, vt ſuā imbecillitatem non agnoſcerent, ſeq; ſanctis myſterijs indagādis & eruēdis impares eſſe nō faterentur. Deus bone, quāta cū ſubmiſsione aī, quā ſine vllo verborū fuco & ambagibus, fatent̄ ſe eos nō eſſe, qui ſapientiæ cæleſtis Sacramēta facilè poſsint intelligere. Qui legerit inſignia illa volumina, q̄ de religiōe noſtra

Oratio, quæ D. Thomas Aquinas uſus eſt, antequam ad ſtudia ſacra accederet.

Hom. 12. in Exod.

Patres in ſacra ſcriptura intelligenda ſuæ ſibi imbecillitatis conſcij fuere.

noſtra ab eis ædita ſunt, me nõ mentiri palã cognoſcet.
Infiniti penè laboris eſſet,ea exẽpla, q̃ hac de re in eorũ
ſcriptis extant,in medio ponere. Pulcherrimum eſt il- Lib.1.de Trinit.
lud,quod nobis Diuus Hilarius ad hunc modũ ſcriptum ,,
reliquit: Torpemus.n.quodã naturæ noſtræ pigro ſtu- ,,
pore,& ad res tuas intelligendas intra ignorãtię neceſsi- ,,
tatẽ,ingenij noſtri ĩbecillitate cohibemur,ſed doctrinæ ,,
tuæ ſtudia ad ſeſũ nos diuinę cognitionis inſtituũt,& vl- ,,
tra naturalẽ opinionẽ fidei obedientia prouehit. Hęc il- ,,
le: cũ Dei fauorẽ & gratiã appellaret initio eius diſputa-
tionis,quam de trinitate inſtituit. Diuus etiã Hierony- In prolog. Paralip.
mus ſcribit,ſe ita in ſanctorũ librorũ verſatũ fuiſſe lecti-
one, vt in eis intelligendis nihil ſuo ingenio & viribus
tribuerit,quòd quãta eſſet ĩbecillitate probè exploratũ
haberet,ſed eorũ intelligẽdorũ facultatẽ à Deo peteret.
Quinetiã nõ eſt ſilentio prætereundũ illud illuſtre mo-
deſtiæ ſignũ,quod in Auguſtino expreſsũ eſt,qui & ſæ-
pe ſe in ſacris literis q̃; plurima ignorare, & aſſequi in-
telligẽtia nõ poſſe fatetur: & cùm ad eũ ſcripſiſſet quidã Epiſt.28. Cõtra Priſcil.& Origeniſt.
nihil eſſe,quod ipſũ lateret,ita ad verba illius reſpondet:
Tantũ abſum ab eo, quod putaſti, nihil me latere, vt ni- Lib. de Orig.
hil in Epiſtola tua legerĩ triſtius,quia & apertiſsimè fal- Epiſt.119. cap.21.
ſum eſt: & miror, quia hoc te latet,quòd nõ ſolũ in alijs ,,
innumerabilibus rebus multa me latent,ſed etiã in ipſis ,,
ſanctis ſcripturis multo neſciam plura,quàm ſciam. Sed ,,
& magnus ille Hieronymus,cui⁹ admirabilis fuit in eru
endis ſanctarum literarum ſenſibus labor & induſtria:
quiq; ad eas intelligendas varia, ac multiplici rerum &
diſciplinarum ſuppellectile pectus locupletauit, po-
ſteaquàm tam doctis præceptoribus vſus fuiſſet,ipſeq;
diu ac multum ſacris libris inſudaſſet,ſuã tandem imbe-

cillitatem

cillitatem teſtatam facit, & ſe diuinis myſterijs planè percipiendis non eſſe idoneum fatetur, cum de Pauli quadam ſententia ita ſcribit: Totus hic Apoſtoli locus ,, & in ſuperioribus, & in conſequentibus: imò omnis ,, Epiſtola ad Romanos, nimijs obſcuritatibus inuoluta eſt. Et alibi, de quodã eiusdem Epiſtolæ loco: Omnis, inquit, ad Romanos Epiſtola interpretatione indiget, & tãtis obſcuritatibus inuoluta eſt, vt ad eã intelligendã ſpiritus ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolum hæc ipſa dictauit, maximè verò hic locus. Quid beatus ille Chryſoſtomus, cuius ſi diuinũ ingeniũ, & admirabile cęleſtis ſapientiæ doctrinã intueri velis, alterum apud Gręcos Auguſtinũ fuiſſe dixeris? Nõne is etiã paſsim ſe minus facultate percipiendi valere fatetur, q̃; vt ſacras literas intelligat? Ac cùm ſæpe aliàs, tum palam id facit, cùm de ſanctis libris ad hunc modum ſcribit: Diui- ,, norum eloquiorũ natura in paucis verbis multas ſentẽ- ,, tiarum affert diuitias, & ineffabilem diligenter ſcrutari ,, volentibus theſaurum largitur. Nam & Chriſtus dice- ,, bat, ſcrutamini ſcripturas: Opus ergo eſt ſcrutinio, vt ,, ne quod in profundo latet, nobis remaneat abſcondi- ,, tum: Etenim miſericordem habemus Dominũ, & quã- ,, do videt nos ſollicitos, & magnum deſideriũ ad cogno- ,, ſcẽdũ diuina eloquia habere, nõ permittit nos vlla re in- ,, digere, ſed ſtatim illuſtrat mentẽ noſtrã, & ſuũ fulgorẽ ,, largitur: & pro ſapientia illa ſua (mira induſtria) omnẽ ,, veram doctrinam animæ noſtræ inſerit. Neq; ab hac eorũ, quos nominaui, ſubmiſsione animi & modeſtia, abhorret Gregorius Nyſſæ Pontifex, Baſilij illius Magni frater, qui primum quidem auditores orat, vt ſecum vnà à Deo ſancti Euangelij ſenſum precentur, deinde

In Epiſt. ad Algaſiam.

In Epiſt. ad Edibiam.

Chryſoſtomus.

In Gene: Homel. 4.

Gregor. Nyſſenus.

deinde ſanctas literas terræ comparat, ſententiam verò, *In Enarrat.*
q̃ in eis latet, theſauro, qui in terra abſconditus ſit, ſimilẽ *Beatitudinũ.*
facit: ac ſibi multo labore, ſudore, ſtudio, & cõtentione
inde eruendũ eſſe prædicat. Legat, qui volet, aliorũ ſan-
ctorũ patrũ ſcripta, intelliget eos, quãuis aſsiduè, attẽtè,
& diligen^t in ſacris literis verſarent̃, ſemper tamẽ teſta-
tos fuiſſe, ĩbecilliores ſe eſſe, q̃; vt aío cõprehẽdere poſ-
ſent quã plurima, quę ſanctis literis cõtinentur. Atq; ex *Patres ſemper*
eo factum eſt, vt ad ſanctos libros tractandos, antè non *habuere alios*
acceſſerint, q̃; præceptores & magiſtros tales audiuiſ- *præceptores.*
ſent, quorum in ſanctis libris explanandis doctrina, dili-
gentia, & integritas nota atq; ſpectata eſſet. Nec enim
eos latuit, ad diuinas res intelligendos, Præceptore ac
Magiſtro opus eſſe: quando & illud conſtaret, Apoſto-
lum ipſum Paulum, licet diuina & cæleſti voce proſtra- *Auguſt. in*
tus & inſtructus eſſet, ad Ananiam tamen miſſum fuiſ- *præf. in lib. de doct. Chriſt.*
ſe, à quo Religionis noſtræ Sacramenta perciperet, &
ad Eccleſiã iũgeretur, eundemq; poſtea ad Apoſtolos, *Galat. 2.*
ſpiritus ſancti afflatu veniſſe, & cum eis de Euangelio,
quod prædicaret, cõtuliſſe. Et Centurionem Corneliũ, *Act. 10.*
quãuis exauditas orationes eius, Eleemoſynaſq; reſpe-
ctas, ei Angelus annũciaſſet: Petro tamen traditũ, vt ab
eo religionis noſtræ Sacramentis imbueretur, & quid
credendum, quid ſperandum eſſet, audiret. Præterea, *Act. 8.*
quamuis Eunuchus ille, qui pietatis ſtudio commotus,
ad ſacrificandum Hieroſolymã venerat, ingenio vale-
ret, & linguæ Hebrææ eſſet peritus, Deumq; haberet
propitium: Philippi tamen operam ei neceſſariam
fuiſſe, cuius ductu, quod in Eſaia de CHRISTO va-
ticinium obſcurum erat, aſſequeretur. Ad hæc Moſes, *Exod. 18.*
quanq̃; familiariter cũ Deo colloqueretur: fuiſſe tamen
quædam, quæ illum laterent, donec ea à ſocero, qui à

religione

religione vera extraneus erat, didiciſſet. Hæc,& alia
1. Pet. 3. complura,cum mente agitarent, & quod Petrus Apoſtolus de Pauli Epiſtolis dixiſſet, de omnibus ſanctis libris dictum accipi debere cognoſceret, quòd nimirum permulta in eis obſcura, ad intelligendum difficilia ſint,
Lib. 10. recognit. ſecuti ſunt Clementis (qui Petri diſcipulus & ſucceſſor fuit) ſaluberrimum conſilium:& ſacras literas, non pro eo ac viſum eſſet,ſed vt à Maioribus explanatæ fuiſſet, intelligendas eſſe duxerunt. Atq; hæc omnia,quæ hactenus diximus, iam inde ab ipſis Eccleſiæ incunabulis facta fuiſſe,intelligi poteſt ex ijs, quæ Euſebius ad hunc modum ex Philone refert, de primis illis noſtræ Religionis ſectatoribus: In ſingulis (inquit) ſacrum domicili-
Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. liũ eſt,quod Semnion, & Monaſterion vocatur: in quo
„ manentes,honeſtæ ac ſanctæ vitæ myſteria celebrant,
„ nihil illò inferentes, nec potum, nec cibum, neq; aliud
„ quicquam eorum,quæ ad corporis ſunt ſuſtentationem
„ neceſſaria:ſed leges & oracula Prophetarum, & hym-
„ nos,& reliqua huiuſmodi, quibus ſcientia & pietas au-
„ geſcunt,& conſumantur.Et aliquantò pòſt dicit: To-
„ tum autem illud temporis ſpacium,quod à diluculo eſt,
„ vſq; ad veſperam, in exercitium illis inſumitur. Sacras
„ quippe ſcripturas legentes, philoſophantur,ac patriam
„ philoſophiam allegoricè tractant. Etenim putant ea,
„ quæ in manifeſta ſunt ſcripturarum expoſitione, quæ-
„ dam eſſe abſcõditæ naturæ Symbola, per figuras ſigni-
„ ficata. Habent & Commentarios priſcorum virorum,
„ qui, cum hæreſeos ipſorũ duces eſſent,multa in forma
„ rerum allegoricè traditarum, poſt ſe monumenta reli-
„ querunt,quibus tanquam archetypis vſi,propoſiti illo-
„ rum imitantur rationem. Hactenus ille. Quare ſanctiſ-

ſimi illi principes noſtræ religionis, maluerunt ex alijs diuinarum literarum ſenſum percipere, quàm ſuæ prudentiæ omnia tribuere. Itaq; Clemens Petrum audiuit: Polycarpus Iohānem habuit Præceptorem: & Irenæus Polycarpum: & Clemēs Alexandrinus Pāthæni Martyris ſcholam ſectatus eſt: eiusdem Clementis diſcipulus Origenes fuit: ex huius Schola (tanq; ex equo Troiano) innumeri celebres ac clari Theologi prodierunt. Hieronymus Didymo, & Gregorio Nazianzeno ſe in diſciplinam dedit, quorum alterum, videntem ſuum vocat, altero Præceptore ſacras ſe literas didiciſſe gloriatur. Quid duo illa Eccleſiæ CHRISTI ornamenta eximia & illuſtria Baſilius, & Gregorius? etſi, quos Præceptores loquentes & viua voce arcana cæleſtia explanantes audierint, memoriæ mandatum non ſit: perſpicuum tamen eſt, ex eorum libris, qui Eccleſiæ hiſtoriam conſcripſerunt, eos tredecim integris annis, in ſolitudine, abiectis omnibus aliarum rerum curis, in ſolum diuinarum literarum ſtudium incubuiſſe, earumq; intelligentiam non aliundè, quàm ex Maiorum ſcriptis petijſſe. Quid Chryſoſtomus? An non is quoq; in Euſebij Emiſeni ſchola verſatus eſt? Quid Gregorius Baſilij frater, qui Nyſsæ Epiſcopus fuit? An non is paſsim in his, quæ ſcripſit (Baſilio Magiſtro & authore) ſanctos libros ſe intellexiſſe prædicat? Et vt ad noſtros veniam: Quid de Cypriano dicendum eſt? nonne is etiam Tertulliani commentarios tanti fecit, vt eos aſsiduè in manibus habuerit, nec abſq; eorum lectione vnū diem ſibi elabi permiſerit, & quoties eum ab Amanuenſi petierit, dixerit: Da Magiſtrum: ſicuti ex eius Notario ſe Romæ audiuiſſe teſtatur Hieronymus. Quid Ambroſius?

In proœmio in Epiſt. ad Galat.

Ruf. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 9.

Lib. de uiris illuſtrib.

ſius? quid Auguſtinus? quid Gregorius Maximus Pōtifex? An nō ille tum reliquos oēs, qui præteritis ætatibus cæleſtis doctrinæ laude floruerunt, tū Hyppolitū Martyrē, & Origenem, ac Baſiliū attētè & diligenter euoluit? & q̃cunq; in eis præclara & eximia eſſe vidit, ſuis lucubrationibus inſeruit? Alter verò eundem Ambroſiū ſacrarū literarum myſteria interpretantem Mediolani diu audiuit? Alter autem partim ex vtriuſq;, partim ex aliorum ſcriptis ad ſacrorū librorū intelligentiam peruenit, & pulcherrima de diuinis rebus volumina poſteris reliquit? Iam verò Fulgentiū, Proſperū, Philippum Presbyterum, quorū illi quidē de difficillimis religionis noſtræ myſterijs copioſè ſcripſerunt: iſte aūt obſcuram & inuolutam ſancti Iobi hiſtoriam explicatè enodauit, quis neſcit ex Hieronymi & Auguſtini officina prodijſſe? Beatus Bernardus quorū auſpicijs & laboribus tantam diuinarū præceptionū cognitionē aſſecutus ſit, illud argumēto eſt, quòd integras plerūq; ſentētias, tū ex aliorū patrum, tùm ex Auguſtini libris potiſsimum decerpſerit, more atq; imitatione diligentis apiculæ, præclaroſq; ex eis & admirabiles cōmentarios confecerit. Nō eſt nunc neceſſe, vt ea de re plura dicam. Nemo.n. ex Catholicis Maioribus noſtris vnq̃; fuit, qui ſibi ſuæ imbecillitatis conſcius non extiterit, & alij præeunti, ac ſacras literas explicanti ſe nō ſubmiſerit, intellectūq; ad obſequium CHRISTI captiuauerit, donec in virū perfectum adoleſceret, & depoſitū, quod à patribus acceperat, fidelibus Eccleſiæ filijs commendaret. Quos autē fructus ex eo perceperunt Patres illi ac Maiores noſtri, ſūma veneratiōe dignisſimi, quòd & diligēter aīum antè purgarunt, q̃; ſe ad diuina ſtudia conferrent, & ea

Patres ex ijs, quæ diximus, quid aſſecuti ſint.

auguſtiora

auguſtiora eſſe, q̃; vt ab ipſis intelligi poſſent, teſtantes, ex aliorũ ore audire voluerũt. Quos? Eos certè, quibus neq; præclari magis, neq; vberiores in hac mortali vita optari poſſunt ab ijs, qui ſanctum Chriſti nomen venerantur. Qui aũt hi ſunt? ij nimirum, qui ſemper in fidiſsima ac tutiſsima bonæ ac placidæ matris, quæ Eccleſia CHRISTI eſt, ſtatione permãſerunt: & in Agricultura Dei, quod fide patrũ ſatum erat, labore & induſtria coluerũt: vt floreret, & matureſceret, proficeret, & perficeretur: vt lucẽ, euidentiã, diſtinctionem acciperet: ſed plenitudinem, integritatẽ, proprietatẽ retineret. Quòd pro frumẽto, quod Maiores noſtri, in hac Eccleſiaſtica ſegete ſeminarunt, nõ zizania, non paleas, pro germana veritate frumẽti: ſed ipſum frumentũ, qua fide ab eis acceperãt, poſteris reliquerũt. Quòd nullas vnq̃; prophanas vocũ nouitates in Eccleſiã vel ipſi inuexerunt, vel inuehi ab alijs permiſerunt: neq; vnq; terminos à patribus præſcriptos egreſsi ſunt. Quòd depoſitum fideliter cuſtodierunt, & à Maiorũ fide nec minis, nec blanditijs, nec vitæ periculo, nec ſattellitum, nec Principum, nec Imperatorum, nec hominum, nec dæmonum metu abduci potuerunt. Quòd in fide et religione Catholica, ac cõmunione eccleſiaſtica, ſanctè, ſapienter, & conſtãter vixerunt, perſtiterunt, & docuerunt: & vel mori cum CHRISTO fideliter, vel occidi pro CHRISTO fœliciter meruerũt. Quòd in vno eodemq; ſenſu, & cenſenſu, manifeſtè, frequenter, perſeueranter, ſanctos libros explanarunt, ſancta myſteria tractarunt, ſanctã CHRISTI Eccleſiam, & genus electum, ac regale ſacerdotium, quod CHRISTVS ſuo ſanguine à peccatis expiauit, docuerũt. Quòd vetera nouis, domeſtica extraneis, ſacra

Eccleſia bona ac placida mater.

Lirinenſis aduerſ. proph. nouat.

1. Pet. 2.

Apocalyp. 1.

prophanis admiſceri, & ex caſtiſsimo veritatis ſacrario impiũ ac turpe errorũ lupanar fieri anteq; ſinerent, millies mortẽ oppetere, atq; extrema quæq; pati ſtatuerũt. Math. 5. Quòd deniq; eã ciuitatẽ, q̃ ſuper montẽ locata eſt, & abſcõdi ab oculis piorũ nõ poteſt, & expreſsã in ſanctis literis viderunt, & matrẽ ſuam agnouerunt, & perpetua veneratiõe proſecuti ſũt, atq; in eius portu placidiſsimè quieuerunt, nec quicq̃; prius vnq̃; habuere, quàm vt in arca illa, extra quam nemini mortalium ſalus contingere poteſt, nõ manerent ſolũ, ſed ſancti etiam illius patri- Gene. 6. 1. Pet. 3. archæ Noe imitatione, alios, ſi poſſent, ex periculoſiſsimo mũdi huius diluuio liberarent, atq; in eã intrare cõpellerent. Quid plura dicã? Quia pura & integra mente ad cæleſtia oracula adierunt: quia nihil ſuo ingenio, ſed Dei oĩa præſidio tribuerunt: quia à Deo precibus aſsiduè ſanctorũ myſteriorũ intelligentiã petierunt: quia ſe imbecilles eſſe ad ea, quę diuina ſunt, percipiẽda cognouerunt: nec alta ſapuerunt, ſed humilibus aſſenſi ſunt, id beneficij à Deo adipiſci meruerũt, vt ſpiritus ille, quem Eccleſiæ promiſit CHRISTVS, ſe in eorũ pectora inſinuarit: & per eos diuina reſpõſa ediderit: proſtratas Eccleſias reparauerit, extĩctos ſpiritales populos viuificauerit: deiectas ſacerdotũ coronas repoſuerit: nepharias nouorũ errorũ nõ literas, ſed lituras lachrymarũ fonte deleuerit: vniuerſũ poſtremò mundũ ſęuis repentinarũ hæreſeôn tẽpeſtatibus perculſum, ad antiquã fidẽ à nouella perfidia: ad antiquã ſanitatẽ à nouitatis veſania: ad antiquã lucem à nouitatis cæcitate reuocauerit. Et quis eſt, qui ſecũ hæc cogitans, nõ exclamet, & cum ſapiente Eccleſia. 44. illo dicat: Laudemus viros glorioſos, & parẽtes noſtros ,, in generatiõe ſua. Multã gloriã fecit Dñs magnificẽtia

ſua

ſua à ſæculo. Dominantes in poteſtatibus ſuis, homines ,,
magna virtute, & prudentia ſua præditi, nunciantes in ,,
Prophetis dignitatẽ Prophetarũ, & imperantes in præ- ,,
ſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſsima ,,
verba, in pueritia requirentes modos muſicos, & narrã- ,,
tes carmina ſcripturarũ, hoĩes diuites in virtute, pulchri ,,
tudinis ſtudiũ habẽtes, pacificãtes in domibus ſuis. Oẽs ,,
iſti in generationibus gentis ſuæ gloriã adepti ſunt, & in ,,
diebus ſuis habent̃ in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reli- ,,
querunt nomen narrandi laudes eorum. An non iiſdem ,,
laudibus ſanctiſsimi illi Maiores noſtri, de quibus dixi-
mus, ornari meritò poſſunt & debent, quibus ſapiens il-
le Hebræus gentis ſuæ Principes & magiſtros ornauit?
Atqui tales ſunt ij, quibus Deus ſe, arcana ſua, & Eccle-
ſiam ſuam patefecit. Quid ergo aliud ex ijs, quæ dicta
ſunt, ſequitur, quàm hæreticos omnes, nõ ſolum qui ha-
ctenus pacem Chriſtianæ Reip. labefactarunt, ſed qui
noſtris etiam temporibus contra nos bellum gerunt,
propterea Eccleſiam vel non agnoſcere, vel nolle co-
gnitam habere, quòd patres noſtros nõ imitentur, neq;
animũ purgent à vitijs; anteq̃; ſancta myſteria percipe-
re ſtudeant: neq; de ſe ſubmiſsè ſentiant & iudicent, neq;
in intelligendis ſacris libris Maiorum ſententias audi-
re velint: ſed mirabili ſuperbia, & incredibili animi ela-
tione, ac inflatione carnis ſuæ, ſcripturas attingant, ac,
prout ipſorũ cerebro libitũ fuerit, explanent, eoſq; inde
eruant ſenſus, qui cũ ea pugnãt ſententia ac cõſenſione,
quam tota CHRISTI Eccleſia ſemper laudauit, appro-
bauit, & ſeruauit: & (ſicut olim dixit Hilarius) boni In-
terpretis officiũ ſequi nolint, qui è ſcriptura ſenſum po-
tius retulerit, q̃; attulerit: nec cogat hoc in dictis cõten- ,,
tũ videri, quod ante intelligentiã docere præſumpſerit. ,,

Heretici cur uel non agnoſcant, uel agnoſcere nolint Eccleſiam.

Lib. 1. de Trinit.

Non vident in ſcripturis Eccleſiam, neq;, quantũ bonũ vnitas ſpiritus ſit, conſyderant: neq; expendũt, q̃; bonũ, & quàm iucundum ſit, quòd fratres habitent in vnum:
Pſalm. 132. Acto. 4. & ſit vnum eorum cor, & anima vna. Hæc omnia mala vnde eis accidant ſi quęras, reſpondere aliud nõ poſſum, q̃; quod Auguſtinus quondam Fauſto Manichæo reſpondit. Qui reddens cauſam, quamobrem ille, cùm oẽs
Lib. 16. cap. 14. Moſis libros euoluiſſet, nullas de CHRISTO prophetias inuenerit: Reſpõdeo, inquit, citò. Quia nõ ĩtelligit.
„ Et ſi, cur nõ intelligat, quiſq̃; quæſierit, reſpõdebo: quia
„ inimico, quia auerſo aĩo legit: quia nõ ideo ſcrutatur, vt
„ ſciat, ſed quod neſcit, ſcire ſe putat. Habes breue quidem reſpõſũ, ſed animaduerſiõe digniſsimũ. Neſciũt, aut ſcire, & ex ſcripturis intelligere nolũt, quæ ſit domus Dei,
Lib. 4. moral. cap. 18. Serm. 65. in Cant. & columna ac firmamentũ veritatis: Quod, vt à Gregorio dictum, ita à Bernardo iiſdem ferè verbis repetitum eſt: Cõmunem ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimẽtur: & occulta ac noua ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud imperitorũ mẽtes ipſi de ſingularitate ſcientiæ gloriantur. Atq; ideò, niſi quod ipſi ſentiunt, rectum putãt nihil. Deniq; tales ſunt, quales illi, quos verberans Lirinenſis, ita cũ Catholicis
Lib. cont. proph. Nouat. loquentes introducit: Venite, ô inſipientes & miſeri, qui vulgò Catholici vocamini, & diſcite fidem veram,
„ quam præter nos nullus intelligit: quæ multis ante ſæ-
„ culis latuit, nuper verò nobis reuelata & oſtenſa eſt. An non eas voces frequenter in ore habent, cum apud noſtros venena ſua ſpargunt? Nonnè hæc initio fuit patris ipſorum Lutheri oratio, cum à nobis deſciuit? eum ſuam ille, de ſola fide iuſtos homines efficiente, doctri-
In Com. cap. 2 ad Gal. nam excogitauit? Ita enim ſcribit: Eſto ſanè, Eccleſia, Auguſtinus, & alij Doctores, item Petrus, Apollo, imò,

etiam angelus de cælo diuerſum doceant, tamen mea ,, doctrina eſt eiuſmodi, quòd ſolius DEI gloriam illu- ,, ſtrat. Vides quanti ſuam vnius ſententiam fecerit? quàm ,, ſolus & ſingularis eſſe voluerit? Audi iam, quàm pul- ,, chrè argumentationem laudat: Igitur neq; Eccleſia, *Ibidem.* neq; patres, neq; Apoſtoli, neq; angeli audiẽdi ſunt, niſi ,, afferant & doceant purum Dei verbum. Hoc autẽ pu- ,, rum Dei verbũ quale ſit, ex ipſo intelliges, qui ſuam illud doctrinam vocat. Nonnè hîc apparet, eum nihil cũ *Lutherus nihil cum Eccleſia, cum patribus, cũ Apoſtolis, cum Angelis commune habere voluit.* Eccleſia, nihil cum patribus, nihil cum Apoſtolis, nihil cum angelis cõmune habere voluiſſe? Atqui, quali ille ingenio fuit, tali ſunt ij, qui ſe ei in diſciplinam addixerunt, & Idola ab eo fabricata, q; Eccleſiæ Catholicę veritatem adorare maluerunt. Vt verè de eis dici poſſet, qualis pater & magiſter ſit, tales filios & diſcipulos eſſe. Nam & ipſi, quamuis multis ab hinc annis ab eius doctrina magna ex parte defecerint, talemq; ſibi quiſq; DEVM finxerit, qualem cupere poteſt animus, vitijs carnalibus inquinatus, qui, vt Apoſtolus ait, non per- *1. Cor. 2.* cipit ea, quæ ſunt DEI: tamen in eo magiſtrum egregiè exprimunt, quòd neq; nobis cedunt, neq; ſe cuiquam ſubmittunt: ac ne alter quidem alterius ſuſtinet iudicium, ſed ſinguli dicunt: Me autore: me princi- *Vincent. Lirinenſ. eod. lib.* pe: me expoſitore. Damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis: Reijcite antiquã fidem, paterna inſtituta, ,, Maiorũ depoſita, & recipite: q nam illa tandem? Hor- ,, reo dicere: ſũt .n. tã ſuperba, vt mihi nõ modò affirmari, ſed ne refelli quidẽ ſine aliquo piaculo poſſe videanť. Atq; hoc quidẽ olim Vincẽtius ille de Pelagianis, qui libero hoĩs arbitrio tantum tribuerunt, vt nullũ Dei gratiæ locum relinquerent. Si autem ea audiret, quæ noſtri pſeudoprophetæ pallio noĩs Euãgelici occultant, an nõ

Hæreſes noſtri temporis ſine piaculo nominari uix poſſunt.

multò iuſtius horreret ea cõmemorare? An non multò æquius diceret, ea talia eſſe, vt ſine nõ quouis, ſed grandi & immani piaculo, non affirmari ſolũ, ſed ne refelli quidem poſsint, & cũ ſancto viro illo Polycarpo aures clau-
,, deret ac exclamaret: O Deus, in q̃ tẽpora me ſeruaſti? Quis.n. niſi aliquis Sathanæ filius, aures nõ cohibeat, & totus non tremeat horreatq́;, cùm audiat, Deũ malorũ autorẽ eſſe, vltrò hoĩes ab eo ad flagitia impelli, atq; ad ęternos cruciatus damnari, cauſaſq; dãnationis excogitari, quod affirmat Caluin⁹? & quod à Iuda CHRISTVS proditus ſit, tàm eſſe opus Dei, q̃; ſit Pauli à ſuperſtitiõe Iudęorũ ad noſtrã religionẽ conuerſio: In qua ſententia fuiſſe Melanchtonem, ipſius ſcripta demõſtrant. Et oĩa bona opera, q̃ Deus in nobis efficiat, gehennæ ſuppliciũ promereri: quem errorẽ à Luthero ſuſceptũ, tuetur Illyricus? Et neq; audiendũ eſſe Euangeliũ, neq; opus eſſe, vt quiſq; mortaliũ ab alio doceatur, neq; ſacros libros legi debere, neq; hoĩem legentẽ prædicantemúe audire, ſed expectandũ, vt rapiatur vſq; in tertium cœlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus (ſicut dixit Apoſtol⁹) & ibi audiat ea, quæ ab homine enarrare nefas ſit: quem Diabolicũ errorem defendit Schvvenckfeldius. At verò non hæc ſolũ, ſed longè etiã complura (quæ ſuo loco numerando recenſebuntur) quamuis Marcionis, Manichæi, & aliorum ſomnia, deliria, ac blaſphemiæ ſint, ij tamẽ, qui nos à cætu piorum excludere volunt, CHRISTI Euangeliũ eſſe contendunt, & teterrimos fætores mellis ſapore cõdiunt, ac mala gramina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulo colorãt, atq;, vt noſtros à
,, veritate abducant, dicũt: Nobis Autoribus: nobis prin-
,, cipibus: nobis expoſitoribus: credite nunc primum lu-
,, cem Euangelij patefactam: credite Eccleſiam hacte-

Caluini impietas & ſuorum fratrum.

1. Cor. 12.

Heretici huius temporis, erroris aliorum temporum pro Euangelio uenditant.

nus erraſſe, veritatem Maioribus abſconditam fuiſſe: ”
Damnate omnes,qui neq; ita crediderunt,neq; ita præ- ”
dicarunt, ſicut nos credimus & prædicamus. Damnate ”
oẽs ſanctos,oẽs caſtos, oẽs cõtinentes, & virgines: oẽs *Heretici huius*
clericos,Leuitas & ſacerdotes, innumerabiles cõfeſſo- *ætatis uolunt,*
rum legiones,martyrum exercitus: maximam vrbiũ, *ut omnia dãnea-*
populorum celebritatem & multitudinem: oẽs inſulas, *mus, & eis*
prouincias,principes,reges,gẽtes, nationes, totum po- *ſolum credas-*
ſtremò orbem terrarũ,quicunq; antè CHRISTI nomẽ *mus.*
veneratus eſt, quàm in lucem prodiremus. Hos oẽs de
Chriſti populo delete, & quandiu ſe verè Deum colere
putarunt,tamdiu eos credite ignoraſſe,erraſſe,blaſphe-
maſſe,& Idololatriam fouiſſe. Poteſnè,Chriſtiane Le-
ctor,hæc ſine magna animi moleſtia & mœrore audire?
Atqui tam vera ea ſunt, vt de eis tibi dubitare non lice-
at. Quid ergo? Credibile eſt fore, vt talibus hoïbus ſua
Deus arcana aperiat, ſanctarũ literarum ſenſum cõmu-
nicet,& quæ ſua Eccleſia ſit,demonſtret: niſi à tàm pra-
uis & immanibus cogitationibus aĩum abducant,& cõ-
uertant ad pacis ſtudia,quæ filios Dei mortales efficiũt, *Math. 5.*
atq; in cælitum numerum adſcribunt? An nõ credendũ
potius,donec tales fuerint, permiſſurũ eſſe Deũ,vt non
ſolũ ſcripta ſacra aliter,atq; expedit,intelligãt: & bonis
oïbus affluens,illa ſanctorum librorũ menſa, fiat eis (vt
prædixit Propheta) in laqueũ,& retributionẽ, & ſcãda- *Pſalm. 68.*
lum: & obſcurentur oculi eorũ,ne videant: & dorſũ eo-
rum ſẽper incuruetur? Ac nõ aliter res profectò accidit. “
Quia non ea caſtitate,quã rerũ cæleſtiũ ſtudiũ requirit, “
ſacros libros tractant: ideò Deus irã ſuã in eos effũdit,& *In præm.*
permittit (quod aliquãdo dixit eorũ prĩceps Luther⁹) vt *aſſert.*
à vera doctrina, veraq; ſacramẽtorũ cognitione ac vſu, “
atq; “

atq; à domo ipſius, q̃ ſola ſpiritus ſancti domicilium eſt, àberrent, & fidei naufragium faciant, atq; ad fabulas

Lib. de præſcrip. aduerſ. heret.

conuertantur, & (vt Tertullianus olim dixit) credendo non credant, & Eccleſiam nõ agnoſcant, & ſine matre, ſine ſede, orba fide, extorres latè vagentur: & ſimiles ſint magis, circulatoribus, philoſophis, & curioſitati deditis, rhetoricariq́; & philoſophari potius ſciant, quàm

1. Tim. 6.

ſanis Domini noſtri Ieſu CHRISTI ſermonibus acquieſcere: neq; aliter affecti ſint, quàm affectos fuiſſe eos ſcribit Satyricus, quibus ille dixit:

Perſius.

Eſt aliquid, quò tendis, & in quo dirigis arcum?
An paſsim ſequeris coruos, teſtaq́;, lutoq́;,
Securus quò pes ferat, atq́; ex tempore uiuis?

Hinc illæ ſcilicet lachrymæ, hinc illa nimirum mala, quòd nouas quotidiè fides cõſcribũt, noua quotidiè dogmata cudunt, nouos quotidiè Articulos de religione cõdunt, neq; vnq̃; ſibi cõſtant: ſed intra annũ, imò intra mẽſem, imò intra diẽ, imò intra horã, ſententiã mutãt: & quod prius negatũ ab eis fuerat, affirmant: quod affirmatum, negant: vt verè de eis poſsit dici, quod olim dixit ſapiẽs: Stultus ſicut Luna mutatur. Et cõparare eos poſsis Protheo illi, quem nullo ſe nodo tenere poſſe ſcripſit Horatius. Quid pluribus verbis opus eſt? Tales ſũt, quales eorum parentes commemorat fuiſſe Lirinenſis,

Lib. aduerſus propb. Nouationes.

cum de eis ſcribens, ait: Heu miſeranda conditio, quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in ſemetipſos reuerſi, tanquam cõtrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione, & ea, quæ incerta videntur, approbãt: nunc irrationali metu, etiã quæ certa ſunt, expaueſcunt: incerti quà eant, quà redeãt: quid appetãt, quid fugiãt: quid teneãt,

quid

quid dimittant. Atq; vtinã ea attentè expenderẽt, quæ
ſequuntur, ac diuinæ erga eos clementiæ quanta lenitas
ſit, expenderẽt. Quæ aũt illa ſunt? Hęc q̃ ſequũtur: Quæ
quidẽ dubij & malè penduli cordis afflictio diuinæ erga
ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcircò etenim ,,
extra tutiſsimum Catholicæ fidei portum, diuerſis co- ,,
gitationum quatiuntur, verberantur, ac penè ſecantur ,,
procellis, vt excuſſa in altũ elatæ mentis vela deponant, ,,
quæ malè nouitatũ ventis expanderãt, ſe ſeq; intra fidiſ- ,,
ſimam ſtationẽ placidæ ac bonæ matris reducant & te- ,,
neant: atq; amaros illos turbulentoſq; errorum fluctus ,,
primitus reuomant, vt poſsint deinceps viuæ & ſaliẽtis ,,
aquæ fluẽta potare. Dediſcant benè, quod didicerũt nõ ,,
benè: & ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu ca- ,,
pi poteſt, capiant: quod nõ poteſt, credãt. Hactenus ma- ,,
gnus ille Catholicæ fidei propugnator Vincẽtius, quẽ,
vt attẽtius & accuratius legerent, qui contra veritatem
arma hoc tempore gerũt, optandum ſanè eſſet. Habes,
quales hæretici ſint, & cur eos ab Eccleſia Deus aberra-
re ſinat: quia videlicet, neq; puro, & à vitijs caſto aĩo ad
ſacra oracula adeunt: neq; precibus à Deo intelligendi
facultatem petunt: neq; ſuam in diuinis myſterijs capi-
endis exiguitatem agnoſcunt: neq; aliorum commen-
tarios recipere volunt.

Cur Deus hæreticos inconſtantes, & perplexos eſſe ſinat.

Vincentius Lirinẽſ. hoc ſæculo attentè legendus.

Sed nõ dubito, quin dicturus aliquis ſtatim ſit, eos tã
eſſe linguarũ Græcæ, & Hebraicę, & Latinę peritos, ni-
hil vt ſit in ſcriptura, quod illi intelligẽdo aſſequi nõ va-
leãt: tanta diſſerendi noticia præſtare, vt de qualibet re,
q̃ propoſita fuerit, expeditè diſputare poſsint. Philoſo-
phiæ ita eſſe gnaros, vt cũ ſummis eius ſciẽtiæ magiſtris
cõparandi ſint. His ergo facultatibus cùm mirificè ex-
cellant,

cellant,nihil obſtare,quò minus ea,quæ obſcura in ſan-
ctis voluminibus ſint,percipere facilè queant. Credendum
eſſe,ſacras literas purius ab ijs intelligi (qui, ſi res
poſtulet,conſulere ipſos fontes poſsint, & translationes
examinare) quàm intelligantur ab illis, qui linguarum
planè ignari exiſtant, nec Latina cum Græcis, & Hebraicis
conferre queant. Præterea nihil,diu noctuq;,aliud
in manibus habere eos, quàm ſanctas literas, vt penè
ad verbum,ſi opus ſit,recitare eas poſsint: ſeſe in earum
ſenſibus indagandis perpetuò exercere. Hæc, & plura,
quæ in hanc ſententiam dici poſſent, argumenta ſunt,
quibus illi perſuadere vulgò ſtudent, nihil tam abſtruſum,
tam obſcurum, inuolutumq; eſſe in cæleſtibus literis,
quod illi animo & mente comprehendere nequeant.
Ad hęc omnia adiungunt & illud, eo ſe ſpiritu præditos
eſſe,qui omnia eis plana atq; aperta faciat. Sacras
etiam ſcripturas ita faciles ad intelligendum eſſe, vt nemo
tam ſit mentis inops,tam hebes,tam rudis, quin eas
facilè intelligat, modò credat, & in promiſsionibus di-
Reſponſio. uinis ſpem conſtitutam habeat. Nos, fauente Deo, ad
hæc paucis reſpondeamus. Ac quod attinet ad illud,
quod initio dicunt: ſe tantis eſſe linguarum, & Dialecticæ,
ac Philoſophiæ opibus inſtructos, vt earum beneficio
nihil non aſſequantur: ad id nos reſpondemus, quod
Orat. 1. cont. Arrianos. olim dixit Athanaſius. Quòd ſcilicet non dictio, ſed
mens,quæ religioſè agit,fidelem aliquē faciat. Et quod
Lib. 5. præclarè dictum eſt ab Irenæo: Chriſtiano, non quid
impudens & blaſphemus Sophiſta, ſed quid religioſus
Veritatis defenſori nec Dialectica, nec eloquentia metuenda. Idiota dicat,attendendum. Efferant ſeſe illi,quantū volent,
& ob eloquentiam, ac variam & multiplicem loquendi
& diſputandi noticiam extollant: nos hæc non

auocabunt

auocabunt ab inſtituto, nec deterrebunt, quò minus veritatis patrocinium ſuſcipiamus. Quia, ſicut Auguſtinus Catholicæ fidei propugnator inuictus ſcripſit, aſſertori veritatis, nec eloquentia, nec Dialectica metuenda eſt. Memoriæ olim prodidit Theodoretus, Philoſophos, quòd eloquendi facultate, diſciplinarumq; ſcientia præſtarent, perſuaſum habuiſſe, omnium ſe mortalium optimè veritatem peruidere: ſed ſtatim eorum errorem vel eo vno verbo retudit, quòd dixerit, veritatem ab idoneo linguæ concentu petendam non eſſe. Licet enim Homero nihil ſit iucundius ac ſuauius, procul tamen à Platone pulſum fuiſſe ea ciuitate, quam ipſe conſtitueret: quippe, qui omnis licentiæ & impietatis magiſter eſſet: & blaſphemare adoleſcentes doceret: iiſq; flagitioſas, de Dijs immortalibus, opiniones iſinuaret: teneriſq; adhuc animis insereret pernicioſas & corruptiſsimas diſciplinas. Nobis quidem certè, qui ad ſempiternam fœlicitatem aſpiramus, quæ ſine veritate contingere nemini poteſt, maior veritatis, quàm cultæ & expolitæ orationis ratio habenda eſt. Ac libenter audimus, quod eſt apud Platonem, qui non fuerit verborū valdè ſtudioſus, eum grauiora prudentiæ documenta in ſenectute æditurum eſſe. Et quod literis prodit Clemēs Presbyter: Res & verba, corpori ac veſti ſimilia eſſe: & ſalutis corporeæ, quàm veſtis maiorem curam geri debere. Quare iure in reprehenſionem cadunt, qui tantum linguarum & diſciplinarum humaniorum ſtudio tribuunt, vt certò ſtatuere audeant, quòd qui in iјs ſit diligenter verſatus, is ſtatim cæleſtia arcana capere poſsit, nec quicquam eum latere debeat. Contrà enim res habet, atq; iſti ſtatuunt. Nam Diuus Auguſtinus Græcè

Cont. Creſc. grāmaticū. li. 2. cap. 34.

Lib. 1. de curand. affect. Græcorum.

Homerus cur à Platone è ciuitate pulſus.

Chriſtiano maior veritatis quàm eloquentiæ ratio habenda.

Auguſtinus.

nõ ſatis eruditus fuit, & Hebræorum linguam vix attigit, ſicut ipſe de ſe teſtatur. Quis autem eo vno in ſacris literis explanandis fœlicior? Quis in diuinis myſterijs erudiendis beatior? Quis in erroribus hæreticorũ refutandis vehementior? Quid Gregorius Pontifex? Nõnè is cũ ſummis Græcorũ & Latinorũ magiſtris cõparari poteſt? Atqui in linguarum ſtudio multũ operæ poſuiſſe non videtur. Bernardo quis eam non vendicet laudẽ, quòd obſcuriſsimas ſæpe dicendi formas perdoctè admodũ interpretet? Rupertus quoq; Abbas Tuitienſis, qui magnis, & varia eruditione refertis voluminibus, ſacros libros illuſtrauit, prçterq̃; Romanè loqui neſciuit. At, Deus bone, q̃; ſanctè, quàm doctè, q̃; copioſè de rebus diuinis diſſerit. Nolo de alijs dicere, quorũ hac in parte ingeniũ & induſtriam ſingularẽ, nemo nòn admirabitur: Illud tamen oĩbus meritò tribuendum putarim, quòd maluerint cum ſancto Paulo quinq; verba in Eccleſia loqui, quàm in linguis plurima. Nec regnum Dei in ſermone, ſed in virtute conſiſtit. Nam „ (vt Clemens Alexandrinus ſcriptum reliquit) omnes „ ferè initio abſq; diſciplinarum orbe, & Græca Philoſo„ phia: alij etiam abſq; literis, diuina & barbara moti phi„ loſophia, & ea ſapientia quæ per ſe operatur, diuinam „ ac cæleſtem diſciplinam acceperunt. At rectè idem Clemens dixit, Quòd hæc humaniorum literarum peritia ac cognitio plerunq; inflet: Eccleſiæ verò charitas ædificet. Quinetiã prudenter idẽ admonet, ijs, qui educati ſint in eis diſciplinis, quas liberales vocant, & inflatorũ argumẽtationũ viribus aĩum iam habẽt præoccupatũ, & nondũ exinanitum, verbi doctrinã, vt ab eis examinetur, tradendam nõ eſſe. Non vituperamus ſtudiũ

Greg. Pont. Max. — *Bernardus.* — *Rupertus Tuitienſis Abbas.* — *Strom. 1.* — *Linguarum cognitio plerunq; inflat, ſed Eccleſiæ charitas ædificat.*

linguarũ,cum id tanquã Dei munus veneremur:& ſciamus,quæ verſa in alienum ſermonẽ ſint,ſi conferantur cum iis,quæ natiuus ſermo expreſsit,fore,vt plurimum lucis habeant:Id quod ex Origenis,D.Hieronymi,atq; aliorum grauiſsimorum hominum lectione deprehendimus:ſed offendimur eorum temeritate & arrogãtia, qui in eloquentiæ & diſciplinarum ſtudio, ad ſacras res percipiendas, tantum præſidij locant, vt ſpiritus ſancti gratiam, quæ ſola Diuina myſteria aperit, negligant, atq; habeãt pro nihilo: ac Eccleſiæ ſenſum & cõſenſum, qui ab eodẽ ſpiritu profectus eſt, cõtemnant & floccifaciant. At verò, qui cum fructu verſari in diuina philoſophia velit, is non diſciplinarum tantũ cognitione inſtructus ſit,oportet:ſed illud etiã ei neceſſariũ ante omnia eſt, vt ſpiritus ſancti fauorem ſuppliciter imploret: Eccleſiam, tanquam matrem & veritatis Magiſtram: audiat: & quæ illa ſtatuit,libenter ſequatur: patrum explanationes, decreta, & ſanctiones, quæ concilia in vniuerſo orbe habita promulgarunt, veneretur,colat,& ſeruet. Ita.n.demum fiet, vt pulcherrimo linguarũ dono,ad ſe, & alios, ſuper firmam Chriſtianæ religionis petrã, piè ædificandos, bene vtatur: cuius rei cauſa illud mortalibus à Deo cõceſſum fuiſſe ſcribit Apoſtolus. Quiſquis aũt ſacra ſtudia ſequi velit, reiecta Eccleſiæ Autoritate,neglectis patrũ ſcriptis,repudiata Maiorum diſciplina, & cõtemptis Conciliorũ ſtatutis: is,licet Græcè tam facundus ſit, quàm Demoſthenes: & Latinè dicendo, Ciceronem ſuperet: ac rerum naturæ ſcientia æquet Ariſtotelem atq; Platonem: ſciat fore, vt, quod euenire impijs ſcripſit impius aliquando Lutherus, ſcriptura ei cauſa cæcitatis exiſtat: quia am-

Linguarum abuſus, non uſus reprehẽdendus eſt.

Linguarum uerus uſus quis ſit.

In aſſert. proœm. Coloſs. 2.

Coloſſ. 2. bulat inflatus ſenſu carnis ſuæ: & nõ tenet caput, ex quo
„ totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtra-
„ tum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.

Quòd aliquis ſcripturarum peritus ſit, id non obſtare quo minus in hæreſes labatur.

Quòd verò ſecundo loco adferunt, ſe totam ætatem in ſanctis libris conſumere, nec quicquam præter ſacros libros habere: Id, vt paucis demonſtremus, nihil eorum cauſæ opitulari, dicimus complures fuiſſe homines, quorum admirabilis fuerit diligentia & labor in ſacris libris intelligendis, quiq; ſe totos, alijs curis omnibus abiectis, ad id vnum ſtudium contulerint: quos tamen conſtat turpiter hallucinatos fuiſſe: & ea, quæ religioni noſtrę planè aduerſarentur, ſenſiſſe. Nam *Euſebius Cæſarieñ.* Cæſarienſis Euſebius, qui Pamphili martyris cognomen adeptus eſt, quantus in ſcripturarum intelligentia *In Catal. ad Deſiderium.* ac cognitione fuerit, indicat illud, quod à Diuo Hieronymo Clauis ſcripturarum nuncupatur. Sed nihil hoc effecit, quò minus contra totius Eccleſiæ CHRISTI ſententiam, filium patre minorem eſſe, aliquando defenderet: & columnam, ac firmamentum veritatis, *1. Timoth. 3.* quæ Eccleſia eſt, apud Arrium, & qui eum ſectarentur, eſſe putaret. *Ticonius Donatiſta.* Quid Ticonius? Quo poterit elogio ornari, quod magis honorificum ſit, quàm illud, quod Auguſtinus ille excellens & admirandus Eccleſiæ doctor, ex eius ſcriptis quaſdam regulas excerpſerit, quæ ad intelligendam ſcripturam plurimum *Lib. 3. de doctri. Chriſt. cap. 30.* adiuuant: ſicuti de eis ipſe teſtatur? Attamen, is quantuſcunq; in ſcripturarum notitia indaganda fuit, in Donati, & Pelagij hæreſim lapſus eſt: & magno opinionis errore, duo CHRISTI corpora: duas videlicet Eccleſias, confinxit: In qua ſententia Melanthonem

thonem fuiſſe, quæ ipſe ſcripſit, palàm demonſtrant. *In libello de Eccleſia.*
Quid de Tertulliano dicam? quanta is eruditione & *Tertullianus.*
ſcientia cæleſtium literarum excelluerit, quanta vi
& acumine ingenij præſtiterit, ac res diuinas perce-
perit, ex eo conijci poteſt, quòd & Cyprianus (vt
dictum eſt) eum Magiſtrum ſuum vocauerit: & Hie- *In Epiſt. ad Magnum*
ronymus nihil eo acutius, nihil eruditius eſſe ſcripſe- *Orat.*
rit. Verùm, quod ſine magno animi dolore com-
memorare vix poſſum, tam præclarum doctrinæ lu-
men, cùm multos ex errorum tenebris ad veram lu-
cem reuocaſſet, poſtea ipſe, neſcio quo malo genio af-
flatus, in fœdos ac pudendos errores ſeſe præcipitauit:
& ab ea doctrina, quæ toto terrarum orbe florebat,
ad Montani impoſtoris vecordiam defecit, qui ſe Pa-
racletum à Patre miſſum eſſe mentiebatur. Sed &
eorũ errori fauit, quos nos Millenarios dicimus, Græci
Chiliaſtas vocarunt. Deniq; horrenda atq; immania
eorum, qui Cataphrygæ appellantur, deliria approba-
uit. Poſſem de Origene idem dicere: ſi quidem eius li-
bros ab ijs, quibus vera religio cordi nõ fuit, deprauatos
ac corruptos non eſſe conſtaret. Ad alios orationem
vertamus. Apollinaris Syrus, qui omnium ſuæ ætatis *Apollinaris, de quo Suidas.*
hominum doctiſsimus fuiſſe dicitur, Porphirij erro-
res prodigioſos, & incredibilem contra Chriſtianos
petulantiam, triginta voluminibus retrudit: Hebræo-
rum vniuerſam hiſtoriam, vſq; ad Saulis Regis tem-
pora, heroico carmine perſecutus eſt: & opus in vigin-
ti quatuor Tomos, iuxta literarum Græcarum nu-
merum diuiſit. Atq;, vt multa vno verbo com-
plectar, tantus ac talis fuit cæleſtium ſcientia litera-
rum, vt cum ſummis ædificatoribus Eccleſiæ coniungi

 potuerit,

In lib. aduerſ. prophanas nouat.

potuerit, ſicuti de eo dixit Lirinenſis ille Vincentius. Quid autem ei ad extremum accidit, vt prophana hæreticæ curioſitatis libidine cunctos labores ſuos, velut cuiuſdam lepræ admiſsione fœdarit, & doctrina eius non tam ædificatio, quàm tentatio Eccleſiaſtica fuerit? Ac poſſem ego in hac exemplorum commemoratione, ac rerum antiquarum prolatione diutius immorari: ſed ſatis ſit illud dicere, paucos admodùm priſcis ætatibus, ea, quæ cum religione noſtra pugnarent, aſſeruiſſe, qui vel magno in ſcripturis opere exercitati non fuerint, vel magnam apud vulgus authoritatem ac fidem, eo ſibi nomine non conciliarint. Hoc Arrius, hoc Macedonius, hoc Eunomius, hoc Neſtorius, hoc Eutyches, hoc omnes hæretici fecerunt, quotquot hactenus ſuas priuatas opiniones, Eccleſiæ totius ſententiæ & præceptioni antepoſuerunt. Relinquitur ergò, ne hanc quidem ob cauſam eis accommodari aures debere.

Hæretici omnes ſcripturarum prætextu ſibi authoritatem conciliāt.

Sacras literas obſcuras eſſe, nec à quouis facilè intelligi poſſe.

Sequitur, vt ea quoq; falſa eſſe demonſtremus, quæ poſtremò ab eis adducuntur, nempe ſacra volumina clara & perſpicua eſſe, nec quenquam ad ea intelligenda, patrum explanationibus indigere: vt eorum opera diſcat in ſanctis libris, quæ ſit CHRISTI Eccleſia, & qui de eius collegio cenſeantur. Ac commune quidem atq; vſitatum hæreticis omnibus eſt, affirmare, ſacros libros tam eſſe ad intelligendum faciles, vt nihil in eis ipſi obſcurum, nihil perplexum & intricatum deprehendant. Facit hoc callida hæreticorum peruicacia, ne, ſi quid ſe non percipere fateatur, in eo iudicium Eccleſiæ expectare & audire debeat.

Hæretici cur in ſcripturis nihil eſſe obſcuritatis dicant.

debeat. Sed eos turpiter decipi, & graui in errore verſari, facilè indicat Apoſtolorum Princeps, qui tum *2. Pet. 3.* diuina omnium ſcripta, tum Pauli potiſsimum Epiſtolas ad intelligendum difficiles eſſe affirmat. Quin *Ioan. 5.* etiam CHRISTVS ipſe indicat, cæleſtes literas non vſq; adeò claras eſſe, vt, qui eas intelligere cupit, huic aliorum diligentia & labor neceſſarius non ſit. Ait ,, enim: Scrutamini ſcripturas. Quod ſi nulla in eis ,, obſcuritas ineſſet, tum nihil neceſſe eſſet eas ſcrutari, ſed legere tantùm ſufficeret. Atqui eas magnis obſcuritatibus & difficultatibus plenas eſſe, illud eſt indicio, quòd vel apud illos ipſos hæreticos, qui ſe nihil in eis ignorare gloriantur, de vna ſæpe voce complures interpretationes, varięq;, & diſſentientes reperiantur: Id quod vſu eueniſſe legimus in illis Chri- ,, ſti verbis: Hoc eſt corpus meum. De quibus plu- ,, res quàm octo expoſitiones, eaſq; diuerſas, annotatas à ſe fuiſſe ſcribit Lutherus. Sed mira eſt iſtorum hominum impudentia. Nam ſi ſanctæ literæ ab omnibus mortalibus intelligi poſsunt, quid eſt cauſæ, quamobrem ipſi tantum laboris inſumant, vt ſuis eas commentarijs illuſtrare & explanare conentur? Si nihil in eis obſcurum eſt, quorſum tot ab eis expoſitiones conſcribuntur? quid eſt, quod nouas quotidie explanationes comminiſcantur? Quicquid iſti nouarum rerum Autores, & prophanarum nouitatum amantes homines excogitent, quicquid ſomnient & deblaterent, vel ex eo intelligitur, multa in ſcripturis ſanctis obſcura & intricata ineſſe: quæ, niſi ab alio exponantur, percipi à quouis nequeant. Certè, ſi vera eſſet iſtorum hominū ſententia, neq; Origenes, neq; Baſilius magnus, neq;

In eo lib. quem inſcripſit: Quod hæc verba: hoc eſt corpus meum. adhuc firmiter maneant contra Suerm.

 Ambro-

Ambroſius, neq; Hieronymus, neq; alij ſanctitate & doctrina Illuſtres viri, cùm Græci, tum Latini, Commentarios in ſanctos libros edidiſſent: neq; Diuus Auguſtinus quatuor de doctrina Christiana libros elaboraſſet: in quibus certas quaſdam regulas & præceptiones traderet, quæ ad diuina myſteria capienda viam aperirent. Si verum eſt, quod Aduerſarij tam arrogantes ſibi aſſumunt, cum dicunt: qui CHRISTI fidem amplectatur, nihil eſſe, quod eum in ſanctis literis fugiat, quippe, qui familiarem & propitium Dei ſpiritum habeat: conſequens eſſet, ſanctos etiam patres, qui à temporibus Apoſtolorum uſq; ad noſtram ætatem: in Eccleſia floruerunt, eo ſpiritu deſtitutos fuiſſe: quando ingenuè faſsi ſunt, multa ſe in ſacris literis deprehendere, quæ intelligentia complecti non poſſent.

Non omnibus, qui credunt, ſacros libros apertos eſſe.

Quod quidem certè, ſi Aduerſarijs detur, illud obtinebunt, vt dicendũ ſit: Eccleſiã, cuius nobiliſsima & illuſtriſsima membra patres ſunt, non habuiſſe eum ſpiritũ, quem CHRISTVS ſe ei miſſurum eſſe promiſit. Sed longè id falſiſsimum eſt: Nam ſicut nauem nauclerus, ita ſpiritus ſanctus perpetuò ſuam Eccleſiam regit, & in patrum pectoribus habitans, cœleſtia oracula explanat: nec tamen id obſtat, quò minus quædam ab eis ſalubriter ignorari permittat, quia (vt præclarè ſcriptum eſt ab Irenæo) diuino hoc conſilio fit, quò ſemper habeat ſpiritus ſanctus, quæ mortales doceat: & ſemper ſint aliqua, q̃ mortales à ſpiritu ſancto diſcere poſsint. Quid enim magis optandũ, & votis oĩbus homini expetendum, quàm vt perpetuò ſpiritu ſancto doctore diuina myſteria perdiſcat? Id autem quî fiet, niſi quis, etiãſi millies diuinos libros euoluat, nõnulla in eis ignoret,

Patres nobiliſsima Eccleſiæ membra.

Irene. lib. 2. cap. 47. Scriptura ideo eſt obſcura, quia ſpiritus ſanctus ſemper uult habere quod doceat mortales.

ret, & ea ſibi à Deo patefieri precibus contendat. Id ſi verum eſt, vt profectò eſt veriſsimum, quis non videt, hæreticos noſtri temporis, nolle ſpiritum ſanctum magiſtrum habere, quando nihil ſibi obſcurum eſſe in ſanctis libris contendunt? Rectè nimirum in eiuſmodi hoīes quadrat, quod dicit Comicus: faciunt næ intelligendo, vt nil intelligant. Nam dum omnia ſe, quæ in ſacris literis ſunt, percipere iactant, efficitur, vt ne vno quidem, aut altero loco, quid ſibi illæ velint, aſſequantur. Affirmat Diuus Hieronymus, neminem libros Moyſis, ac Prophetas, ſine doctore & magno ſtudio intelligere poſſe. Palàm aſſeuerat Auguſtinus, tantam eſſe cæleſtiū literarum profunditatē, vt in eis quotidiè proficere poſſet, licet ab ineūte pueritia, maximo otio, ſummo ſtudio, & acriori ingenio ſeſe in earum intelligentia exerceret. Idem reliquos omnes patres iudicaſſe, ſuprà diximus: & audet (ſi Deo placet) neſcio quis Lutherus, Apoſtata: neſcio quis Grammaticus Philippus: neſcio quis ſuſcepti voti violator Bucerus: & eorum collega Brentius: atq; alij, veræ fidei deſertores affirmare, nihil in ſanctis literis occurrere ipſis poſſe, quod non facilè & planè intellecturi ſint. Nec cogitant ab Auguſtino ſcriptum eſſe, idcircò quædam in ſacra ſcriptura reperiri, quæ obſcura & caligine plena ſint, vt ſuperbia noſtra labore dometur, & animi faſtidium excutiatur: cui, facilè inueſtigata, plerunq; vileſcunt. Sed quid ego nunc in eo laborem, vt planum faciam, ſcripturam obſcuram eſſe, & vulgò ab omnibus intelligi non poſſe: cùm noſtri Aduerſarij vel inuiti ſuis ſcriptis ac mutuis diſsidijs id probent: & ſicut olim aliter eam interpreta-

Hæretici noſtri temporis nolunt habere doctorem ſpiritum ſanctū.

In prologo Andria.

Hier. in Epiſt. ad Paulinum.

Auguſt. in Epiſtola ad Voluſianum.

Auguſt. de doct. Chriſt. lib. 2. cap. 6. Scriptura cur obſcura ſit, alia ratio.

Hæretici ſuis diſsidijs ſcripturam obſcuram eſſe probant.

tus

tus eſt Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus, aliter Macedonius, aliter Arrius, aliter Eunomius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, Iouinianus, Pelagius, Celeſtinus, Neſtorius, Eutyches, & alij mendaciorum Architecti ac principes: ita noſtro tempore alium ex eis ſenſum eruit Lutherus, alium Philippus, alium Caluinus, alium Zuinglius, alium Oecolampadius, Brentius, Oſiander, Flaccus, Gallus, VVeſtphalus, & reliquum hæreticorum agmen: qui, ſicuti ait Propheta, nomina ſua in terris

Pſalm. 48. vocauerunt. Quid enim? An non vel in vna Auguſtana confeſsione, ita ab omnibus laceratur ſcriptura, dum quiſq; ei, quem libitum ſit, ſenſum affingit, vt ex ea confeſsione, quam ij amplectuntur, qui confeſſorum quàm martyrũ numero adſcribi malunt, confuſio maxima ſit nata? Ac veriſsimè de ea dici poſſit, quod grauis & doctus inprimis author Tertullianus

Lib. aduerſ. Valentinian. ſcribit: cõfuſio prędicatur, dum religio aſſeueratur. Ab hoc ſcilicet fonte manauit error ille peruulgatus, qui

Error, quo plebs ſacros libros legere temerè audet, unde natus. miſerè plerosq; omnes mortales in Germania cruciat: dũ quiſq; ab his doctoribus perſuaſus, etiamſi nullis vnquam diuinis præceptionibus tinctus fuerit, nec vllũ in Theologię ſtudio laborem operamq; poſuerit, tam bene ſe ſacros libros intelligere poſſe credit & prædicat, atq; is intelligeret, qui in eorũ ſenſu exquirendo omnia ſumma fecerit. Primus omniũ noſtræ ætatis hominum

Eraſmus Rot. author. iecit mali huius radices Eraſmus Roterodamus, qui à ſanctarum literarum lectione neminem prohibendum eſſe ſcripſit: omnibus eam planam, & ad intelligendum facilẽ pronuncians: cum interim ipſe non pauca in ſacris literis loca perperam & infeliciter interpretatus ſit. Sed tamen

tamen hoc idem malum ab ijs, qui conſecuti ſunt, tam longè lateq; propagatum eſt, vt nemo in Germania tam abiecta & vili conditione ac fortuna ſit, quin vtriuſq; teſtamenti libros in vernaculam linguam conuerſos habeat, quotidieq; aliquid in eis legat, eaq; re duntaxat fretus, de omnibus Chriſtianæ religionis myſterijs diſputare: & cũ eo, qui doctiſsimus ſit & habeatur, in aciẽ prodire audeat. Dum Chriſtianiſsimo Ferdinando Cæſari ſeptẽ ferè annis ſeruio, in ijs actionibus, quæ ſacro ſanctæ ſunt, & ad immortalẽ vitã perducunt, bonã Germanię partẽ peragraui: nec vllũ vel publicũ, vel priuatũ hoſpitiũ ingreſſus ſum, in quo non viderim Biblia ſacra Germanicè expreſſa, quæ nõ procul poſita à menſa (vellent, nollent) hoſpites legere interdũ cogerentur. Ac mirũ ſanè eſt, quanto ſupercilio, quanta arrogantia, quanta animi elatione ac faſtu, cùm oẽs in Germania homines, tum maximè ij, qui exteros hoſpitio excipiunt, de cõtrouerſijs noſtri temporis colloquantur, & ſententiã proferãt. Annus eſt, cũ Viẽnæ me ad menſam adhibuit Martinus Cromerus (clarũ & eximiũ Polonorũ gẽtis ornamẽtũ) qui religionis ac fidei cauſã, ſummo ſemper iudicio, ſũmaq; doctrina & eloquẽtia tutat⁹ eſt, & nunc Regis ſui noĩe legatione apud Cæſarẽ fungitur: tum pro ea humanitate, quã Germani conuiuijs celebrandis declarare ſolent, hoſpes vnà cum vxore ad prandiũ vocatus eſt, atq; ibi vxor Germanicè de coniugio ſacerdotũ diſputare mecũ cępit: ego quãuis pleraq; perciperem, tamen cùm ita reſpondere, vt me illa intelligeret, non poſſem, & diſputationem finiri cuperem, iuſsi teſtamentum nouum vulgari lingua perſcriptum adferri, quod illa cùm ſtatim produxiſſet, ex eo

In Germania plerique magno cum periculo habent libros ſacros uulgari lingua uerſos.

1. Cor. 14.

Faceta, & ridicula cuiuſdã mulieris reſponſio.

legendum ei exhibui, illud quod Paulus ait, Mulieri non permitti, vt in Eccleſia loquatur. Quæ verba, cum illa de Paulo audiuiſſet, quid (inquit) contra me teſtem Paulum appellas, qui nobis mulieribus idcircò infenſus fuerit, quod à mulieris congreſſu perpetuò abſtinuerit: tum diſputatio riſu ſoluta eſt. Atqui huiuſmodi diſputationibus nihil magis vſitatum in Germania, nihil magis vulgare, ac familiare eſt. Domi in cubiculo, in hypocauſto, in lecto, in balneo, in menſa: foris in compitis, in plateis, in foro: pueros, adoleſcentes, iuuenes, viros ſenes, puellas, nuptas, publicè, priuatĩ, ſine vllo rubore, ſine vlla verecũdia, de ſacris reb⁹ ſermonẽ miſcẽtes, & ſua ſõnia defendentes audies: & poſt equorũ curã, poſt ſpectacula, poſt cantilenas, poſt ventrem, & ea, quæ ſub ventre pudenda exercentur: poſt ebrietates & copioſam crapulam, de fide & religione vbiq; diſputatio inſtituitur, & conuiuiorum hilaritas omnis huiuſmodi nugarum tædio diluitur. Diuus Gregorius, Nazianzi Epiſcopus, conqueſtus olim eſt, quòd ſuo tempore magnum fidei myſterium, in argutam quandam artem degeneraſſet, & illius ætatis homines pro delitijs haberẽt, de diuinis contendere, & repugnantium argutiarũ ſubtilitatem meditari: Quid faceret, ſi in noſtrum ſæculum incidiſſet, quanto iuſtius conqueri potuiſſet? Certè ſpectaculum illud tam triſte & miſerandum, quod Diuus Hieronymus depingit, vix vlla ætas apertius vidit, q̃ noſtra hæc videt, vt ille non magis de ſuo, quàm de noſtro tempore ſcribere voluiſſe videatur. Nunc, vt ille ait, Agricolæ, cementarij, Fabri metallorum, lignorumq; cæſores, lanij quoq;, & fullones, & cęteri, qui variam ſuppellectilem, & vilia opuſcula fabricant, abſq; doctore

Lib. 1. cont. Eunomium.

Noſtro tempore fidei myſterium in argutam artem degenerauit.

Hier. ad Paulinam Epiſt. 38.

doctore eſſe non poſſunt, quod cupiunt. Quod medi- *Hieronymi ſententia ad noſtrum ſeculum maximè accommodata.*
corum eſt, promittunt medici, tractant fabrilia fabri.
Sola ſcripturarum ars eſt, quam omnes ſibi vendicant:
hanc garrula anus, hanc delirus ſenex: hanc Sophiſta ,,
verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, ,,
antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio, grãdia ver- ,,
ba trutinantes, inter mulierculas de ſacris literis philo- ,,
ſophantur. Alij diſcunt (proh pudor) à fœminis, quod ,,
viros doceant: & ne parum hoc ſit, quadam facilitate ,,
verborum, imò audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non ,,
intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui, ſi fortè ad ſcri- ,,
pturas ſanctas poſt ſęculares literas venerint, & ſermo- ,,
ne compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixe- ,,
rint, hoc legem Dei putant. Nec ſcire dignantur, quid ,,
prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint. Sed ad ſenſum ſuum ,,
incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non ,,
vicioſiſsimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ,,
ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. ,,
Quàm verò præpoſterè hoc fiat, argumento eſt per-
uulgata illa de Baſilio illo Magno hiſtoria, qui cum de
rebus ſacris loqueretur coram Imperatore Valente, ac *Theodoret. lib. 4. cap. 19*
Demoſthenes quidam, qui rei culinariæ apud Cæſarem
præerat, ad eum ſermonem acceſsiſſet, deq; diuinitate
cœpiſſet colloquium miſcere, tum ille ſubridens, De-
moſthenem (inquit) illiteratum vidimus: cumq; idem *Inſignis Baſilij uox.*
offenſum ſe verbis Baſilij eſſe demõſtraret, rurſum Ba-
ſilius: tuum eſt, Demoſthenes, curare iuſculorum con-
dimenta. Quid autem nunc diceret vir ille, ſanctitate &
doctrina admirabili, ſi inter mortales lucis huius com-
munis vſura frueretur? Quàm multos reperiret De-
moſthenes, quibus & illud obijceret, Quod illiterati

 eſſent,

eſſent, & curare iuſculorum condimenta deberent. *Apelles.* Noluit ille nobilis pictor, vt ſutori vltra crepidam quicquam liceret. Quàm infinitam ſutorum turbam videret, ſi nunc in viuis eſſet, quam ab eo iudicio cohiberet: quòd ea altiora & magis ardua ſtatuat, quàm abiectum conficiendæ crepidæ artificium patiatur? *Ethic. 1. cap.* Ariſtoteles cum de moribus præcepta conſcriberet, Iuuenes ab ea diſputatione excluſit, quia non iudicaret eos eſſe idoneos ad ea percipienda, quæ in philoſophia traderentur. Quàm nunc grauiter in quoſdam animaduerteret, qui vix pueritiæ metas egreſsi cum ſint, non ea, quæ morum ſunt, ad quæ facile quæuis ætas admitti poſſet, ſed religionis noſtræ myſteria ſe aperire poſſe iactant? Romani olim libros à Sibyllis conſcriptos, tanta veneratione coluerunt, ut ijs tantùm, qui *Feneſt. de magiſtrat. lib. 1. cap. 13.* Duumuiri eſſent, eos inſpicere liceret. Ac poſtea cum Sacerdotio honeſtati eſſent Decemuiri, eis, vt Sibyllarum monumenta legerent, permiſſum eſt, reliquis eorum lectio interdicta fuit. Quòd ſi nunc in terris verſarentur, & Chriſtianorum legibus obedirēt, quàm grauiter & iniquè ferrent, noſtro tempore non Sibyllarum folia, ſed cæleſtia, ac digito DEI expreſſa oracula, à porcis conculcari, & à canibus lacerari? *Porci, & canes qui.* Quid enim aliud ſunt quàm porci & canes, homines, qui ſub imagine hominis non humanam, ſed beluinam vitam traducunt? Meritò tales ſanctorum librorum *Strom. 1.* interpretes Suillos vocat Clemens Alexandrinus. *Contra Fauſt. Manich. lib. 32. cap. 19.* Iure profectò his dixeris, quod olim quibuſdam Auguſtinus dixit: Quò te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta? quò te committis? *In Apologet.* Traditum eſt literis Hebræorum, ſicut Nazianzenus, & Hiero-

&Hieronymus ſcribunt, eum librum, qui nuncupatur Cantica Canticorum, non omni ætati legere conceſſum fuiſſe, quòd non expediret, omnes omnia ſtatim diſcere, quia nec omnia omnes capere poſſunt, & lædantur potius, quàm iuuentur, ſi nondum capaces, ea, quæ altiora ſunt, nouerint. Licuit quidem à pueritia Hebræis hiſtoriam ſacram agnoſcere: ſed libros myſterijs plenos, antequam annum vigeſimumquintum attingerent, euoluere nefas fuit. Heu quàm moleſtum eſſet nunc ſanctis illis Patribus, ac Maioribus noſtris, ſi viderent tum eum, tum alios ſacros libros, qui vili indumento literæ pręcioſa integunt Sacramenta, ab ijs pro libidine exponi & tractari, qui non vigeſimumquintum, ſed ne quartum quidem ſupra decimũ expleuere. Quis non noſtros homines, licet CHRISTI ſacris imbuti ſint, barbaris tamen, & à religione noſtra abhorrentibus nationibus, peiores, ac magis impios eſſe dicat? Apud Ethnicos licitum non fuit, vt altiorem ſacrarum rerum doctrinam, ſecretamq́; myſteriorum rationem cuncti tenerent: ſed numeroſa populi multitudo ea duntaxat videret, quæ præ oculis fierēt: qui verò ſacerdotio præditi eſſent, ceremonias atq; orgia, ritu legitimo exequerentur: vnus autem ex omnibus magiſter ſacrorum atq; interpres, ea, quæ ibi gererentur, comperta exploratаq́; haberet: ijſq; duntaxat aperiret, quos ad diuina capienda idoneos iudicaret: & noſtri (ſi Deo placet) noſtræ fidei abdita, reconditaq́; myſteria, plana atq; aperta omnibus eſſe volunt, & contra Seruatoris noſtri voluntatem, margaritas porcis, & canibus ſancta proijciunt? Pudendum ſanè eſt, nos Chriſtianos vocari, & ſacra noſtra non tanto in

In proœm. Comment. in Ezech.

Apud Hebræos non licuit omnibus omnia legere.

Ethnici reuerentius ſua ſacra, cum execranda eſſent, tractarunt, q̃ nos tractamus noſtra cum ea verè ſint ſacra.

Theodoret. lib. 1. de Græ. affect. curatio.

honore,reuerentia, & veneratione à nobis haberi, quanta ſua Ethnici habuerunt. Priſcis temporibus cum diſciplina Eccleſiæ vigeret,alium, qui Catechumeni vocantur, alium, qui ſacris initiati eſſent, ordinem tenuere. Noſtra quoq; ætate ſuum in rebus ſingulis ordinem Eccleſia tuetur. Sola hæreticorum huius ſæculi factio, vt nihil æquè atq; ordinem execratur, omnia confundit & perturbat, nec quicquam tam auguſtum, tam diuinum, tam ſacroſanctum eſt, quod ſuis illa manibus impuris non polluat atq; inquinet. Omnia omnibus communia eſſe,omnia omnibus licere vult. Quaſi CHRISTVS dixerit, omnibus datum eſſe, vt poſſint myſterium regni noſſe, ac non ſolis potius Apoſtolis. Quaſi non aliter Apoſtolos,turbas aliter docuerit, ac quoſdam Eccleſiæ,quæ ſponſa ipſius eſt,dederit Apoſtolos,alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores: & in corpore ſuo, quod Eccleſia eſt, diuerſa membra, diuerſaq; & varia ac diſtincta eſſe officia voluerit. Quid ergo eſt, quòd iſti ordinem,quem CHRISTVS inſtituit, confundere & perturbare velint? Quandiu tantum tribuerint imperitæ plebi, vt nihil eſſe in ſanctis literis velint, quod ei legere non liceat, non poterunt inficias ire, quin CHRISTI ſignum portantes, contra CHRISTVM bellum gerant. Quod enim aiunt, homines omnes, qui Chriſtiani ſint, ſacro videlicet lauacro tincti, & locantes fiduciam in CHRISTO, eos ſpirituales eſſe, ac proinde omnia exactè intelligere,quàm id falſum, ac veritati contrarium ſit, vnũ Pauli verbũ indicat, quo ille Corinthios, qui Chriſtiani oẽs erant,carnales vocat: & paruulos in CHRISTO,

Hæreticis nihil æquè moleſtum eſt,atq; ordo.

Luc. 8. 1. Cor. 12. Epheſ. 4.

Non omnes Chriſtiani ſpiritnales. 1. Cor. 3.

CHRISTO, qui lacte, non eſca alendi ſint. Si Chriſtia-
ni omnes ſpiritales eſſent eo modo, quem vult Lu-
therus, & pſeudoprophetæ huius temporis, ſequere-
tur, neminem inter Chriſtianos eſſe, qui non haberet
ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali: à
qua ſententia longè alienus eſt Paulus, qui Hebræos, *Heb. 5.*
quos Chriſti religionem amplexos fuiſſe conſtat, re-
prehendit, quia facti eſſent tales, quibus lacte, non
ſolido cibo opus eſſet: quiq; vi ſenſuum tantum non
valerent, vt bonum à malo ſecernere poſſent. Neq; *Omnia probate: non omnibus dictum,*
illud verum eſt, quod iſti paſsim ad ſua ſomnia colo-
randa adferunt, dictum omnibus eſſe illud: Omnia *2. Theſſ. 5.*
probate. Id enim, vt Clemens Alexandrinus obſer- *Strom. 1.*
uauit, ijs Apoſtolus dixit, qui ſpiritales ſunt: & ex
veritate dijudicant, vtrum omnia quæ proferuntur,
cum veritate cohæreant, an ei repugnent. Atq;, vt
ab eodem prudenter annotatum eſt, non omnibus di-
xit CHRISTVS, Vos eſtis ſal terræ: quæ verba il- *Vos eſtis ſal terræ, nõ omnibus dictum.*
le explanans: ſunt (inquit) aliqui ex ijs, qui verbum
audiunt, marinis piſcibus ſimiles, qui cum ab ipſo ortu *Matth. 5.*
in ſalſo nutriantur, ſalibus tamen ad condiendum indi-
gent. Sed & illud non minus ineptum eſt, quod huius
ſæculi hæreticis, qui fidem adhibent, affirmare non ve-
rentur, homines omnes à Deo ita doctos eſſe, vt nullius
opera ad veritatem pernoſcendam in hac mortalium
vita indigeant. Nam quod adducunt ad hoc com-
mentum ſtabiliendum verba quædam Hieremiæ, qui- *Hier. 31.*
bus Deus pollicetur fore, vt oĩbus ipſius Maieſtas ita
innoteſcat, vt nemo de ea ab altero docendus ſit: Id *Quãdo ſit futurum ut præceptore nemini opus ſit.*
vaticinium non in terris, ſed in cœlo perficiendum eſſe,
non vno in loco docent cùm alij ſanctiſsimi patres no-

Libro de ſpiritu & litera cap. 2. & 28.

ſtri, tum magnus ille inprimis Auguſtinus. Ex quibus omnibus apparet, inſigni & intolerabili in errore verſari eos, qui docent, nihil eſſe cauſæ, cur popularis multitudo à ſanctorum librorum lectione arceatur.

Populo quæ noſſe ſint ſatis.

Sed video fore, qui mihi ſtatim dicat. Quid ergo, vulgus & multitudo popularis non leget ſacram ſcripturam? Igitur opifices ſellularij, & reliqua plebs, non debet curare, vt ea intelligat, quæ ad ſalutem pertinent? Quiſquis es frater, audi, vt D. Cyprianus dixit, nõ fortia, ſed diſerta. Nefas eſt vulgo & plebi, vt ſcripturas ſuo ſtudio, & Marte (quod dicitur) euoluat. Sed neceſſe eſt, vt alios audiat, qui & ſanctas literas intelligunt, & explanare poſſunt: quales ſunt Epiſcopi, Eccleſiarũ rectores, & qui ſacræ Theologiæ nunc Doctores vocantur. Ab his enim petenda eſt ſanctorum librorum expoſitio, ſicut Auguſtinus ſcriptum reliquit. Ideo enim conciones coram populo habentur, & ſcripturæ recitantur, vt ab ijs, quibus ea poteſtas à Deo data eſt, cæleſtibus præceptis inſtituatur. Porrò autem vt populus ipſe ſuo ductu & ſenſu ſcripta ſancta legat, permittendum non eſt: quia ſine magiſtri & Doctoris opera intelligi nequeunt: ſicut id ita eſſe declarat Eunuchus ille non ſterilis, ſed fæcundus: qui, cum quædam in Eſaia legeret, & rogaretur, an ea intelligeret, Quomodo, reſpondit, intelligam, niſi mihi aliquis exponat? Ex quo apparet, nos non prohibere, ne popularis turba, & qui ſacerdotio non funguntur, ea procurent, quæ è re & ſalute æterna ipſorum ſunt. Quin potius id eſt, quod maximè cupimus & optamus, ſicuti par eſt. Sed cum magno illo Gregorio, qui iure Theologus cognomi-

Scripturæ expõ à quibus petenda ſit.

Auguſt. lib. 1. cap. 1. de mor. Eccleſ.

Act. 8.

cognominatur, negamus omnia omnibus conuenire, ſicut neq; omnium hominum vna & eadem ætas eſt, neq; eodem omnes vultu, conſtitutione, & corporis figura ſunt, nec vnam & eandem totus terrarum orbis faciem videndam præbet, nec æqualis in omnibus aſtris ſplendor micat. Illud ergo populo ſatis eſt, noſſe, quòd nec verbo, nec re quenq; violare debeat: contrà ſi fecerit, futurum eſſe, vt graues luat pœnas. Præterea ſufficit ijs, qui Eccleſię officia non adminiſtrant, vt cognita habeant decem pręcepta, & precationem, quæ Dominica dicitur, & Symbolum Apoſtolorum, ac generalem & vſitatam confitendi formulam: & intelligant duo eſſe charitatis mandata, quibus vniuerſa lex abſoluitur: Quòd conuenit ſcilicet, vt deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum diligant. Deinde ſatis eſt, ſi eis exploratum ſit, naturæ duo præcepta eſſe. Alterum, vt non aliter ſe erga alios gerant, quàm vellent, vt alij ſe erga ipſos gererent: Alterum, vt omnia quæ vellent ſibi ab hoībus fieri, eadem ipſi illis faciant. Ad hęc oīa fidem etiam, quæ in Mediatorem Dei & hoīum ſuſcipitur, requiri: & fiduciā in eius precioſo ſanguine locari debere, & quæcunq; Catholica Eccleſia proponit, credenda, vitamq; iuxta Euangelij præceptiones inſtituendam eſſe, quò fœlicitatem ſempiternam adipiſcantur. Atq; hæc quidem ſunt, quæ vel ſcit, vel ſciat neceſſe eſt, quicunq; CHRISTO nomen dedit. Ac ſimul cū lacte matris hauriuntur apud Chriſtianos benè inſtitutos, quòd ea noſtræ religionis firma, ac certa fundamēta ſint. At ſi fortè quis ſit, qui hæc non norit, q̄ quorundā negligētia eſt, ea vel ab Eccleſiæ paſtore, vel à cōcionatore, vel à patre aliquo ſpirituali perdiſcet. Ex quo efficitur,

Lib. 1. contra Eunomium.

vt neceſſum non ſit eam ob cauſam ſcripturam legere, & domi Biblia vulgari ſermone explicata habere. Quod conſilium ſi noſtri homines ſequi vellent, vt cõuenit, haud ſanè tot hæreſes exiſterent, quot nunc in Germania,&(vt audio)in Italia & Gallia cernuntur,ſed ea de re vberius ſuo loco dicam.

Separare ſe ab Eccleſia quàm horrendum ſit.

Atq; hæc quidem omnia cùm vera ſint, Catholicos adhortari libet, vt quando DEI optimi Max. beneficio & gratia ſingulari,in Eccleſiæ domicilio ac portu hactenus permanſerunt, in eodem in poſterum ſeſe, quanto maximo poſsint ſtudio & contentione, contineant. Illud enim perſuaſum habeant,neceſſe eſt: nullum eſſe grauius, nullum execrabilius, nullum magis periculoſum malum, quàm ab Eccleſiæ CHRISTI communione recedere, & ſeſe ad hæreticorum conuenticula aggregare. Nulla enim bona opera,nullæ ſanctæ actiones, nullæ dotes & dona ac munera, quæ DEI munere mortales obtinent, ei proſunt, fructum'ue afferũt aliquem, qui ab Eccleſiæ Catholicæ ſinu alienus & extraneus ſit. Nulla maior homini calamitas,nullum maius damnum accidere poteſt, quàm ſe ab vnitatis vinculo ſegregare. Quod,vt mei municipes, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ filij,apertius intelligant,volo,vt nõ me,ſed duos maximos viros,& noſtrę religionis inſignes propugnatores, ea de re differentes audiant, Cyprianum videlicet atq; Auguſtinum. Ac Cyprianus quidẽ docẽs,nihil magis eſſe optandũ Chriſtianis,quàm vt in Catholicę Eccleſię vnitate perſtent, nec vlla ratione ſe ab ea abduci ſinant: Hanc (inquit) Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, Dei legem nõ tenet:

Lib. de ſimpli. prelat.

non

non tenet patris & filij & ſpiritus ſancti fidem: vitam ,,
non tenet & ſalutem. Stare tu & viuere putas poſſe de ,,
Eccleſia recedentem? ſedes ſibi alias, & diuerſa domici- ,,
lia condentem? cum dictum ſit ad Raab, in qua præfor- ,,
mabatur Eccleſia: Patrem tuum, & matrem tuam, Ioſue 2.
& fratres tuos, & totam domum patris tui, colliges ,,
ad teipſam in domum tuam: & erit omnis qui exie- ,,
rit oſtium domus tuæ foras, reus erit. An eſſe ſibi ,,
cum CHRISTO videtur, qui aduerſus ſacerdotes ,,
CHRISTI facit? qui ſe à cleri eius, vel plebis ſocie- ,,
tate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, ,,
contra DEI diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, ,,
aduerſus ſacrificium CHRISTI rebellis: pro fide ,,
perfidus, pro religione ſacrilegus: inobſequens ſer- ,,
uus, filius impius, frater inimicus: contemptis Epiſco- ,,
pis, & DEI ſacerdotibus relictis, conſtituere audet ali- ,,
ud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, do- ,,
minicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia prophana- ,,
re: nec ſcire, quoniam qui contra ordinationem DEI ,,
nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduer- ,,
ſione punitur. Sic Chore, & Dathã, & Abiron, qui ſibi ,,
contra Moſen, & Aaron ſacerdotem, ſacrificantes, li- Num. 16.
centiam vendicare conati ſunt, pœnas ſtatim pro ſuis ,,
conatibus penderunt. Terra compagibus ruptis in pro- ,,
fundũ ſinũ patuit, ſtantes atq; viuentes recentis ſoli hia- ,,
tus abſorbuit. Nec tantũ eos, qui Authores fuerãt, Dei ,,
indignantis ira percuſsit, ſed & cæteros ducentos quin- ,,
quaginta participes eiuſdem furoris, & comites: qui ,,
coagulati cum eiſdem ſimul ad audaciam fuerant, exi- ,,
ens à Dño ignis properata vltione cõſumpſit, admonẽs ,,
ſcilicet & oſtendens, cõtra Deũ fieri, quicquid improbi ,,

fuerint

fuerint ad deſtruendam ordinationem DEI humana
2. Para. 26. voluntate conati. Sic & Ozias Rex, cùm thuribulum
4. Reg. 5. ferens, & contra legem DEI ſacrificium ſibi violenter
,, aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtempe-
,, rare nollet & cedere, diuina indignatione confuſus, &
,, lepræ varietate in fronte maculatus eſt, ea parte cor-
,, poris notatus, (offenſo DOMINO) vbi ſignantur, qui
,, DOMINVM promerentur. Et filij Aaron, qui impoſu-
Leuit. 10. erunt altari ignem alienum, quem nõ præceperat DO-
,, MINVS, in conſpectu ſtatim Dñi vindicantis extincti
Filios Aaron qui imitentur. ſunt: Quos imitantur ſcilicet atq; ſectantur, qui Dei tra-
,, ditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & ma-
,, giſteria humanæ inſtitutionis inducunt: quos increpat
,, DOMINVS, & obiurgat in Euangelio ſuo, dicẽs: Reij-
,, citis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis.
Hæreſis crimen quantum. Peius hoc crimen eſt, quàm quod admiſiſſe lapſi viden-
,, tur, qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum
,, plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hîc Eccleſia quæ-
,, ritur & rogatur: illhic Eccleſiæ repugnatur. Hîc poteſt
,, neceſsitas fuiſſe: illhic voluntas tenetur in ſcelere. Hîc
,, qui lapſus eſt, ſibi tantum nocuit: illhic qui hæreſim
,, vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahen-
,, do decipit. Hîc animæ vnius eſt damnum: illhic pe-
,, riculum plurimorum. Certè peccaſſe ſe, hic & in-
,, telligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in pec-
,, cato ſuo, & in ipſis ſuis delictis placens, à matre filios
,, ſegregat, oues à paſtore ſollicitat, Dei Sacramẽta diſtur
,, bat: Et cũ lapſus ſemel peccauerit, ille quotidiè peccat.
,, Poſtremò, lapſus, martyriũ cõſecutus, poteſt regni pro-
,, miſſa percipere: ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad
,, Eccleſię nõ poteſt pręmia peruenire. Quid clarius, quid
illuſtrius

illuſtrius, quid magis pium dici potuit, quo & vnitatis bonum, quantum ſit: & quanto ſe ſcelere obligent, qui ab ea diſcedunt, intelligeretur? Atqui ille nihil tam ſæpè quàm hoc omnibus ferè ſuis ſcriptis repetit. Vbiq; magnum ſibi malum parere eos affirmat, qui ſe ab Eccleſia ſegregent: Ac tale, tamq; omnibus ſupplicijs iudicandum eſſe putat, vt ne Martyrio quidem expiari pronunciet. *Serm. e de oratione Domi.* Quale (inquit) delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? Quale crimen eſt, quod Martyrio non poteſt expiari? Nec quicquam tam durum eſſe poteſt, quod ille non eſſet libenter paſſurus, modò vnitatis vinculum purum, atq; integrum tueretur, ſicuti de eo memoriæ prodidit Auguſtinus. *Epiſt. 48.* Ac quamuis ea, quæ ex Cypriano adducta ſunt, ſatis declarent, quantopere fugiendum ac deteſtandum ſit crimen, quo ſe ab Eccleſia aliquis ſeparat, plurimum tamen ad id momenti habent, quæ Irenæus vir ſanctus, & temporibus Apoſtolorum proximus, ea de re ſcripta poſteris reliquit: qui poſteaquam Eccleſiam vaſi bono comparauit, in quo eximium quoddam depoſitum ſeruetur, ſitq; in eo ſpiritus ſanctus, Arra incorruptelæ, & confirmatio fidei noſtræ, ac Scala, qua ad DEVM aſcenditur: *Eccleſia uas bonum, in quo depoſitum ſeruatur.* In Eccleſia (inquit) poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, doctores, & vniuerſam reliquam operationem ſpiritus, cuius non ſunt participes omnes, qui non concurrunt ad Eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant à vita, per ſententiam malam, & operationem peſsimam. *Ireneus lib. 3. aduerſ. hæreſ. Valent. cap. 40.* *Vniuerſam ſpiritus operationem in Eccleſia poſuit Deus.* Vbi .n. Eccleſia, ibi & ſpiritus: & vbi ſpiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia: ſpiritus autem veritas. Quapropter, qui non participant eum, neq; à mammillis matris nutriuntur

,, triuntur in vitam, neq; percipiunt de corpore Chriſti
,, procedentem nitidiſsimum fontem: ſed effodiunt ſibi
,, lacus detritos de foſsis terrenis, & de cæno putridam bi-
,, bunt aquam, effugientes fidem Eccleſiæ, ne traducan-
,, tur, reijcientes verò ſpiritum, vt non erudiantur. Alie-

Hæretici, & Schiſmatici maluñt eſſe Sophiſtæ uerborum, quàm diſcipuli ueritatis.

nati verò à veritate, dignè in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atq; aliter per tempora de eiſdem ſentientes, & nunquam ſententiam ſtabilem habentes: Sophiſtæ verborum magis volentes eſſe, quàm diſcipuli veritatis. Quinetiam grauiſsimo ſupplicio pęnas perſoluturos eſſe prodit, cùm CHRISTVS ad iudicanda

Lib. 5. ca. 62.

mortalium facta venerit, eos, qui vel ab Eccleſiæ Caſtris defecerint, vel alijs, vt deficiant, Authores & principes extiterint, quòd quaslibet ob cauſas magnum & glorioſum CHRISTI corpus ſciderint & lacerarint: ac pacem loquentes, bellum geſſerint: & culicem liquantes, camelum transglutierint. Sed & Diuus Auguſtinus (de cuiuš ſcriptis nos aliqua ad eam rem accommodata prolaturos eſſe diximus) eos, qui ſciſsi & ſeparati à reliquo Eccleſiæ corpore ſint, tàm eſſe execrandos docuit,

Euſeb. 6 lib. hiſt. Eccleſi. cap. 34.

Martyrium, quod pro unitate ſeruanda perfertur, maximè gratū Deo.

vt in gentilibus & barbaris ponēdos eſſe duxerit. Quod cum ita ſit, quiduis potius Chriſtianus perpeti ſtatuet, quàm vt ab Eccleſia ſecedat. Nam, vt Dionyſius Alexandrinus dixiſſe fertur, non minorē promeretur gloriam, qui ideo martyrium patitur, ne Eccleſiæ concordia diſsipetur, quàm ſi ob id pateretur, quòd ſacra facere Idolis recuſaret. Ac tantis ille laudibus eiuſmodi martyrium extulit, vt cuiuis martyrij generi prępónendum putarit, eo quòd aliter qui patiatur, ſuæ: qui verò conſeruandæ vnitatis cauſa vitam profundat, publicæ omnium ſalutis cauſam tueatur. Quo fit, vt Auguſtinus

mirandum

mirandum in modum extollat cōſtantiam eorum, qui
dum Eccleſiæ pace & tranquillitate nihil habent chari-
us, proprias etiam iniurias, non ſolùm non perſequun-
tur, ſed animo etiam pacato perferunt: & ijs ſe vltrò re-
bus abdicant, ad quas peruenire mortales vehementer
cupiunt. Quod quidem legimus feciſſe Gregorium *Gregorius*
eum, quem Græcia, propter inſignem cæleſtium lite- *preſbyter in eius uita.*
rarum notitiam, Theologum nuncupauit. Is enim cum
Conſtantinopolis Epiſcopus eſſet conſtitutus, ex eoq́;
videret res nouas oriri, ſponte ſe ea dignitate priuauit,
pulcherrimam vocem vſurpans: Si propter me (inquit) *Ion. 1.*
orta eſt hæc tempeſtas, tollite me, & mittite in mare. *Lib. contra*
Quare (ſicut Vincentius Lirinenſis præclarè ad nos *propb. Noua.*
ſcriptum transmiſit) ille eſt verus & Germanus Catho- *Verus, & germanus Catholicus quis ſit.*
licus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiā, qui Chriſti cor- „
pus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei ni- „
hil præponit, non hominis cuiuſpiam authoritatem, nō „
amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philo- „
ſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & „
ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus „
Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum „
ſibi tenendum credendumq́; decernit: quicquid verò „
ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contra om- „
nes Sanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id „
non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat „
pertinere. Hæc ſanctiſsimi illius viri verba quiſquis at- „
tentè legerit, & ſalutis ſuæ curam geſſerit, is profectò
ita animum comparabit, vt nihil vnquam accidere poſ-
ſit, quo ſe ab Eccleſiæ ſacrario abduci permittat. Nam
vt fidelis Euangelij diſcipulus (dicam enim quod ſentio *Orat. 1. contra Arrianos.*
Athanaſij verbis) cui gratia data eſt, vt diſcerniat ſpiri-

tualia,& qui ſuper Petram ædificauit fidei ſuæ domicilium citra vacillationem firmus conſiſtet,& tutus ab oĩ impoſtura permanebit. Nec quid Põtifex,& Epiſcopi, ac reliqui Eccleſiæ adminiſtri faciant,ſed quid dicant & præcipiant, expendat: quandoquidem bona dicunt ex cathedra, & mala faciunt de ſua peſtilentia: & ſpiritus ſanctus licet perſonam fictam deſerat,miniſterium tamen eius,per quem ſalutem aliorum operatur,non deſerit. Quod enim propter malos mores & improbam vitam eorum, qui Eccleſiæ gubernacula gerunt, diſcedendum à cætu Catholicorum,& Pontificis Maximi obedientia non ſit, ne ipſe quidem tacuit Architectus mendaciorum Lutherus,qui,antequam ſe à noſtro ordine ſegregaſſet, Bohemos, quia ab Eccleſia deſciuiſſent, eiuſmodi oratione reprehendit : Alioquin (inquit) cur nõ Moſes quoq; reliquit duræ ceruicis populũ? Cur nõ Eliſeus & Prophetæ reges Iſrael idololatras? Conſequens eſt,quòd Bohemorum diſsidiũ à Romana Eccleſia,nulla poſsit excuſatione defendi,quin ſit impium & Chriſti omnibus legibus contrarium. Quia contra charitatem, in qua omnes leges cõſummantur, perſtat. Nam hoc,quod vnicè allegant,ſeſe timore Dei & cõſcientiæ, defeciſſe, ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viuerẽt, hoc eos maximè omnium accuſat. Si enim ſunt mali Pontifices, Sacerdotes,aut quicunq;, & tu vera charitate ferueres,non diffugeres: ſed etiamſi in extremis maris eſſes, accurreres, fleres, moneres, argueres, prorſus omnia faceres. Et hanc Apoſtoli doctrinam ſecutus, non commoda, ſed onera tibi ferenda ſcires. Itaq; claret,totam Bohemicæ iſtius charitatis gloriam, eſſe meram ſpeciem & lucem,in quam ſe ange-

Aug. contra Lit. Parm. lib. 1. cap. 4 & 11.

In prima edi. cõm. in epiſt. ad Galat.

Lutherus in Bohemos, & ſeipſum, ac ſuos ſententiã profert.

ſe angelus Sathanæ transfigurat. Nunquid & nos, qui ,,
ferimus onera, & ferè importabilia monſtra Romanæ ,,
Curiæ, ideo fugimus & diſcedimus? Abſit, abſit: Re- ,,
prehendimus quidem, deteſtamur, oramus, monemus: ,,
ſed non ſcindimus ob hoc vnitatem ſpiritus. Non infla- ,,
mur aduerſus eam, ſcientes, quòd charitas ſuper omnia ,,
eminet, non tantùm ſuper rerum corporalium damna, ,,
ſed etiam ſuper omnia monſtra peccatorum: ficta cha- ,,
ritas eſt, quæ non niſi commoda alterius ferre poteſt. ,,

Sed dicet aliquis, hortaris me, vt in Catholicæ Eccleſiæ communione perſtem, qua ergo potiſsimum arte animũ roborabo, ne quãdo à religione vera, quam ſola Eccleſia catholica colit, deficiam? Rectè tu quidem. Multa poſſem commemorare, quæ ad eam rem maximè faciunt. Sed vt ea paucis cõplectar, ita ſtatuo, nihil tibi aliud curandũ, quàm vt ea credas, quæ Romana Eccleſia credenda proponit: Ea enim, vt ſuo loco perſpicuum fiet, Chriſtianorum magiſtra & mater eſt. Quicquid nouum, & ab ea damnatum atq; inter priuatas opiniones reiectum ſit, id odio, & execratione omni digniſsimum putes. In eius doctrinæ, quã illa ſequitur portu placidiſsimè conquieſcas, nec te vlli nouitatum vento exponas, Sed quod illa ait, aias: quod negat, neges: quod approbat, approbes: vituperes, quod vituperat: & in ea veritatis domiciliũ & ſacrarium eſſe conſtituas: quicquid ab ea extraneum & alienum ſit, id non à ſpiritus ſancti ſenatu, ſed à Diaboli ſchola profectum credas. Præterea, ne ſicut olim Syrenum cantu caperetur Vlyſſes, ſeipſum ad arborem nauigij religaſſe dicitur: ita tu etiam quò hæreticorum fraudes euades, ad tutiſsimam Eccleſiæ arborem & anchoram,

Quibus rebus animus in fide Catholica roborari poßit.

Eccleſia Romana Chriſtianorum mater, & magiſtra.

tot ſæculorum,gentium,nationum,ac populorum cō-ſenſu firmatam & corroboratam confuge, atq; teipſum ad eam religa: & hęreticorum rationes atq; argumenta,quæ Syrenarũ cantus,& adulterę mulieris blanditiæ & lænocinia ſunt, nō ſolùm audire noli,ſed ne nominari quidem ſuſtine: illudq; tibi perſuade,hęreticorũ doctrinã eſſe arborẽ illã,quam ſanctæ literæ ſciẽtiæ boni & mali eſſe dicunt: à cuius eſu Maiores noſtri prohibiti ſũt. Quã rem Irenæus pulcherrimè proſequitur his verbis: fugere igitur oportet ſententias hæreticorum, & intentius obſeruare,ne coniurgemur ab ipſis: confugere aũt ad Eccleſiã,& eius ſinu educari, & Dominicis

Eccleſia paradiſus. ſcripturis enutriri. Plantata eſt .n. Eccleſiæ paradiſus in hoc mũdo. Ab omni ergo ligno paradiſi eſcas manducabis,ait ſpiritus Dei, id eſt,ab omni ſcriptura Dominica manducate. Super elato aũt ſenſu, ne manducaueritis,neq; tetigeritis vniuerſam hæreticam diſſenſionem. Ipſi.n. confitentur ſemetipſos agnitionem habere boni & mali, & ſuper Deũ,qui fecit eos,iaculãtur ſenſus ſuos impios. Supra igitur ſentiunt, q̃; & natura ſenſationis.

De elato hæreticorũ ſenſu non manducandum.

Rom. 12. Quapropter & Apoſtolus ait,non plus ſapere q̃; oporteat, ſed ſapere ad prudentiam, vt non illorum manducantes agnitionem,eam,quæ plus quàm oportet ſapit, proijciamur de paradiſo vitæ, in quem Dominus inducit eos,qui obediunt præconio eius. Atq; inprimis nihil tutius eſſe perſuaſum habe, quàm homines non ſubtilitate quærendi, ſed ſimplicitate credendi Chriſtianos fieri,atq; in Chriſti populum coaptari: Deinde ſequere atq; imitare, præclarum, & omnibus laudibus ac præconijs efferendum iuriſconſulti cuiuſdam exemplum. Nam nuper in Germania cùm hæretici, &

nouarum rerum cupidi hoĩes ad ipſum libellos id genus veneni plenos mitterent, auroq; & gẽmis exornarent, putantes fore, vt ea ratione ad legendum alliceretur: Ille (vt erat homo ſagax, ac prudens) aurum & gẽmas ſeruauit, libros verò omnes Vulcano, & vltricibus flammis deuorandos tradidit, atq; adeo ad vnũ combuſsit. Rogatus, cur id faceret: Quãuis (inquit) ſatis exploratũ habeam, nihil in eis contineri, quod cum Eccleſiæ Catholicæ decretis non pugnet, & à cõmuni eius conſenſu planè abhorreat, tamẽ nihilo fieri poteſt minus, vt ego ex eorũ lectione eò perducar, vt prorſus anim⁹ vacillet, eãq; hæſitationẽ ſub hora mortis vix poſsim excutere. Quare nolo Sathanæ tela ſuggerere, quibus me eo tẽpore appetere poſsit. Ac nihil certè hac ſententia verius eſt. Cõſtat.n. Ioãnem quendã Scieram Italũ, Iuris item legumq; peritum, ex eo, quòd hæreticorum ſcripta in manibus haberet, cum iam vltimũ vitæ tempus ei immineret, à Diabolo ad diſputandũ prouocatũ fuiſſe, & ab eo victum, reiecta Catholicæ Eccleſiæ doctrina, in qua quinquaginta plus minus annos vixerat, ad hæreticorũ errores & mẽdacia trãſijſſe. Quòd verò ſoleat Sathanas, quo tempore aĩa de corpore exitura eſt, de fide cum hoĩbus diſputare, declarat hiſtoria illa de Carbonario, ab Hoſio noſtro elegantiſsimè conſcripta. In qu cum eo Sathanas de religione diſputationem init, & ille ſe credere, quod Eccleſia credit: nec Eccleſiam aliud credere, quàm ipſe credat, reſpondet.

Singulare cuiuſdam Iuriſconſ. exemplũ Chriſtianis imitandum.

Extat libellus ea de re ſcriptus Latinè, & Italicè.

Poſtremò, vt anim⁹ ſtabilior & firmior in ſequẽda religiõe catholica efficiatur, illud ſequeris, vt ſicut tibi nihil mirũ accidit, quòd hoĩes febribus laborent, ſed das potius operã, vt ab eo periculo integer ſis & incolumis: ita nec mireris, ſi hæreſes oriri in populo Chriſtianorũ

Tertull. de præſcript. aduerſ. hæret.

videas,ſed eas potius execrêre,& modis omnibus cauẽdas eſſe ducas. Illudq; tecũ cogites, eas Dei permiſſu in agro Chriſti naſci, quod, vt intelligas, quare fiat, non ego,ſed doctiſsimus ille Vincentius Lirinenſis ea de re differens,audiatur.Is ergo de eo ita ſcribit: Sed dicet aliquis, Cur ergò perſæpe diuinitus ſinuntur excellentes quædã perſonæ in Eccleſia cõſtitutæ res nouas catholicis ad nũciare? Recta interrogatio,& digna q̃ diligẽtius atq; vberius pertractetur: cui tamẽ nõ ingenio proprio, ſed diuinæ legis authoritate,eccleſiaſtici magiſterij documento ſatisfaciendũ eſt. Audiamus ergo ſanctũ Moſem,& ipſe nos doceat,cur docti viri, & qui propter ſcientiæ gratiã ab Apoſtolo etiã Prophetæ nuncupantur, proferre interdũ permittantur noua dogmata, q̃ vetus teſtamentũ allegorico ſermone Deos alienos appellare cõſueuit: eò quòd ſcilicet ita ab hæreticis ipſorũ opiniones, ſicut à gentilibus dij ſui obſeruẽtur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moſes: Si ſurrexerit (inquit) in medio tui Propheta, aut qui ſomniũ ſe vidiſſe dicat: Id eſt,Magiſter in Eccleſia cõſtitutus,quẽ diſcipuli vel auditores ſui ex aliqua reuelatiõe docere arbitrẽtur. Quid deinde? Et prædixerit (inquit) ſignum atq; portentum: & euenerit,quod locutus eſt. Magnus profectò,neſcio quis ſignificatur Magiſter,& tantæ ſciẽtiæ,qui ſectatoribus proprijs nõ ſolũ, quæ humana ſunt noſſe, verumetiã quæ ſupra hominẽ ſunt, pernoſcere poſſe videatur: quales ferè diſcipuli ſui iactitant fuiſſe Valentinũ, Donatũ,Photinũ,Apollinarem,cęteroſq; eiuſmodi. Quid poſtea? Et dixerit (inquit) tibi, eamus & ſequamur Deos alienos,quos ignoras, & ſeruiamus eis. Qui ſunt Dij alieni,niſi errores extranei,quos ignorabas, id eſt,noui & inauditi? Et ſeruiamus eis,id eſt,credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extremũ? Non audies (inquit) verba

Vincent. Lirine. aduerſ. hæreſ.

Hereſes cur oriri permittat Deus.

Noua dogmata ſcriptura Deos alienos uocat.

Deut. 13.

Propheta quis.

Talem fuiſſe Lutherum iactitant ipſius diſcipuli.

Prophetæ illius & ſomniatoris. Et quare (oro te) à Deo non prohibetur doceri, quod à Deo prohibetur audiri? Quia (inquit) tentat nos Dñs Deus veſter, vt palàm fiat, vtrũ diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdũ diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarũ Magiſtros noua quædam dogmata prædicare patiatur, vt tentet vos (inquit) Dñs Deus veſter. Et profectò magna tentatio eſt, cum ille, quem tu Prophetã, quem Prophetarũ diſcipulũ, quem Doctorẽ & aſſertorẽ veritatis putes, quẽ ſumma veneratione & amore cõplexus ſis, is ſubitò latẽter noxios inducat errores, quos nec citò deprehẽdere valeas, dũ antiqui magiſterij duceris prȩiudicio: nec facile dãnare fas ducis, dũ magiſtri veteris impediris affectu. Vides, cur Deus in ſuo populo hæreſes oriri permittat. Tu ergo cùm videas te in ea tẽpora incidiſſe, q̃ tantã eorũ hominum turbam produxere, qui noua, & à veritate aliena dogmata docẽt: puta tibi quoq; dictũ illud fuiſſe: Nõ audies verba Prophetæ illius. Quare? Quia tẽtat vos Dñs Deus veſter, & quæ deinceps ſequuntur.

Heretici quare non audiendi.

Ad eos verò, quod attinet, qui & errores à ſuperiorũ temporum hæreticis confictos defendunt, & nouos ipſi ſubinde excogitant, quiq; ab Eccleſia Catholica diſceſſerunt, his quid aliud conſulendum putem, quàm vt intelligant tandem, ſe Germanorum genti clariſsimæ, in qua ipſi nati ſunt, magnarum cladium, & ingentiũ malorum ſeminarium fuiſſe, pluſq; hæreſes, quarum ipſi patrocinium ſuſceperunt, ei damni attuliſſe, quàm vel Turcarum, vel gẽtium barbararum gladius afferre vnquam poſſet. Si .n. aut iram aliquã ſuam exaturare, aut ſtudio certandi obniti cõcupierunt, eſt quod ſuæ tandẽ voluntati factũ ſatis putent, tot cõcitatis in populo Dei ſeditionibus, tot cladibus illatis, tot detrimẽtis inuectis:

cogitent ſe iam expletos eſſe: remittãt aliquid pertinaciæ: ad Deũ interdũ reſpiciãt, illamq́; eius admirabilem expendant charitatẽ, qua adductus ipſe, cùm filiũ ſuum in mortẽ propter ſalutem hoſtiũ & inimicorum ſuorũ tradiderit, nõ decet, vt nos, qui illius ſanctam fidem noméq́; profitemur, fratreſq́; & proximi ipſorũ ſumus, in hoſtiũ numero ducant. Deſinãt deinceps oppugnare & bello perſequi Chriſti Eccleſiã, q̃ tã firmo eſt ſuper extructa fũdamẽto, nulla vt vi, aut impetu hoĩum cõcuti, ſuperari, expugnariúe poſsit. Nam vt vir ſanctus Chryſoſtomus ait, Licet mare inſaniat, petram nõ poteſt cõmouere: inſurgant quantũlibet fluctus, nauis Ieſu obrui nõ poteſt. Et poſt pauca: Durũ tibi erit aduerſũ ſtimulũ calcitrare, quia nõ ſtimulum retũdes, ſed pedes calcitrãs vulnerabis: neq; fluctus, qui ſaxo illidũtur, amplius aliquid proficiẽt, quàm vt ſemetipſos fracti diſſoluãt, & in ſpumas èxtenuati depereãt. Chriſti Eccleſia nil fortius, ſi quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt: tale eſt.n. velut ſi cœlo bellũ meditetur inferre. Homini ſi bellũ inferas, fortaſſe vinces, aut fortè vinceris: Eccleſiã vincere nulla vis poterit. Deꝰ eſt Eccleſia, qui eſt omnibꝰ fortior. Aut æmulamur Dñm? Nunquid fortiores illo ſumus? Deus fũdauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiã Dñi? Ipſe eſt, qui reſpicit ſuper terram, & facit eam tremere. Et iterum: qui iubet, & tremor eius ſolidatur. Aut nõ vidiſti trementẽ Ciuitatẽ tuam, quoties ſtare fecit? Multo magis Eccleſiam ſuam trementẽ poterit confirmare. Fortior.n. Eccleſia multò quàm terra: imò & fortior cęlo. Cęlũ & terra tranſibunt, verba aũt mea nõ tranſibunt. Quæ verba? Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam,

In hom. de ipſ. expulſ.

Eccleſiæ firmitas, & ſtabilitas quãta.

Bellum Eccle. inferre quid.

Pſalm. 97.

Luce 21.

Math. 16.

ſus eam. Quod ſi non credis verbo, & rebus ipſis, operi- ,,
bus crede. Quanti Tyrãni aggreſsi ſũt ĩpugnare Eccle- ,,
ſiam Dei, quanta tormẽta, quantas cruces adhibuerũt, ,,
ignes, fornaces, feras, beſtias, gladios intendẽtes, & nihil ,,
agere potuerũt? Vbi nunc ſunt illi, qui hæc fecerunt: & ,,
vbi illi, qui hæc fortiter pertulerũt? Nunc ij æternis pœ- ,,
nis premũtur, & iſti æternis gaudijs erigũtur. Fulget.n. ,,
Eccleſia ſuper ſplendorẽ ſolis, & perſecutores eius per- ,,
petuis tenebris cõteguntur. Non legis ſcriptũ, quia vn- ,,
decim ſoli erant, & vinci non potuerunt? Nunc vbi or- ,,
bis terrarũ repletus eſt piorum multitudine, quomodo ,,
poterunt vinci? Cœlum & terra tranſibunt: & meritò, ,,
charior enim Eccleſia Dei quàm cœlum. Non.n.Ec- ,,
cleſia propter cœlum, ſed propter Eccleſiam cœlum. ,,
Quare cum Eccleſia tantis muniatur præſidijs, vt nullis ,,
vnq̃; machinis, nullis tormẽtis, nullis cruciatibus expu- ,,
gnari poſsit, conſultũ hæreticis fuerit, vt aliquãdo tandẽ *Cant. 6.*
ꝓ ꝓpugnare eã deſinant, q̃ eſt terribilis, vt caſtrorũ acies
ordinata, quam neq; pagani, noua & inaudita ſuppli-
ciorum genera excogitando: neq; tyranni libertatem
eripiendo: neq; falſi fratres charitatem exterminando:
neq; Iudæi fidem expugnando: neq; ſchiſmatici obe-
dientiam tollendo, & vnitatem ſcindendo: neq; hæ-
retici ſcripturas adulterando, veritatem earum obſcu-
rando, praueq; eas interpretando, perrũpere potuerũt.
Nam, vt magni illius Hoſij verbis vtar: Hæc acies terri- *In opere Confeſs. cap. 21.*
bilis omnibus fuit, vicit, fudit, fugauit oẽs: vicit paga- ,,
nos, pro Chriſti fide vitam cum ſanguine profundẽdo, ,,
tanto animi robore, tanta conſtantia, tanta alacritate, ,,
vt gauderent etiã cũ digni eſſent habiti, qui pro Chriſti *Act. 5.*
noĩe cõtumeliã aut ſuppliciũ aliquod perferrẽt, magiſq; ,,
tortores cruciando, ac pro ſe perſequentibus illũ depre- ,,

cando

,, cando fatigarentur vicit falſos fratres, tolerando: vicit
,, ſchiſmaticos, ordinem retinēdo, & vnius ductū ſequen-
,, do, vt de illa quoq; dici rectè poſſet: Egreſsi ſunt oēs fi-
1. Reg. 1. lij Iſrael, & pariter cōgregati quaſi vir vnus: Erat nanq;
Act. 4. multitudinis credentium cor vnum, & aïa vna: vicit Iu-
,, dæos & hæreticos, verum ſcripturarum ſenſum, ab illis
,, nō intellectum, ab ijs prauè detortum, aperiendo. Nam
,, Eccleſiæ ſuæ dixit Chriſtus: Ego dabo vobis os & ſa-
Luc. 21. pientiam, cui nō poterint reſiſtere, & contradicere oēs
,, aduerſarij veſtri. Neq; dixit magis, q̄ præſtitit. Quo-
,, ties.n. Eccleſiæ fuit cum Iudęis & hęreticis de ſcripturis
,, cōcertatio, dedit ei hoc os, dedit hanc ſapientiā, cui ne-
,, quaq; reſiſtere & cōtradicere potuerūt. Viderint ergo
quid faciant hæretici, dū Eccleſiā perſequūtur. Nam le-
Cantic. 3. ctulū Salomonis, qui Eccleſia Chriſti eſt, ſexaginta for
tes cuſtodiunt, oēs ad bella doctiſsimi. Hi ſunt Patres &
Maiores illi noſtri, doctrina & ſāctitate excellētes viri,
Eccleſiæ cuſtodiendæ præſunt patres. qui præclaris ingenij monumētis Eccleſiæ dogmata &
doctrinā propugnarunt. Quod ſi hos (vt faciet, cum res
poſtulauerit) in aciem Eccleſia produxerit, ſicut vicit,
& ad internecionē deleuit Cherintos, Hebiones, Me-
nandros, Marciones, Valentinos, Manichæos, Arrios,
Macedonios, Eutychetes, Iouinianos, Vigilātios, Ha-
bailardos, Vuicleſos, Huſſios, & reliquā errantiū hoīm
turbam, ita nunc ex oī hoīm memoria tollet Lutheros,
Philippos, Caluinos, Brentios, Illyricos, Gallos, Sne-
pſios, Schvvenckfeldios, Anabaptiſtas, & cæteros, qui
ſe ab eius caſtris ſegregarūt. Vbi.n. nunc ſunt ij hæreti-
Pſalm. 9. ci, quos cōmemoraui? Nonnè meritò dici de eis poſſet
Pſalm. 45. illud, Perijt memoria eorum cū ſonitu, Eccleſia autē in
æternū permanet? Quare? Quia Dn̄s in medio eius nō
commo-

cōmouebitur. Atqui nō aliter fiet olim, veniet.n.tempus, cùm ſacrilegū erit vel ore vſurpare noīa eorū, qui nunc Eccleſiæ ſigna portantes, cōtra Eccleſiam arma gerunt. Hæc igitur, per Deum immortalem, vt expendant & diligenter conſiderent, quàm poſſum amanter oro eos, qui ſe à nobis vltrò ſegregarunt, & ad matrem illā, quæ eos in CHRISTO ad vitam immortalē refinxit, redeant, & ſe ad eius gremium recipiant, à qua, ſicut olim de Manichæis dixit Auguſtinus, ante per abortum exierunt, quàm perfectè formari, & integrè refici poſſent. Quod vt ex animi ſententia efficere poſsint, omnem animi elationem procul abijciant: nullo contradicendi inſtituto ducantur: tumorē & faſtū ex animis deleant: ſubmiſſè de ſe ſentiant: auaritiæ, quæ idolorū ſeruitus eſt, valedicant: vētris voluptatibus, quarū finis interitus eſt, nunciū remittāt: ſuperbiā, q̄ deficiēdi à vero Dei cultu initiū eſt, cane peius & angue oderint: iuuenilia deſyderia fugiāt: nec habeant tantū fidem, ſed etiam bonā conſcientiā, quam qui pro nihilo habuerūt, naufragiū fecerūt in fide: ſectētur iuſtitiā, ſpem, & charitatē, longanimitatē, patientiā: à turpi lucro abſtineāt: ineptas & aniles fabulas deuitent: exerceant ſeipſos ad pietatē, ne langueāt circa quæſtiones & pugnas verborū: acquieſcant ſanis ſermonibus Dñi noſtri Ieſu Chriſti, prophanas vocū nouitates, & oppoſitiones falſi noīs ſciētiæ auerſent: fugiāt lites, & ut Dei ſeruos decet, māſuetos ſe erga oēs mortales exhibeāt: Atq; ita demū fiet, vt trāquillo quietoq; aīo, & ab affectib9 vacuo, ſe homines eſſe, qui errare poſsīt, intelligāt: petātq; ſuppliciter à Deo ſapientiā, qui dat oībus affluenter, & nemini exprobrat: & cū Dauide dicant, Illumina oculos meos, & cōſiderabo mirabilia de lege tua: & cū piorum cœtu

Contra Fauſt. Manich. lib.

Galat. 5.

1. Timoth. 1.
2. Timoth. 2.
2. Timoth. 3.
1. Timoth. 6.

Pſalm. 118.

ſponſum

Cant. 1. ſponſum ijs verbis alloquantur: Indica mihi vbi cubes, vbi paſcas, indica mihi locum illum, in quo cum ſanctus Dauid eſſet, dixit, Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Indica mihi, vbi nam ſit ouile illud, quod tu vnum eſſe affirmas, & excelſos illos montes, in quibus te oues tuas cæleſtis verbi pabulo refecturum eſſe polliceris: ne impingam in meridie, quaſi in tenebris, & abſq; oculis attrectem: ne te, qui ſolus es via, veritas, & vita, repudiato, tanquam erratica ouis, incipiam vagari poſt greges ſodalium tuorum, qui ſunt hæretici, qui vt decipere tuas oues poſsint Chriſtianæ profeſsionis titulum vſurpant, cum ipſi ſeductores ſint, ſemperq; proficiant in peius errantes, & alios in errorem mittentes. Quod ſi eiuſmodi vocibus, quæ pietatis plenæ ſunt, puro, & ab omni perturbationis labe integro corde ſanctiſsimum Dei numen interpellarent: ſi veritatem rebus omnibus præponere ſtatuerẽt: ſi priuatis ſuis affectibus & commodis abiectis, ſe totos ad eam indagandam & ſequendam componerent: ſi Eccleſiæ Chriſti lacte ali, ſpiritu animari, filijq; liberæ eſſe cuperent, & aquarum multarum diluuium vitare, & Noe arcam ingredi vellent, protinus ſanè fieret, vt ex lupis oues fierent, & ſquamæ ex oculis eorum caderent, & viſum reciperent, velamenq; auferretur ab oculis eorum, planeq; & apertè cognoſcerent Chriſtum non in frigidis Genetiæ montibus, non in rigentibus, glacieq; concretis Saxoniæ præcipitijs, non in gelidis Vuittembergæ ſaltibus, ſed in meridie cubare, & paſcere eos, qui ipſius obtemperent volũtati. Cubat enim ille in meridie, id eſt, in eorum pectoribus, qui ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Qui in domo vna

Margin notes: Ezech. 34. — Eſai. 59. — Ioan. 6. — Cantic. 1. — 2. Tim. 3. — Act. 9. — 2. Cor. — Chriſtus ubi cubet, & paſcat ſuos. — Epheſ. 4.

mo vna reficiuntur alimonia corporis & ſanguinis CHRISTI: qui veri Salomonis regnum non ſcindunt: qui ſunt vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vnam vocationis ſpem omnes propoſitam habent: qui vnum DOMINVM, vnam fidem, vnum baptiſma, vnum Deum venerantur & colunt: qui omnes idipſum dicunt, & ſapiunt: nec vllis ſciſsionibus lacerantur: ſed ſunt compoſiti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia: qui mutuam animorum propenſionem, & charitatem, quanto maximo ſtudio, & cõtentione poſſunt, alunt & fouent, perſuaſum illud habentes, nullum eſſe tam præclarum & excellens DEI munus, quod prodeſſe ei poſsit, qui charitatis expers ſit: quippe, quæ illud exiſtat ſignum, quo CHRISTVS ſuos diſcipulos à Sathanę diſcipulis ſecerni voluit: In hoc, inquit, cognoſcent, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi inuicem dilexeritis, hoc eſt mandatum illud nouum, quod Chriſtus ſuorum pectoribus tam altè fixum eſſe voluit, nihil vt eis ardentius cõmendarit. Huius ſanctiſsimæ præceptionis memor Apoſtolus Iohãnes, qui CHRISTO præ cæteris charus fuit, nihil frequentius ore vſurpabat, diſcipuliſq; repetebat, quàm vt mutua ſe charitate amplecterentur. Cur hoc tam ſæpe inculcaret rogatus, quia (inquit) pręceptũ Domini eſt: & ſi ſolum fiat, omnia fiunt. Si ergo Caluinus, Philippus, Brentius, Snepfius, Anabaptiſtæ, reliquiq; omnes nouarum rerum ſtudioſi homines charitatem, & mutuam dilectionem colere velint, & vitæ puritatem amplecti: reijcereq; omnes priuatæ voluntatis affectus: & quærere non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu CHRISTI: polliceri auſim fore, vt ſanctas literas intelligant: atq;

Philip. 2.

Ioan. 13.

Egregia Io. Euang. ſententia.

Hierony. lib. 4. comm. in Epiſt. ad Galat. 6.

Philipp. 2.

ex eis facilè percipiát, ſe hactenus in magnó errore verſatos eſſe: & ab Eccleſia ſegregatos adulteræ adhæſiſſe, & extitiſſe alienos ab ea domo, quę vna eſt, & vnius cu-
Cyp. de ſimplic. Prælat. biculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit: nec ad CHRISTI præmia pertinuiſſe: ſed prophanos potius, atq; eius hoſtes fuiſſe: quod, cùm fauente Deo intellexerint, redibunt tandem ad matris dulciſsimæ gremium, à quo ſe vltrò ſepararunt, & ea vltrò eis obuiam prodibit, pedes eorum abluet aqua ſpiritus ſancti, quæ in ſola Catholica Eccleſia ſcaturit & manat: & fidem Catholicam, quam ipſi cœno hęreſeôn oppleuerunt, docebit, atq; vlnis eos excipiet, & oſculabitur, ſtolaq́; induet, & anulo, calceamentiſq; ornabit, & adducet vitulum saginatum & occidet, cœleſtiſq; alimoniæ côuiuio recreabit: & pane eô reficiet, qui de cęlo deſcendit, & vitam mundo largitur, & efficiet hæredes eorum bonorum, quæ
Io. 6. nec aſpectu ſentiri, nec auditu percipi, nec cogitatione adumbrari poſſunt: collocabitq́; in eo domicilio, quod eſt ſuper montem locatum, nec abſcondi poteſt, quod eſt columna & firmamentum veritatis: noſq́; ipſi tum illis, quòd in viam veritatis redierint, tum nobis etiam, quia fratres noſtros lucrati ſimus, gratulabimur, & de eorum vnoquoq; dicemus: Manducemus, & epulemur, quia hi fratres noſtri mortui erant, & reuixerunt:
Luc. 15. perierant, & inuenti ſunt. Quod tu tandem nobis concede CHRISTE optime Maxime, qui medium maceriei parietem diſſoluiſti, & feciſti vtraq; vnum: & congrega nos, & collige, facq́; vnum vt ſimus, ſicut tu & pater vnum eſtis: vt hîc te in vnitate ſpiritus, in vinculo pacis colamus, & confiteamur nomini ſancto tuo,

& glorie-

& gloriemur in laude tua, vt vitæ muneribus defuncti, ad te migremus, te, ſicuti es, non iam per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem contemplemur, illudq́; cum tuo ſanctiſsimo Propheta læti canamus: Scut audiuimus, ita & vidimus, teq́; ibi vnanimes vno ore laudemus, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum
AMEN.

Finis libri primi de Eccleſia Chriſti.

DE ECCLESIA CHRISTI AB HÆRETICORVM CONCILIABVLIS dinoſcenda Liber Secundus.

AVTHORE.

Iac. Nog. Theolog. Decano Viennæ, & Cæſ. Maieſt. à Sacris.

COGITANTI MIHI HVIC SEcundo libro mandare & refellere ea, quæ aduerſarij noſtri adducunt de ſignis, quibus Eccleſiam CHRISTI mōſtrari affirmant, quam partim occultam eſſe, partim apud ſe habere locum iactant, noſq; ab ea alienos eſſe pronunciant: arbitror me non inanem operam & laborem poſiturum eſſe, ſi, quod ſeparationis principium illis fuerit, & quas ob cauſas ſe à nobis ſegregare voluerint, paucis perſtringam, antequam me ad inſtitutam diſputationem conferam. Id enim vbi perſpicuum fuerit, facilè intelligi poterit: eos nouum Chriſtum, nouam Eccleſiam, nouum Euangelium, & nouam ſcripturam ac Doctrinam ſibi confingere voluiſſe: atq; eam, quam vniuerſus terrarum orbis anteà ſequeretur, repudiaſſe.

Ante Lutheri tempora quãta Chriſtianæ Reip. concordia & unitas in religione fuerit.

Annus eſt quadrageſimus ab eo tempore, quo Leo decimus, Pont. Max. & Maximilianus Imperator rerum apud Chriſtianos potiebantur: remq; alter Eccleſiæ publicam, Romanorum alter Imperium adminiſtrabat. Omnia tūc pacata tranquillaq; erant, quæcūq; ad religionis ſtatum pertinerent. Vnum omnes Deum colebant: vnam omnes fidem amplectebantur: vna, eademq;

demq; apud omnes vigebat Doctrinarũ fideiq; profeſſio: Vnum cor omnium erat, & anima vna. Nulla *Act. 4.* tum inter Chriſtianos ſchiſmata, nullæ diſſenſiones, nulla de religione, et DEI cultu controuerſia audiebatur. Deniq; talis erat Chriſtianæ Reipublicæ ſtatus, qualem fuiſſe terram ſcribit Moſes, antequam Babylo- *Gen. 11.* nica turris ædificari cœpiſſet. Erat nimirum vnius labij terrarum orbis vniuerſus, quicunq; CHRISTVM diuinis honoribus afficiebat. Omnes idem ſentiebant, *1. Cor. 1.* & loquebantur: nec aliud erat tota Chriſtianorum Reſpub. (quàm latè Imperij ſui fines porrigebat) quàm vnus quidam Epiſcopatus, qui vni paſtori, & Epiſco- *Cyp. lib. 4. Epiſt. 2.* po, eidemq; CHRISTI vicario obtemperaret. Vngaria, Sarmatia, Dacia, Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, vnam eandemq; fidei normam tuebantur: ſi fidem, Doctrinam, Sacramenta, ritus, conſtitutiones, & cęremonias ſpectares, quibus tunc CHRISTI populus *Prius quàm Lutherus prodiret in lucē, totius Chriſtianorum orbis unus erat Epiſcopatus.* vtebatur. Chriſtianum orbem vnam eſſe domum dixiſſes, quam vnius patrisfamiliâs nutus, & voluntas moderaretur. Vt vnus reliquis ſyderibus ſol præeſt, ſuiq; vi luminis terras omnes illuminat, ita vna CHRISTI Eccleſia, vnus CHRISTI ſenatus, vna Doctrinæ & traditionis facultas colebatur. Neminem tunc vel eloquentia inflabat, vel rerum naturæ cognitio extollebat, vel inuidia inflammabat, vel accendebat ambitio, vt ſe ſupra cæteros efferens, & tumens ſenſu carnis ſuæ, auderet violare librum ſacerdotalem, hoc eſt, Eccleſiæ doctrinam: quæ, vt Diuus *Coloſſ. 2.* Ambroſius ſcriptum reliquit, à Cõfeſſoribus, & Mar- *Lib. 2. de fide ad Gratianũ.* tyribus ſignata eſt. Nemo, inquam, in tanta homi-

num multitudine erat, qui nouis opinionibus à veritate abduceretur, & vel proprios ipſe errores fingeret, vel confictos ab alijs defenderet. Quid pluribus opus eſt? Quocunq; mentis oculos conuerteres, florebat optatiſsima illa pax, & coniunctio animorum, quæ propria Chriſtianorum eſt, & laudibus celebratur à Propheta, qui ait: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sed hanc fœlicitatem votis omnibus expetendam inuidit CHRISTI gregi ſerpens ille antiquus, qui ſemini ſanctæ mulieris perpetuò ſolet inſidias comparare. Malè illum habuit, vehementerq; anxium reddidit, quòd Eccleſiam Chriſti, atq; eam hæreditatem, quam ei pater ex omnibus gentibus, linguis, & populis legit, & aſsignauit, tam diuturna, & tam alta pace frui, potiriq; videret. Cruciabatur mirandum in modum, quia intelligeret Chriſti populum, gentem ſanctam, & regale ſacerdotium, quod ipſe ſuo ſanguine à peccatis expiaſſet, tam arcto vnitatis & charitatis vinculo eſſe copulatum, nullis vt falſitatis artibus, nullis mendaciorum dolis, nullis odij machinis expugnari poſſe ſperaret. Quos tamen Arietes ſeculis ſuperioribus adhibuerat, ad quatiẽda atq; euertẽda Eccleſiæ caſtra, eos ſibi tũc adhibendos eſſe putauit. Quare, quod ſolet Accipiter facere, vt ex toto auium agmine vnam aliquam ſegreget, atq; in eam impetum faciat: omnes enim ſe victurum eſſe deſperat, ſi coniunctas adoriatur: quodq; lupis familiare atq; vſitatum eſt, vt non gregem vniuerſum, ſed vnum duntaxat pecus inuadant: è tota Chriſtianorum ſocietate & populo, ſuis dolis & artibus conſceleratum quendam & flagitio-

Pax, & coniunctio animorum propria eſt Chriſtianorum.
Pſal. 132.
Gen. 3.
Pſal. 2.
Apocalyp. 5.
1. Pet. 2.
Simile pulchrum ex Cypriani lib. 1. Epiſt. 1.

flagitioſum hominem ſelegit, cuius ope & aſtu publicæ pacis vnitatem perturbaret, CHHISTI membra diſcerperet, Dominici gregis animum nefaria æmulatione laceraret, altare erigeret contra altare, & pro Eccleſia Chriſti (quæ terribilis eſt, vt caſtrorũ acies ordinata) *Cantic. 6.* Babylonicæ meretricis ciuitatẽ efficeret, tandẽq; id, quod olim Hebræorum populo accidit, ab ea gente, quæ Chriſto ſe in piam ſeruitutem dicauerat, obtineret: vt vera religione, Deiq; cultu, & diuini numinis timore repudiato, ſine lege, ſine Rege, ſine ſacerdotio, *Iudic. 17. & ult.* ſine ſacrificio, ſine deo vitam duceret. Is fuit Martinus Lutherus, homo phanaticus, aſtutus, verſipellis, & dignus Præceptore Diabolo, cuius ſe in ſchola progreſſus *In lib. de miſſa angulari.* magnos feciſſe gloriatur. Idoneum Sathanæ membrum & inſtrumentum, *Martinus Lutherus Diaboli diſcipulus, & inſtrumentum.* ad quæuis contra veritatem cogitanda, dicenda, facienda paratum, promptum, impigrum, quantumuis ea turpia, pernicioſa, & falſa eſſent: id modò conſequeretur, quod ſemel animo deſtinaſſet. Is primus omnium mortalium tempore noſtro auſus eſt eam pacem, quæ aliquot ſæculis in orbe Chriſtiano viguerat, labefactare, Hæreſibus Eccleſiam perturbare, & illam CHRISTI inconſutilem tunicam, *Io. 19.* à quo facinore vel impij Milites abſtinuerũt, varias in partes ſcindere: Chriſtiq; corpus, quod *Lutherus Iudæis & Paganis militibus peior.* illi in cruce integrum reliquerunt, diuidere. Atq; initiũ quidẽ, quòd ille huic Tragœdiæ primũ dedit, ſi quis ſecum reputet, quale fuerit: is facilè intelliget, eum hominem, ſi modò hominis vocabulo dignus eſt, qui nihil vnquam in vita egit, quod ad dignitatem hominis attineret, eorum è numero eſſe, quos Paulus

Philipp. 2. *Lutheranæ factionis origo unde.*

ſcribit, quæ ſua ſunt, quærere, non quæ IESV CHRISTI. Olim vulgandarum condonationum ¶ (quas indulgentias vocant) munus committi ſolitum fuerat in Germania Auguſtinianæ familiæ ſectatoribus, quorum ex ordine vnus erat Lutherus. Accidit, vt id officium delatum fuerit ijs hominibus, qui ſancti Dominici inſtitutum ſequerentur. Intellexit ex ea re Lutherus nonnihil quæſtus ei ſocietati, in qua ipſe ageret, decedere: quod egrè inprimis ac moleſtè admodum tulit. Et mox in Diui Dominici collegium, deinde in ipſas Indulgentias magna & inuſitata verborum libertate incurrit. Nec multò pòſt Epiſcopos,& eos, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſederent, maledictis inceſsit. Poſtremò Pont. Max. quòd nauis gubernatore ſublato atrocius ſe in Eccleſiæ naufragia graſſari poſſe ſperaret, omnibus maledictis, conuitijs, & falſis vexationibus onerauit. Scribit Diuus Hieronymus, Hæreticos, ſi vrgeantur, varias ſeſe in ſpecies ac formas Prothei inſtar vertere. Quàm vera ſit hæc magni illius viri ſententia, in Martino Luthero experti noſtra ætate ſumus. Olim Donatus, quia Cæcilianus Carthaginis Epiſcopus præter ipſius voluntatem fuerat effectus, cùm conſtaret falſa eſſe crimina, quibus eum in inuidiam adducere conaretur, ab eo deſciuit, & Eccleſiam apud ſe eſſe contendit, ac diſceſsionem in hæreſin mutauit. Haud aliter ſanè progreſſus eſt Lutherus. Initio enim, quia dolebat lucellum ſuo ordini ereptum, Indulgentias damnauit. Mox vlterius procedens, quæ titulo reformationis ordiri ſe iactabat, in errorum & prauarum

Cyp. lib. 1. Epiſt. 3. *Lutherus cur in Pont. Max. tam acriter inuectus ſit.*

In Apolog. contra Orig. *Heretici ſi vrgeantur, q varias ſe in ſpecies uertant, in Luthero perſpicitur.* *Aug. de here. cap. 69.* *Donatum imitãs Lutherus, Schiſma in hereſin mutauit.*

rum

rum opinionum ſentina erupere. Id quod ei ſapienter obijcit pius Princeps Georgius Dux Saxoniæ. *In epiſt. quà reſpondet ad eius epiſt.* Videbat Lutherus, ſi palàm oppugnare ſtatim Eccleſiam cœpiſſet, fore, vt fidem apud ſuos non impetraret. Quid ergo fecit? Imitatus eſt ſerpentem *Lutherus Sathanam imitatus eſt.* illum antiquum, parentem & Doctorem ſuum. Paulatim, & temporis progreſſu id efficere inſtituit: ac principio de Indulgentijs, mox de abuſibus, deinde de doctrina agere cœpit. Teſtatus initio eſt, ſe caſu in eam paleſtram deſcendiſſe. Ac non multò pòſt *In præfat. to. 1. excuſ. Ienæ.* publicè prædicauit, ſe nihil aliud quærere, dum contrà atq; alij de quibuſdam religionis noſtræ partibus ſentiret, quàm gloriam CHRISTI, & Reipublicæ Chriſtianæ commodum. Sed idem, cùm Lipſiæ de authoritate ſummi Pontificis cum Eccio diſputaret, & modeſtiæ eius, quæ CHRISTI diſcipulum decet, oblitus omnino eſſet, atq; ab amicis, vt mitius ageret, admoneretur, quando ea diſputatio ad cauſam DEI ſpectaret, Reſpondit, eam rem neq; *Lutherus fuſſus eſt, ſe non ſuſcepiſſe cauſam Dei.* propter Deum cœptam eſſe, neq; propter Deũ finitam iri. Quid iam boni te auditurũ eſſe putas, Lector optime, de eo, qui tam ſubitò à ſe ipſe diſſenſit? Audi quid poſtea factum ſit. Cum ſeriò Caietanus Cardinalis, qui Oratorem & Legatum ſummi Pontificis in Germania apud Cæſarem agebat, vt quæ palàm hæretica & impia protulerat, recantaret, ad Pontificẽ appellauit. Sed qua fraude id factum ſit, non tacet Sleidanus: etſi à Lutheri ſectatoribus ad ſcribendam hiſtoriam precio conductus ſit. A Pontifice (inquit) Romano minus *Lib. 1. Comm. de repub. & relig.* Docto, ad Pontificem rectius edocendum appellauit.

An

Prima Lutheri appellatio qualis.

An non ea appellatio fraudis & inſidiarum plena eſt? Hoccine fuit appellare, reſeruare ſibi poteſtatem, qua quoties liberet, dicere poſſet: Pontificem rectè edoctum non eſſe. Atq; ex eo fieret, vt iudici debita autoritas detraheretur, nec vllus eius cauſæ finis conſequeretur? Quæ vnquam appellatio ſimilis in Eccleſia CHRISTI audita eſt? ſed non alio eum animo, quàm diximus, fuiſſe, cùm tam callidè appellaſſet ad ſummum CHRISTI vicarium, intelliget profectò, qui, deinde quid acciderit, expendat. Nam cum è Caietani literis accepiſſet, fore, vt contra ſe Romæ iudicaretur, nouam interiecit appellationem, & à Pontifice ad Concilium prouocauit: eiuſq; arbitrio ſe obtemperaturum eſſe proteſtatus eſt. Habuit Martinus, quem hac in re imitaretur. Nam & Martyrius quidam, qui Arrij partes ſequebatur, cum vbiq; profligaretur, Concilium generale appellauit. Noſter verò non multò pòſt cùm Romæ damnatus eſſet, atq; è numero piorum pulſus, donec ad meliorem mentem rediret, tunc iam à Chriſtiana modeſtia quàm longè abeſſet, non obſcuris argumentis declarauit. Nam cum Pontificem prius pro Iudice agnouiſſet, atq; ad hunc modum literas ad eum dediſſet: Beatiſsime pater, proſtratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſum & habeo: viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba: vt placuerit. Vocem tuam, vocem CHRISTI in te præſidentis & loquentis agnoſcam: Poſtea ſententiam cõtra ſe pronunciatã eſſe iniquo animo ferẽs, & inſtar furentis belluæ mentẽ amittẽs, prouocauit ad conciliũ, &

In Epiſt. Iulij, quæ eſt in operib. Athanaſij.

Lutheri uerba in epiſt. ad Leonem 10.

Leonis

Leonis decretum pedibus conculcauit, Leonemq; ipſum temerarium, & præfractum, & Tyrannum, & ſuperbum Eccleſię contemptorem, & Antichriſtũ vocauit. Quis tam eſt mentis inops, vt ex ijs, quæ dixi, non intelligat, hunc hominem nihil aliud, quàm ſuorum errorum latebras quæſijſſe, & quouis phrenetico furioſiorem fuiſſe? Sed audi cætera. Quia cognouerat Hieronymum Aleandrum, & Marinum Caracciolum, qui Pontificis nomine legatione ad Germanos fungebantur, eius lucubrationes incendi & exuri iuſsiſſe: ne quid ipſe ad præcipitis animi iracundiam declarandam omitteret, ius, quod Canonicum vocamus, vnà cum decreto, quod à Pontifice Maximo contra ſe latum acceperat, palàm combuſsit. O egregium Apoſtolum, in quo tanta vindictæ appetitio inerat. Sed audi reliqua. Quo conſilio ad Pontificem Maximum appellauit, eodem prouocauit ab eo ad concilium. Nam cum ex conuentibus, quos Carolus Quintus Cæſar Opti. Maxi. eius cauſa inſtituerat, quanta Concilijs autoritas tribuenda eſſet, nouiſſet, ſeq; à Concilio damnatum iri videret, coram Cæſare auſus eſt affirmare, ſe nec Pontificis, nec Conciliorum authoritatem recipere, nec ſolis ſe concilijs credere, nam erraſſe ſæpius, & ſibi ipſis contraria dixiſſe, & nunc errare, & falli poſſe. Et qui paulò antè dixerat, Proteſtari, ſe nihil dicere, aut tenere velle, niſi quod in, & ex ſacris literis primo, deinde Eccleſiaſticis patribus ab Eccleſia Romana receptis, huiuſq; ſeruatis, & ex Canonibus, ac decretalibus Pontificijs haberetur, & haberi poſſet, non multò pòſt dixit: Viam ſibi factam eſſe eneruandi authoritatẽ conciliorũ, & liberè contra-

Sleid. lib. 2.

Lutherus toties appellando quid quæſierit.

Lutherus ius canonicum cõbuſsit, ut olim Arriani canones concilij Niceni.

Sleidanus lib. 3. Comment.

Roffenſis lib. contra captiuit. Babyl.

Aſſert. art. 27. & 29.

contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitẽdi, quid verum videretur, ſiue probatum ſiue reprobatum fuerit à quocunq; Concilio: & conteſtatos ſe velle omnes, neq; vllius Concilij, neq; patris authoritate ſe velle cogi. Duæ ſemper in Eccleſia Dei viæ fuerunt, quibus Hæreſes omnes extinctæ atq; extirpatę ſunt: vna, qua Pont. Max. de cauſa à ſe & ſummorum Antiſtitum collegio cognita & explorata pronunciauit: altera qua Concilio coacto, rem expendit, atq; cum eo vnà quid verum eſſet, declarauit. Neutra via Luthero placuit, quia quamcunq; ex his duabus ſequi vellet, cauſa ſe caſurum eſſe compertum habebat. Quæ autem vnquam Bellona magis furijt? Quis Lucifer maiore animi elatione vnquam fuit? Quis in tali homine vel micam Chriſtiani pectoris fuiſſe dicat? Poſtea cum ad extremam impietatem prolapſus eſſet, librũ de Captiuitate Babylonica ſcripſit, quo affirmare veritus non eſt, Eccleſiam quàm latè pateret, Antichriſti regnum & meretricem eſſe, quam Ioannes deſcripſiſſet: omnes ab ea captiuos non aliter teneri, quàm apud Babylonios captiui fuiſſent Hebræi. Iam tum liberè de Eccleſia, de Concilijs, de doctrina & Sacramentis Chriſtianę legis, quidquid libitum eſſet, pronũciare cœpit: & odio, quo Eccleſiam CHRISTI proſequebatur, inflammatus, Vvaldenſium, Vuicleffi, & Huſsi, & Thaboriticę gentis errores, quos ab Eccleſia damnatos eſſe ſciebat, & damnare ſe etiã dixerat, cum Eccio diſputans, approbauit: & eorum authores, martyres, & innocenter à noſtris extremo affectos ſupplicio fuiſſe, affirmauit. Sed vide iã quàm elatus & ſuperbus, atq; inſolens eius hominis animus fuerit. Damnatus

Hæreſes hactenus duabus vijs extinctæ, Luthero neutra placuit.

In Luthero mica Chriſtiani pectoris nulla.

Apocalyp. 17. & 19.

ctus fuit à Pontifice,& Louanienſi, ac Pariſienſi gymnaſijs, proſcriptus à CÆSARE, & Reipublicæ ac religionis Chriſtianæ hoſtis declaratus,& tantum abeſt, vt reſipiſcendum ſibi eſſe duxerit, vt maiore ſe poſtea arrogantia, ſuperbia, & faſtu, vniuerſo Chriſtianorum cætui vnus oppoſuerit, ſeq́; ſolum vera prædicare, reliquos verò omnes mortales errare, ac delirare prædicarit. Nonne meritò in hunc hominem dixeris conuenire, quod de Iſmaele dixit ſcriptura? Manus videlicet omnium contra ipſum, & ipſius manus contra omnes fore. Hic ſtomachari in Cæſarem, debachari in Pontificem, inuehi in vniuerſum Eccleſiæ magiſtratũ atq; ordinem, & Euangelij hoſtes publicè vocare. Se Heliam, Danielem, Eſdram, & quaſi alterũ Paulum reputare. Quidquid Patres, Eccleſia, & Concilia vnquam dixiſſent aut ſtatuiſſent, ſe nihil morari, errare omnes, labi, & decipi potuiſſe: quod ad ſe attineret, certum ſe eſſe, quidquid ipſe diceret, à cœlo proficiſci. Habes Chriſtiane lector, quæ fuerint Lutheri doctrinæ, & Quinti Euangelij auſpicia, & tyrocinia. A talibus initijs quid ſperandum eſſet, nõ opinor, te neſcire. Nihil certè boni inde oriri potuiſſe intelliges, vbi conſyderaueris, quanto aliter quàm Lutherus, ſui Euangelij fundamenta iecerint CHRISTVS & Apoſtoli.

Luterus ab omnib. damnatus, contra omnes ſenſit.

Gen. 16.

Lib. de captiuit. Baſyl.

Quanto aliter Luth. quàm Chriſtus. & Apoſtoli, Euangelij ſui fundamenta iecerit.

Iam verò, vt ad id, de quo dicere inſtitui, mihi aditum parem, vbi ſemel Lutherus modeſtiæ & humilitatis Chriſtianæ metas tranſgreſſus eſt, nihil tam ſanctum & auguſtum in Eccleſia CHRISTI fuit, quod ſibi violandum eſſe non propoſuerit. Tunc vniuerſam religionem Chriſtianorum oppugnare, tum iura omnia diuina & humana prophanare, tum ordinem Eccleſiaſti-

cum,& vniuerſum Reipub. ſtatum,duoq́; eius ſumma capita,Pont.Max. & Rom. Imperatorē maledictis inceſſere,confictis criminibus appetere, & Antichriſtos vocare cœpit. Atq; ex eo ſcholam inſtituit errorum ac mendaciorũ, eamq́; de fide doctrinam ſuis auditoribus propoſuit,cuius Autor non Chriſti Eccleſia,ſed homines à toto Chriſtianorũ cætu proſcripti fuere (Anomæi videlicet) quorum Principes eſſe dicuntur Aetius, atq; Eunomius. Ab eo tempore docuit,ſolius fidei beneficio hominibus cœleſte regnũ contingere: qui crederet in CHRISTVM, cum bonis oībus affluere: bona opera peccata eſſe,extremo gehennæ ſupplitio digna: Chriſtiano præter ſolam incredulitatem,nihil nocere poſſe. Deinde Cæremonias & ritus ſolennes, quibus multis ſæculis Eccleſia CHRISTI vſa fuit,pro libidine mutauit,& nouas de ſuo inſtituit,& doctrinam tam impiam,deoq; aduerſantem,Euangelium appellauit: eoſq́;, qui ſe ei in diſciplinam tradidiſſent, Euangelicos nuncupari voluit: quòd ſuos diſcipulos à reliquo Eccleſiæ CHRISTI populo ſecerni, ac ſingulares haberi ſtatueret,quod propriũ hæreticorũ eſt. Neq; verò id ſine aliorum exemplo fecit. Nam & Irenęi ſeculo fuere quidam hęretici,qui ſe Gnoſticos vocarunt,quòd ſe ſciētia rerum, quæ ad cæleſtem vitam conſequendā ſpectant, præſtare arbitrarentur. Bernardi etiā tempore quidam religionis Catholicæ aduerſarij, abiecto Chriſtianorũ nomine, quòd id vulgare ac tritum nimis iudicarent, Apoſtolicos ſe appellarunt: & diſcipulorum, quàm Chriſti magiſtri, & ſeruatoris nomen amplecti maluerunt. Ac Lutherus quidem breui tempore complures ad ſuam ſententiam facilè pertraxit. Initio tamen ſuos Eccleſiam vocare veritus eſt, intelligens, eos non-

Epiph. lib. 3. hæreſ. 76. Auguſt. de hæreſ hæreſ. 54. De capt. Babyl. In aſſert. art. 32.

Luth. doctrinam ſuam, Euangelicos uocat.

Iren. lib. 1. cap. 24. Gnoſtici.

Apoſtolici.

Lutherus non audet ſuos Eccleſiam uocare, & quare.

dum eo eſſe numero, qui Eccleſiam conſtituere poſſet. Quare cùm ei Eccleſiæ autoritas obijceretur, ad hunc modũ reſpondit: Si nobis dixerint, Eccleſia, Eccleſia: nos eis reſpondebimus, Euangeliũ, Euangelium. Atq; etiã vt ſuos à nobis (quos Papiſtas vocauit) ſecerneret, iuſsit, vt hoc oẽs Symbolũ gererent, Verbum dñi manet in æternum. Quod quidem eius ſectatores tam ſedulò fecerunt, vt ſicut olim Phariſæi in fimbrijs, ita ipſi in anulis, veſtibus, & ijs rebus, quibus familiariter vterentur, deſcribendum curarint. Poſtea verò, quàm eum hominum numeris decepit, cui Eccleſiæ nomen attribui poſſe videretur, ne quid nobis reliquũ faceret, ſe, & ſuos Eccleſiã appellauit: noſq;, & quicunq; Põtifici Maximo obtẽperarent, Sodomæis, & Gomorranis, ac Babilonijs ſceleratiores & magis deteſtandos eſſe pronunciauit. Ac quod olim Donatũ, atq; eius partem legimus feciſſe, Eam, ſe ac ſuum cætũ Eccleſiã eſſe dixit, quæ ab omni macula & ruga, munda atq; integra eſſet: qualem non in hac mortali vita, ſed poſt vltimam ventilationem, & extremum Iudiciũ futuram eſſe conſtat. Atq; vt id demonſtraret verũ eſſe, librũ de Eccleſia ſcripſit, quo ſuos, ciues Chriſti Eccleſiæ: noſtros hoſtes eſſe cõtendit, & nobis liberũ facit, vt nos eſſe Eccleſiam probemus, ac tunc ſe ab incepto deſtiturũ eſſe publicetur. Quinetiã cùm Eccleſiam Chriſti planè euertere cuperet, quę dogmata & errores illa priſcis temporibus damnauerat, ea ipſe dogmata & errores in lucem reuocauit: & pro Euangelio, ac verbo Dei, ſuæ genti vendicauit: & ſanctis patribus reiectis, Irenæo videlicet, Tertulliano, Origene, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Baſilio, Chryſoſtomo, Grego-

Lib. de abrogande Miſſe.

Symbolum Lutheranorum.

Lutherus ſe, & ſuos quando Eccleſiam uocarit.

Lutherus talẽ ſuam Eccleſiã eſſe dixit, qualis non in terra, ſed in cœlo eſt.

Auguſt. de doctri. Chriſt. lib: 3. cap. 31.

Principe Saxonũ, ne Martini Lutheri nouam librorũ ſacrorũ verſionem edi in lucem permitteret. Obſtitêre preterea nõ pauci Epiſcopi ac Principes Germani, quo minus ea prodiret in publicũ, & vbi editam eſſe cognouerãt, diligenter curarũt, ne legeretur ab ijs, quorũ ipſi principatũ tenerẽt. Sed obtinuit tamen Lutherus, ſuiq; voti compos factus eſt, dum Saxo publicis literis ſtatuit, vt Lutherum audirent omnes, & quidquid ipſe diceret aut ſcriberet, id oraculi vice haberetur.

Iam ab eo tempore Lutherus liberè, ac ſine vllo pudore, ſuum cœtum Eccleſiam vocare auſus eſt, & nos ab ea dignitate, & gradu deiectos eſſe, atq; in numero impiorum haberi debere prædicauit. Sacramenta, ſcripturam ſacram, & purum Dei verbum apud ſe, & ſuos eſſe gloriatus eſt. Ac fecit quidem, quod olim Arrium, atq; eius ſectatores feciſſe ſcribit Athanaſius, cum de eo ita loquitur: Sed tamen iſta omnium hæreſeôn vltima, & præcurſatrix Antichriſti, cui nomen eſt ab Arrio, cùm videret ſorores ſuas, cæteras (inquam) hæreſes ætate grandiores publicè, palamq; probroſas haberi, ſpeciem ſuam diſsimulat, & literarum ſacrarum vocibus, quaſi honeſto cultu induitur, vt pater eius Diabolus. Haud alio ſanè conſilio, quàm eo, quo Arrius, vſus eſt Lutherus. Videbat Arrius, Symones Magos, Cherintos, Valentinos, Baſilides, Marciones, Manichæos, & reliquum hæreticorum agmen, qui ad ea vſque tempora Eccleſiam perſecuti fuerant, ludibrio omnibus eſſe, & veritatis hoſtes vbiq; iudicari, quod pleraq; ſua dogmata non è ſcriptura, ſed de Philoſophorum decretis peterent, nec ſanctas literas magnifacerent, neq; ſe earum authoritate tuerentur: tum ipſe

Orat. 2. cõtra Arrianos.

eam viam ſibi ſequendam propoſuit, qua non iam Philoſophiæ, ſed ſacrarum literarum teſtimonijs ſuum dogma coloraret, atq; ita facilius titulo illo ſpecioſo, & honeſtatis pleno, errores peſtiferos, & opiniones ab omni veritatis integritate extraneas, pro cœleſtibus documentis obtruderet. Ita quoq; Martinus Lutherus, quia ſciebat Marcionis, Manichæi, Habailardi, VVIclephi, Vvaldenſium, atq; aliorum hæreticorum, quorum ipſe cineres iam ſopitos & extinctos ab inferis exuſcitat, nomen, famam, & doctrinam, quòd ab ijs profecta eſſet, quos vniuerſa piorum Eccleſia inter hæreticos, & Dei aduerſarios locaſſet, omnibus exoſam eſſe, non eſt initio auſus eam nuda oratione proponere: ſed quò fallacius incautis ouibus obreperet, & prodigioſa ei commenta ac mendacia inſtillaret, depoſuit lupinam ſpeciem, & manente lupi ferocia, ſeſe diuinæ legis ſententijs, velut quibuſdam velleribus obuoluit, vt, cum quiſq; lanarum molliciem perſentiret, nequaquã aculeos dentium pertimeſceret.

Lutherus Arrium imitatus eſt.

Vellus ouis, et lupi ferocia

Quod quidẽ hæreticis ſolenne atq; vſitatũ eſſe, docet Vincẽtius Lyrinenſis, grauis autor inprimis: Tales videlicet ſunt, qui in Sathanæ ſchola educantur, & eo magiſtro vtuntur. Eiuſmodi fraudibus & dolis ſolent eorũ animos irretire, quos (vt Chryſoſtomus ait) fragiles, & fœminis ſimiles, atq; omni doctrinę vẽto expoſitos eſſe videtur. Pulchrè oẽs, quotquot ſunt hæretici noſtro tẽpore, ſicut & alij, qui priſcis ætatibus fuêre, parentem ſuum Diabolũ imitantur, qui (vt Athanaſius ſapienter animaduertit) cũ abominabilis ſcelerum inuentor ſit,
„ & vel ſemel viſus, reijciatur ab omnibus, vt ſerpens, vt
„ Draco, vt Leo quærens quem rapiat & deuoret: hoc

Lib. aduerſus propb. nouat.

Hom. de Adã & Eua, to. 1.

Orat. 1. cõtra Arrianos.

ipſum quidem quod eſt, diſsimulat & occultat: nomen verò, quod ab omnibus deſyderatur & expectatũ eſt, callidè, vt perſonã induit, vt ſpecie deceptos, iam deinde ſuis vinculis perſtringat, non aliter quàm plagiarius, qui cùm auertere cupit alienos liberos à parentibus ſuis peregrè agentes, aſsimulat ſpeciem, vultumq́; parentũ, quos vbi deſiderio ſui captos, deceptoſq́; longius abduxerit, iugulat & occidit. Quis nõ libenter, & ſumma cũ reuerentia nomen Euangelij, et verbi Dei audiat? Quis nõ veſtem ouis, & aureum diuinæ ſcripturæ vellus exoſculetur? Quis non vultũ, et caniciem parentum debita pietate proſequatur? Atqui Lutherus (vt feros & rabidos hæreticorum ſenſus, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti, quaqua poſſunt, dilacerant, in Eccleſiam Dei, tanquam cœleſtem doctrinam inueheret, & ouem ſe eſſe mentiretur, & pro patre haberetur) ouinam veſtem, & vellus aureum induit: vultu et canicie, Apoſtolũ aliquem ſe eſſe finxit: Euangelij, & verbi Dei nomine & titulo ſe ornauit. Vxor Iob, quamuis caſtitatem coniugalem præ ſe ferret, maritum tamen, vt conuitia in Deum euomeret, docuit. Sic Lutherus nihil aliud ad ſingula, quàm Dei verbum, & ſcripturam, & Euãgelium ſonuit: inde ſe, & Heliam, & Danielem, & Euangeliſtam, & alterum Paulum eſſe voluit demonſtrare: inde ſe Eccleſiam CHRISTI à doctrinis hominum, quibus multis ſæculis inquinatam fuiſſe fingebat, vindicaſſe, & priſtinæ gloriæ reſtituiſſe, & apud ſe, & ſuos eſſe, conatus eſt probare. Sed cum noſtri, doctrina & religione præſtantes viri, pro eo, ac Chriſtus docuit, ſpiritum illius Sathanæ Angeli ex fructibus cognoſcere vellent, & vt cauti ac pruden-

Hæretici, ut Diabolus, quod ſunt, quo diſsimulãt arte

Simile plachrum.

Lutherus quo aſtu feros, & rabidos hæreticorum ſenſus in Eccleſiã intulerit.

Iob. 2.

Matthæi 7.

tes nummularij, adulterinum numiſma ab eo, quod legitimum ac verè regiũ eſt, ſecernere cuperent, vbi cœpit voces illas, quas ex ſacris libris furabatur, non iam proferre tantùm, ſed etiam exponere: nec adhuc iactare ſolùm, ſed etiam interpretari: tunc amaritudo, quæ in eis latebat, tum acerbitas, tunc rabies, tunc nouitium virus quantum in eo homine eſſet, intellexerunt: tunc transferri Patrum terminos, tum Catholicam fidem cædi, tunc Eccleſiaſtica dogmata lacerari viderunt. Quod cum ægrè (vt par erat) ferrent, ſeq; pro domo Iſrael murum opponere cuperent, ſcripturam quidem venerati ſunt, adulterinos verò & ſubdolos, ac fraudibus plenos ſenſus reiecerunt: & quos errores ille tuebatur, eos ipſi, voluminibus ſingulari doctrina & pietate conſcriptis, retuderunt: Atq; eum ab omni piorum cœtu, qui Eccleſia eſt, alienum, et Euangelij, quod ſe falſò reſtituere iactabat, hoſtem eſſe, validis & efficacibus argumentis ac rationibus demonſtrarunt. Ac ſicut olim Deus Opt. Max. Eccleſiam ſuam, pro qua vnigenitũ filium tradidit, ſibi curę eſſe indicãs, cõtra Valentinos, Marciones, Manichæos, Celſos, Catharos, Arrios, Aetios, Eunomios, Macedonios, Neſtorios, Eutychetes, Imaginũ oppugnatores, Petrobuſſianos, Habailardos, atq; alios Chriſti inimicos, excitauit Irenæos, Tertullianos, Origenes, Cyprianos, Hilarios, Baſilios, Chryſoſtomos, Gregorios, Epiphanios, Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Theodoretos, Theophylactos, Damaſcenos, Bernardos, Hugones, Cluniacenſes, Rupertos, atque alios inſigni doctrina & probitate viros, quorum labore, induſtria, & ſcriptis, pullulantes & gliſcentes hære-

Lutheri lupina rabies quando deprehenſa ſit.

Deus ut olim, ita noſtro tempore, uere doctrinæ defenſores excitauit.

ſes

ſes ex agro ſuo extirparet: ita noſtro ſæculo dedit nobis Roffenſes, Hoſios, Eckios, Coclæos, Lipomanos, Latomos, Ruardos, Sotos, Aialas, Catharinos, Alfonſos, Pighios, Cromeros, Caniſios, Staphylos, VVicelios, & complures, eruditione rerum cæleſtium & morum caſtitate, excellentes homines, qui propugnarent ipſius Eccleſiam, & eam aſſererent, ac vindicarent ab ijs erroribus, quos Lutheri, Eraſmi, Melanthones, Zvvinglij, Carolſtadij, Oecolampadij, Caluini, Buceri, Brentij, Illirici, Snepfij, & alij veritatis ac Catholicæ religionis perduelles, aut confinxerunt, aut à veteribus hæreticis confictos approbarunt. Egregiam quidem ij, quos nominaui, operam defendenda CHRISTI doctrina, atq; Eccleſia ab Hereticorum calumnijs aſſerenda nauarunt: ſed Lutherus tamen, quod hæreticorum ingenium eſt, vt ſemper proficiant in peius, errantes, & alios in errorem mittentes, horribiliora in Eccleſiam Chriſti conuitia euomuit, & nos à Deo iã abiectos, & ſempiternis cruciatibus deſtinatos eſſe prædicans, Eccleſiæ iura & poſſeſsionẽ ad ſe, & ſuos pertinere contendit tam pertinaciter & proteruè, vt compluribus ea de re conſcriptis libellis, conatus ſit populo perſuadere, nobis neq; cum Chriſto, neq; cum ipſius Eccleſia quicquam commune intercedere. Atq;, vt ipſe à nobis deſciuit, & nouam doctrinam & Euangelium excogitauit, & inconſutilem CHRISTI tunicam, quæ Eccleſia eſt, lacerauit: ita non multò poſt, quàm nos deſeruit, ſicut olim Donatus, viuum ſe concidi, & in minutiſsima fruſta ſecari vidit: & quemadmodum ipſe vnus contra vniuerſam CHRISTI Eccleſiam bellum ſuſcepit, ita ab omnibus ijs, quibus

Nomina eorũ, qui contra ſectas ſcripſerunt.

2. Tim. 3.

Io. 19.

Lutherus ut nos deſeruit, ita à ſuis deſertus eſt, & hereticus habitus.

quibus ipſe deficiendi à veritate autor fuerat, ſibi vni bellum indici cognouit. Nam ſimul atq; ſuum Euangelium promulgare cœpit, ſtatim arma contra eum ſumpſere Pacimontanus, Zuinglius, Munzerus, Rotmannus, Bullingerus, & confeſsionum (quotquot extant) ſcriptores, qui ipſius in ſchola edocti, ab eo ſeceſſerunt, & eam quiſq; ſententiam ſequutus eſt, qua facile ſibi gloriam comparare, & ſe alios decipere, & ad ſuas partes pertrahere poſſe ſperaret. Nec quiſquam inter eos fuit, qui Lutherum non execraretur, & pro hæretico ac mendaciorum magiſtro habendum affirmaret, ſeq;, & eos, qui ipſi aſſentirentur, veram CHRISTI Eccleſiam, & veros eius ciues eſſe contenderet: reliquos autem mortales, tanquam impios, & à CHRISTI Doctrina ac religione alienos atq; extraneos abominaretur. Hoc fuit initium, hæc origo: hæc fuere fundamenta Babylonicæ turris, quam fortes iſti ac robuſti gigantes ædificare ſtatuerunt, Dum ex Eccleſia

Cant. 6. CHRISTI, quæ terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata, Babylonem quandam efficere nituntur, in qua nihil ordine geratur, nullus in re aliqua modus ſeruetur, ſed omnia incerta, obſcura, confuſa, & perturbata ſint. Atqui tale ſpectaculum ſæculo noſtro exhibitum eſt, dum Lutherus Eccleſiam ſe eſſe contendit, & negat Zuinglius: eamq; ad ſe pertinere affirmat Rotmannus, & contrà ſentit Munzerus: atq; in ſuo cætu CHRISTI ſponſam habitare putat Hoſiander, & ei non aſſentitur Melanthon. Ac viciſsim is ſuos Eccleſiam vocat, & reclamat Illyricus: ac iura Eccleſiæ, ſua eſſe ſcribit Brentius, & repugnat Caluinus: atq; idem id ſibi & ſuis attribuit, ac refragatur

Quale ſpectaculum noſtro tempore exhibitum nobis ſit à filijs Lutheri.

Lactant. lib. 3 cap. 4.

gatur

gatur VVeſtphalus. Quid pluribus opus eſt? Sicut olim Philoſophi, licet omnes varia ſentirent, & multas in ſectas eſſent diuiſi, quarum vnaquęq; alias euerteret, vt ſe, ſuaq; confirmaret, ac ſe ipſæ ciuili propemodum bello conficerent: ſinguli tamen ſe ſapere, & alios deſipere, atq; ab arce ſapientię procul abeſſe aſſeruerũt: ita iſti, cùm ſic ſe inuicem diſſenſionibus inteſtinis iugularent, vt Sparti illi, poëtarum fabulis celebres, nemo tamẽ alteri cedere voluit: ſed vt alias tolleret, ſuã quiſq; factionem tutatus eſt, & eam CHRISTI populum & Eccleſiam nuncupauit. Ac mira quidem calliditate hi homines vſi ſunt. Nam cùm eis vitio daretur, quòd Eccleſiam audire, eiq; parere nollent, contrà ac CHRISTVS in Euangelio iuſsiſſet, tum Platonicam ciuitatem ſomniabant, & Eccleſiam dicebant eſſe verè credentes ac iuſtos, ſparſos per totum orbem, & multitudinem vagam, quæ nulli mortalium obediret, nec videri corporeis oculis poſſet: Qua in opinione & errore Lutherum (cæterorum magiſtrum) fuiſſe, indicant verba illa, quæ de Eccleſia protulit. Ea ita habent: Quis Eccleſiam illam nobis monſtrabit, cum ſit occulta in ſpiritu, & ſolùm credatur. Nec obſcurum eſt, id quoq; ſenſiſſe aliquando Philippum, eius Achatem. Vbi autem nos de poſſeſsione Eccleſiæ CHRISTI, atq; piorum cætu deturbare vellent, tum ſe Eccleſiam eſſe, & quæcunq; de ea oracula cæleſtia concionarentur, ea de ſe omnia dicta fuiſſe affirmabant, ac ſuis ſectatoribus talia de ſuis conuenticulis vnuſquiſq; eorum pollicebatur: qualia ſuperiorum temporum Hæreticos ijs, quos à CHRISTO & eius Eccleſia auertere cuperent, pollicitos fuiſſe, ſcribit Vincentius Lirinenſis,

Lutheri filiorũ diſcordia, qualis olim Philoſophorũ.

Lactant. ibid.

Mira hæreticorum calliditas.

Matth. 18.

Philip. in Apolog. art. 8.

In lib. de miſſa abroganda.

Singuli ſectarum authores qualia ſua conuenticula depingant.

Lib. aduerſ. Proph. nouat.

nenſis,cuius hæc ſunt verba: Audent enim polliceri, & docere,quod in Eccleſia ſua,id eſt,in communionis „ ſuæ conuenticulo magna,& ſpecialis,ac planè perſona- „ lis quædam ſit Dei gratia, adeò vt ſine vllo labore, ſine „ vllo ſtudio,ſine vlla induſtria,etiam ſi nec quærant,nec „ petant, nec pulſent, quicunq; illi ad numerum ſuũ per- „ tinent, tamen ita diuinitus diſpenſentur, vt angelicis „ euecti manibus,id eſt, angelica protectione ſeruati,nũ- „ quam poſsint offendere ad lapidem pedem ſuum,id eſt, „ nunquam ſcandalizari. Hactenus ille. Potuit ne explicare illuſtrioribus verbis Lutheri, & eorum, qui ipſum tanquam cæleſtem Prophetam, & nouum Euágeliſtam ſectantur,errorem? Quid enim omnes aliud dicunt,& pollicentur,quàm qui ipſorum fidem amplectatur,certò credat,& ſine vlla dubitatione ſtatuat, remiſſa ſibi eſſe peccata propter Chriſtum, eum nunquã de gradu ſempiternæ fœlicitatis cadere poſſe? Audiſti, Chriſtiane Lector, quod fuerit initium & cauſa,quamobrem à nobis ſegregare ſe voluerint ij, qui nos de Eccleſiæ poſſeſsione deijcere, & eam ad ſe, & ſuos transferre conati ſunt:id quod non minus ſuperbè atq; arroganter, quàm illi faciunt hac ætate, qui eorum errores, tanquam Dei leges, & præceptiones ſanctiſsimas venerantur. Contra hos nobis certamen inſtitutum eſt,cum iјs hoſtibus eſt nobis congrediendum,& adducenda in medium,ac refutanda deinde ſunt argumenta, quibus confirmare nituntur, ſeſe veram eſſe CHRISTI Eccleſiã,nos verò Sathanæ filios, atq; eius Synagogæ ciues,& Chriſti Eccleſię hoſtes,& perduelliones. Atq; vt initium dicendi capiamus à Luthero,tanquam ab omnium Principe,qui,vt in reliquis omnibus doctrinæ

Contra inanẽ fiduciam Lutheranorum.

Narrãtur ſententiæ aduerſariorũ de ſignis, quibus Eccleſ. noſci aiunt.

Chriſtianæ

Chriſtianæ partibus, ita quoq; in hac parte varius & in-
conſtans fuit: is partim duas, partim plures notas cóſti-
tuit, quibus ſe Eccleſiam eſſe perſpicuum facere voluit.
Nam in eo libro, quem ſtatim ab eo tempore, quo ſe à
nobis ſegregauit, de Eccleſia conſcripſit, puram Euan-
gelij doctrinam, & legitimum ſacramétorum vſum ſi-
gna eſſe dixit, quorum beneficio ſua Eccleſia, quam
CHRISTI eſſe affirmauit, à Sathanæ conuentu diſtin-
gueretur. Sed poſtea ſeptem ſigna eſſe aſſeruit, quibus
eandem CHRISTI Eccleſiam à malignantium con-
uenticulis ſecerneret. Ea verò hæc ſunt: Vera ſcilicet &
incorrupta Euangelij vox de filio, mediatore, & omni-
bus beneficijs ipſius. Sacramentum baptiſmi, quod iux- »
ta CHRISTI inſtitutionem & mandatum adminiſtra- »
tur. Vſus clauium, cùm is, qui delinquit, arguitur voce »
legis, quem clauium vſum priuatum, & publicum eſſe »
ait. Sacramentum cœnę Dominicæ iuxta inſtitutio- »
nem CHRISTI vſurpatum. Vocatio, & præfecturæ »
miniſtrorum. Oratio publica, & gratiarum actio, & ce- »
lebratio dei, qualis eſt oratio Dominica, pſalmi, concio- »
nes, Symbolú, decem præcepta, & Catechiſmus. My- »
ſterium crucis, per quam Eccleſia calamitates, perſecu- »
tiones, miſerias, & ærumnas à Diabolo, mundo, & car- »
ne patitur, & vincit. Hæc ſunt ſeptem ſigna, quibus Lu- »
therus Eccleſiam CHRISTI diſcerni à cætu eo, qui Sa-
thanæ obedit, putat. Sed Philippus Melanthon, qui
eius Theſeus & interpres eſt, cùm de ſignis monſtranti-
bus Eccleſiam diſputat, hæc ſeptem prioribus libris ad
duo illa reuocauit, puram videlicet Euangelij doctri-
nam, & legitimum Sacramentorú vſum. Quanquam
nuper in lucem dedit quendam libellum impiú, & hor-

Lutherus inconſtans in omnibus.

Liber hic Latinè explicatus eſt à Cornino.

Luth. duo primu, poſtea ſeptem Eccleſiæ ſigna conſtituit.

Lib. de concilijs & Eccleſ. cap. de Eccle.

In locis, & cõfeſſ. Auguſt. cap. de Eccleſ.

Philippus corrigit Magiſtrum.

rendis blaſphemijs plenum, in quo tertium ad hæc duo ſignum adiungit, videlicet debitam obedientiam miniſterio Euangelij, de quo ſuo loco à nobis dicetur. Neq; ab ea ſententia, quam antea tutatus eſt Philippus, abhorret Brentius, qui eaſdem CHRISTI Eccleſiæ agnoſcendæ notas conſtituit. Nec aliter ſentit Caluinus, qui eum cœtum, à quo purum Dei verbum, & Sacramenta fouentur, pro Eccleſia habendum eſſe ſcribit, etſi multis alijs vitijs ſcateat. Prodijt nuper quidam Ioannes Vvigandus, qui decem enumerat notas, quibus Eccleſiã CHRISTI à reliquis cõciliabulis dinoſci tradit. Sed hæc quoq; ſigna, vt ea ſeptem, quæ Lutherus recenſet, duobus illis comprehenduntur, puro ſcilicet Dei verbo, & legitima Sacramentorũ adminiſtratione. Deniq; omnes in eo conſentiunt, vt veras ac genuinas notas, quæ nobis CHRISTI Eccleſiam commonſtrent, puram & incorruptam Euangelij doctrinam, & legitimum vſum Sacramentorũ eſſe cõtendant. Hoc Lutherani, hoc Anabaptiſtæ, hoc Sacramentarij, hoc confeſsionarij, hoc omnes alij errorum Magiſtri & Doctores conſtanter aſſeuerant: omnes, & ſinguli, verum ſe Dei populum, verum CHRISTI cœtum atq; Eccleſiam eſſe ex eo patere prædicãt, quòd puram & incorruptã Euangelij doctrinam, & legitimum Sacramentorum vſum retineant. Nam ſeparatim ſi quenq; perconteris, ſiue is Lutheranus, ſiue Caluinianus, ſiue Anabaptiſta, ſiue cæleſtis Propheta & Suenckfeldianus ſit, aut Stancari, Gribaldiúe partem ſequatur, quo argumento ſuum cœtum & ſuam factionem Eccleſiam eſſe colligat: continuò reſpondebit, ſe id ex eo certò ſcire, quòd eas notas & ſigna

In reſponſ. ad articul. Bauaricæ inquiſitionis.

Brentius. In confeſs. Vuirtemb. cap. de Eccleſia, & in proleg.

Caluinus. In inſt. Chriſt. cap. 8. parag. 12.

Io. Vuigãdus. In lib. de cor. doctrinæ.

Omnes, duas cõſtituunt notas, puram doctrinã, & legitimum Sacramentorum vſum.

ſigna habeat, quibus DEI Eccleſia ab alijs congregationibus hominum diſtingui poteſt. Si, quæ hæ notæ & ſigna ſint, quæras: ſtatim tibi profert puram doctrinam, & legitimum Sacramentorum vſum. Ac mira quidem eſt iſtorum hominum ſtultitia & impudentia, qui non vident, hanc ſuam de Eccleſia ſententiam facile refelli eo poſſe, quia cùm aliter pleraq; Martinus, aliter Philippus, aliter Bucerus, aliter Oecolampadius, aliter Zuinglius, aliter Pomeranus, aliter Hoſiander, aliter Brentius, aliter Caluinus, aliter Flaccus, Anabaptiſtæ, Suenckfeldius de doctrina cæleſti, & verbi Dei interpretatione ſtatuant, & ſuarum quisq; manuum opus adoret, ac ſuum cuiq; pulchrum videatur, ſuaq́; omnes ſomnia & ſuas opiniones, tanquam cęleſtia myſteria colant, nec alter alteri cedere velit, & planè in eis illud appareat, quod de Nomadibus habet prouerbium, quòd alterum alter de re aliqua audire nolit: omnes tamen veram Euangelij doctrinã, & vſum Sacramentorum, qui cum ea conueniat, ſe vſurpare iactant, & veram CHRISTI Eccleſiam apud ſe eſſe affirmauit. Sed vt appareat, quàm falſum ſit, quod iſti tam impudenter ſibi vendicant, cum ſe ſingulæ eorum factiones Eccleſiam eſſe prædicant, & puram Euangelij doctrinam, ac legitimum, & à CHRISTO inſtitutum Sacramentorum vſum à ſuis vſurpari dicũt. Tria ſunt mihi hoc libro demonſtranda: Vnum, hęc duo, quæ ipſi Eccleſiæ ſigna vocant, non eſſe ſigna, quæ nobis CHRISTI Eccleſiam commonſtrent. Alterum, & ſi detur, ea eſſe ſigna, quod verum non eſt, puram tamen Euangelij doctrinam, de qua tantoperè gloriantur, & legitimum Sacramentorum vſum apud

Mira aduerſariorum impudentia, & ſtoliditas.

Quid toto hoc ſecundo libro explicandum ſit.

eos non reperiri. Tertium atq; vltimum, Nihil eis cum CHRISTO, Eccleſia,& Dei verbo commune eſſe. Quæ,ſi fauente Dei numine copioſè & diſtinctè à me explicata fuerint, polliceri audeo fore, vt clarum ſit, eos non CHRISTI Eccleſiam,ſed eius hoſtes,& perduelliones exiſtere.

Scriptura, uerbum Dei, & pura doctrina non eſt nota, quæ Eccleſiam propriè demonſtret.

Atq; vt aggrediar id, quod mihi ad diſputandum primo loco propoſui, affirmo falſam eſſe, & inſidiarum plenam eorum opinionem & ſententiam, qui purum verbum DEI,& legitimum Sacramentorū vſum notas eſſe contendunt,quibus CHRISTI Eccleſia ab hæreticorum conuenticulis dinoſcatur. Contrà enim res habet atq; iſti arbitrantur. Illic nanq; vera doctrina, & purum Dei verbum eſt, ac legitima Sacramentorū adminiſtratio, vbi vera Eccleſia domicilium ac ſedem habet conſtitutam. Ac dubium quidem non eſt, quin verus Dei cultus, vera doctrina, & vera Sacramenta, in ea Eccleſia ſint, quæ vera Eccleſia eſt. Quandoquidem (vt Irenæus, Tertullianus,& Lactantius memoriæ prodiderunt) vera ſcriptura, & vera traditio, ac Sacramentorum vſus, in ſola CHRISTI Eccleſia cernuntur: Sed non ideo conſequens eſt, vt Eccleſia CHRISTI ex eis ita cognoſcatur,quaſi qui ea nota exploratáq; non habuerit, is neq; Eccleſiam agnoſcere poſsit. Multos enim homines videas, qui norunt, ſi Eccleſiæ non obtemperarint, ſe in Ethnicorum, & publicanorum numero habendos eſſe, nec quicquam tamen vel de ſcripturis,vel de Sacramentis intelligunt. Et (vt Auguſtini, Gregorij Nyſſeni,& Baſilij magni, qui eius frater fuit, verbis vtar) ſine vllis codi-

Lib. 4. cap. 63. Lib. de præſcrip. hæretic. lib. 4. cap. 4.

Notior eſt Eccleſia, quàm doctrina & uerbum Dei. Matth. 18. Aug. de doctr. Chr. lib. 1. cap. 39. In ora. de uita Greg. Neoceſ.

cibus

cibus pro eo, ac lex CHRISTI ſtatuit, in ſolitudine vitam ducunt. Quinetiam hodieq; complures reperire licet, quos ſi perconteris de ſcripturis aut Sacramentis, vix ſciant vnam de eis ſyllabam tibi recitare: vbi verò de Eccleſiæ authoritate & poteſtate agas, diſertè reſpondebunt, ſe credere: qui in terris Eccleſiã matrem non agnoſcat, eum in cœlis Deum patrem non eſſe habiturum. Quod quidem conſilium ſi Martinus Lutherus fuiſſet ſecutus, & (iuxta Pauli ſaluberrimam admonitionem) captiuaſſet intellectum in obſequium CHRISTI & corporis eius, quod Eccleſia eſt, nunquam ſanè ſcripturarum teſtimonijs (ſicuti ipſe de ſe prodit) à Sathana victus fuiſſet. Gloriatus quidem ille eſt, ſe Euangeliſtam, Prophetam, & pluſquàm Apoſtolum eſſe: verùm quia plus tribuit ſcripturæ quàm Eccleſiæ, ſempiternis gehennæ ſupplicijs eſt adiudicatus: cùm interim multi Chriſti Eccleſiæ filij, quibus ne vnum quidem Euangelicæ ſcripturæ verbum notum eſt, in æterna domicilia recepti ſint. Quia non ſubtilitas intelligendi, ſed ſimplicitas credendi facit Chriſtianos: ſicuti præclarè ab Auguſtino dictum legitur. Porrò autem ſi nos aduerſarijs concederemus, puram doctrinam, & verum vſum Sacramentorum ſigna eſſe, per quæ Eccleſia agnoſcatur, tum illud efficeretur, vt quàm Eccleſia notior eſſet doctrina pura: quam illi ſine dubio verbum DEI vocant. Quo conceſſo, illud obtinerent, vt ſcripturæ, quàm Eccleſiæ maior Autoritas tribuenda eſſet. At quid inde ſequeretur? Nihil certè aliud, quàm vt id, in quo tota controuerſiarum vis ſita eſt, conce-

Lib. de ſſ. cap. 37.

Aug lib. de Symb. cap. 10.
2. Cor. 10.

In lib. de miſſa angulari.

Contra Epiſt. funda. cap. 4.

Si aduerſarijs concedamus, Eccleſiæ ſignũ eſſe ſcripturã, quanta incommoda ſequantur.

 dendum

dendum eſſet, nempe nihil recipi debere, quod ſacris literis non ſit comprehenſum. Quod, ſi aduerſarijs detur, quàm multa religionis Chriſtianæ dogmata ſunt, quæ in fabularum, & dæmonis figmentorum loco habenda erunt? Quàm multæ CHRISTI Eccleſiæ, quàm innumeri Pontifices, & Epiſcopi, ac populi, gentes, & nationes, à quibus ea ſeruata ſunt, damnabuntur? Quàm longo tempore Deus Eccleſiam ſuo pręſidio, contrà ac promiſit, deſtituiſſe conuincetur? Atq; (vt diui Athanaſij verba vſurpem) quàm nihil in Eccleſia Dei tutum, firmum, & certis rationibus ſtabilitum erit? Reijcienda ergo erũt omnia illa, quæ literis quidem ſanctis prodita non ſunt, ſed eorum, qui CHRISTI Eccleſiam regendam ſuſceperunt, pectoribus commendata. Igitur repudietur ſententia de eo, quòd filius eiuſdem cum patre ſubſtantiæ ſit, quod traditum à Maioribus eſſe affirmat Fœlix Pontifex, qui centum quinquaginta plus minus annis Concilium Nicænum præceſsit. Et vt ad id veniamus, quod nuſquam extat ſcriptum, & apud aduerſarios maximum noſtræ fidei caput eſt, ne recipiantur quatuor tantum Euangelia, quando, plura ne an pauciora ſint, nullo ſanctorum librorum teſtimonio probatur. Explodatur etiam Symbolum, quod ab Apoſtolis conſcriptum accepimus. Quin etiam perpetua Mariæ virginitas reijciatur, quam ſola Eccleſiæ traditio nobis palàm commendat. Præterea nulla tribuatur fides Conciliorum Symbolis. Poſtremò, abijciantur quæcunq; Eccleſia adhibet ad Sacramentum baptiſmi, confirmationis, ordinis, Matrimonij, & vnctionis eius, quæ extrema vocatur. Ac tandem

Orat. 2. contra Arrianos.

Fœlix Pontifex in Epiſt. ad Benignum.

Clem. Pont. Max. in decretis.
Leo Papa ad Auguſt.
Hieronym. contra Heluidium.

dem

dem nullus Sacerdotio,ſacrificio,& precibus, quæ pro decedentibus de vita funduntur, & Diuorum inuocationi, & venerationi imaginum ac reliquiarum,compluribuſq; alijs religionis Chriſtianæ partibus, lòcus relinquatur. Quid ergo aliud fiet, quàm (quod Diuus Baſilius ait) vt Chriſtiana religio, & Euangelium, ad inane nomen redeat? Quid ergo aliud quàm fabula quædam erit fidei noſtræ doctrina, quod piæ & benè inſtitutæ aures audire horrent? Atqui hæc omnia incommoda accident, ac multò plura, ſi,quod nunc Eccleſiæ hoſtes vrgent, obtineant, vt ſcriptura,quam puræ doctrinæ nomine illi exprimunt,quàm Eccleſiam CHRISTI notiorem eſſe,ac proinde per eam nobis Eccleſiam demõſtrari concedamus. Quamobrem nos,vt facilè omnes errores & hæreſes extirpemus,atq; ex agro DOMINI reſecemus,illud pro virili noſtra parte ſemper affirmemus,quòd Eccleſia prior ac notior ſit, quàm ſcriptura & doctrina, quæ verbum DEI ab iſtis appellatur. Illud (inquam) omnibus, qui nobis ſcripturæ autoritatem obijciunt,reſpondeamus,tum nos demum verum DEI cultum, doctrinam,& Sacramenta Chriſtianæ religionis agnituros eſſe: cùm vera CHRISTI Eccleſia nobis nota fuerit. Eccleſia enim (vt Irenæus pulchrè olim ſcripſit) eſt amplum quoddam Depoſitorium, in quod Apoſtoli, quæcunq; à CHRISTO acceperunt, bona fide effuderunt. Quæ verò illa ſint, quæ Apoſtoli in ſinum Eccleſiæ effuderunt, vno verbo complectitur Apoſtolus, cum admonet ſuum Timotheum, vt depoſitum cuſtodiat. Atqui, vt illud depoſitum,

Lib. de ſ. ſ. cap. 27.

Via ad hæreſes extirpandas certa, & expedita.

Lib. 5.

Eccleſia amplũ depoſitorium, in quod Apoſtoli effuderunt, quæ à Christo acceperunt.

1. Tim. 6.

Vide Vincent. Lirinenſ.

quale ſit, nobis conſtet, neceſſe profectò eſt, vt prius, vbi id ſeruetur,& cuius fidei creditum fuerit, ſciamus. Cum verò planè liqueat Eccleſiam CHRISTI eſſe, cui hoc Depoſitum cõmiſſum ſit, efficitur, vt antè Eccleſia nobis, quàm illud, debeat eſſe nota. Ac quidquid tandem ij garriant, qui nunc cõtra veritatem bellum gerunt, quoties ab initio naſcentis Eccleſiæ vſq; ad hæc tempora de colendo Deo, aut doctrina religionis controuerſia orta eſt (neq; enim alijs de rebus cum hæreticis Catholici vnquam certarunt) illud ſemper obſeruatum fuiſſe legimus, vt de eo ad Eccleſiam deferendum cenſuerint, & quis verus dei cultus, & doctrina pietatis eſſet, tum demum perſpiceretur, cùm ſuo id iudicio & decreto Eccleſia declaraſſet. Atq; id quidem longè veriſsimum eſſe, facile intelligitur ex ijs, quæ iam tum geſta ſunt, cùm Apoſtoli in vita commorarentur.

Ab initio noſtræ religionis uſq; ad hæc tempora controuerſiæ de doctrina aut cultu ad Eccleſiam delatæ ſunt.

Act. 15.

Nam cum dubium eſſet, expediret ne, vt ij circumciderentur, qui ad CHRISTI religionem ſe adiungerent, delata res eſt ad Apoſtolos, & Seniores, qui, cum diligenter expendiſſent, quid in controuerſia verſaretur, ſtatuerunt, quid de ea dubitatione intelligendum eſſet. Quod poſtea tum Antiochiæ, tum Hieroſolymis tanquam verum Dei dogma receptum, & pro vera CHRISTI doctrina habitum eſt. Nec aliud actum in eo conuentu eſt, quod Nicææ Maiores noſtri celebrarunt, quàm vt publico Eccleſiæ decreto, quæ vera de filio DEI eſſet doctrina, declararetur. Sed neq; alia de cauſa ſequentia Concilia inſtituta & celebrata ſunt, quàm vt Eccleſia, ſua authoritate definiret ac ſtatueret, quid verè de ijs, quæ

Eccleſia in ſuis incunabulis docuit, quæ uera eſſet doctrina.

Eccleſia in cõcilijs ſemper docuit, quæ uera eſſet doctrina.

quæ tum in dubium vocarentur, iudicari, ſeruariq́; conueniret. Quæ omnia planè indicant Eccleſię, quàm doctrinæ Chriſtianæ autoritatem (ſæculis etiam præteritis) notiorem fuiſſe: vt de eo iam nullus dubitandi in poſterum locus relictus ſit. Sed mirum profectò eſt, quanta ſit iſtorum ſtupiditas, qui cum fateantur Eccleſiam eſſe, quæ debeat & poſsit iudicare, quæ ſcripturæ pro canonicis & diuinis habendæ ſint, minimè tamen pudet eos dicere, ſcripturam, & eam doctrinam, quæ ex ſola ſcriptura elicitur, eſſe notam, quæ Eccleſiam demonſtret. Si enim quæ diuina ſcriptura ſit, Eccleſiæ teſtimonio & autoritate cognoſcimus: an non efficitur, vt non ſcriptura Eccleſiam, Sed contra, Eccleſia ſcripturam nobis cognoſcendam proponat, atq; ea tanquam lapis quidam lydius ſit, qua ſcriptura pernoſcatur? Quid ergo eſt, quod iſti volunt, vt ſcripturæ, Eccleſiæ agnoſcendæ, nobis viam patefaciant? Si doctrina ſcripturæ, quod iſti tam aſſeueranter contendunt, indicat nobis, vbi, & quæ ſit CHRISTI Eccleſia: & eſt certa, ac vera nota, qua illa ab aliorum conuentibus facilè internoſcatur, efficitur ſanè, vt neceſſe ſit, tum eam prodită & literis expreſſam fuiſſe, cùm CHRISTVS Eccleſiam colligeret: ita vt ſcriptura vel tempore aliquo Eccleſiam præceſſerit, vel ſimul cum ea nata ſit. At planum atq; apertum eſt, multò antè fuiſſe cœtum, à quo CHRISTVS coleretur, quàm quicquam ab Apoſtolis, aut ijs, qui eos audierunt, ſcriptum extaret. Dignum ſanè erat Maieſtate earum rerum, quas noui Teſtamenti literæ

In cōfeſs. Auguſt. art. de Eccleſia & act. colloq. VVormaci. 2.

Aduerſariorum ſtoliditas quanta.

Eccleſia lapis lydius, quo ſcriptura dinoſcitur.

Eccleſia prior eſt, q̃ ſcriptura, aut uerbũ Dei, quod Euãgelici uocant.

Cur doctrina Chriſti non ſtatim ſcriptis prodita ſit. Hierem. 13.

literæ produnt, ne ſtatim initio cuiq; mortalium ſingula legenda exhiberentur religionis noſtræ myſteria: Sed ſicuti cæleſtibus vaticinijs prænunciatum erat, pectoribus hominum viuæ vocis oraculo infigerentur: quod etiam legũtur feciſſe nobiliſsimi Philoſophi, Pythagoras, Socrates, atq; alij Græciæ ſapientes, qui cùm nihil ferè, aut pauca certè literis mandarent, doctrinæ ſuæ arcana animis, & fidei eorum, qui ſe ipſis in diſciplinam dederunt, committenda eſſe putarunt. Quamobrem neq; CHRISTVS quicquam literarum monimentis conſignauit, neq; iuſsit Apoſtolis, vt ipſi quidquam in codicillos referrent. Nec aliud eis dixit, quàm vt orbem terrarum doctrina Euangelij inſtruerent, & lauacro aquæ ſalutaris ad vitam ſempiternam expiarent: Ex quo effectum eſt, vt integris octo annis, Apoſtoli Euangelium CHRISTI peruulgarint, antequam quicquam eſſet ab ijs conſcriptum, quos nunc Eccleſia Euangeliſtas vocat. Extabant quidem ſcripta Prophetarum de eo, quòd CHRISTVS eſſet cum mortalibus familiariſsimè victurus: Cæterum nõdum erat quicquam in literas relatũ, quod CHRISTVM veniſſe, & nos patri reconciliaſſe, nobiſq; impetraſſe veniam delictorum teſtaretur. Ex quo apparet, Eccleſiam antiquiorem eſſe ſcriptura. Quod ſi ita eſt, vt profectò eſt, quomodo potuit tum ſcriptura Eccleſiæ agnoſcendæ nota eſſe, cùm nondum aliqua extaret? An dicent, nullam antè Eccleſiam fuiſſe, quàm quicquam ſcriberetur? Quid ergo reſpondebunt ad illud CHRISTI: Si non audierit te, dic Eccleſiæ? Quod conſtat longè prius dictum fuiſſe, quàm Mathæus ſuum

Matth. 28. Marci. 16.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 24. Iren. lib. 3. cap. 1. cont. Valent.

Matth. 18.

um Euangelium cõfeciſſet: qui primus tum de CHRISTO ſcripſit, cum Petrus & Paulus Romæ (vt Irenæus refert) prædicarent. Erat ergo multò ante CHRISTI Eccleſia, & Deus ſine vllis literarum monimentis, fide, ſpe, & charitate colebatur, quæ (vt Diuus Antonius heremita olim dixit) lex crucifixi eſt: &, ſicuti ſcriptum à Clemente Alexandrino eſt, abſq; literis diſcitur: cùm ſit decretum ſpirituale, ſcriptum in cordibus noſtris. Verùm poſtea ſpiritui ſancto viſum eſt, myſteria noſtræ religionis vt literis conſignarentur. Ex quo in lucem prodierunt libri ſacri, quos partim Apoſtoli, partim Apoſtolorum diſcipuli conſcripſerunt. Atq; hic quidem quantum ipſius Autoritas valeat in ijs, quæ ad fidem pertinent, Eccleſia planum fecit. Nam licet Thomæ, Andreæ, Nicodemi, Iacobi, & Bartholomæi, atq; aliorum de Euangelio libri conſcripti extarent, tamen quatuor tantùm ſcripta, quæ nunc debita veneratione proſequimur, approbauit, & à ſpiritu ſancto prodita fuiſſe pronunciauit: reliqua verò inter ea ſcripta numerari debere ſtatuit, quæ apocrypha dicuntur. Apocrypha autem quæ ſint, declarat Origenes ad hunc modum: Scripturę (inquit) Apocryphæ appellantur eò, quòd multa in eis corrupta ſunt, & contra fidem inueniuntur tradita: Idcircò non placuit ,, Eccleſijs Dei, locum dare illis, nec admittere in Au- ,, toritatem. Quinetiam cùm vel Pauli Epiſtola in manibus hominum verſaretur, quam à ſe ad Laodicenſes miſſam fuiſſe teſtatur ipſe in ea, quam ad Coloſſenſes ſcripſit: tamen ab Eccleſia recæpta non eſt. Quod quare factum ſit, ipſa dubio procul

Iren. lib. 3. cont. Valent. cap. 1.

Athanaſ. in uita Antonij.

Strom. 2.

Charitas decretum ſpirituale.

Eccleſia quæ maximè re autoritatem ſuã patefecerit.

Hom. 1. in Cantica.

Scripta Apocrypha quæ dicantur.

Coloſſ. ult.

In proœm. in Lucan. cul intelligit, quæ (vt Ambroſius ſcriptum reliquit) nouit ſpiritus diſcernere, & quaſi bonus nummularius numiſma probare, aut repudiare. Quo fit, vt Diuus Auguſtinus intrepidè, & forti animo dicat, ſe Euangelio crediturum non fuiſſe, niſi Eccleſiæ impelleret authoritas. Euangelio, inquit, non crederem, niſi Eccleſia me doceret. Nec contra Fauſtum Manichæum, qui quoſdam ex ſacris libris abiecit, alio argumento vſus eſt, vt eos in ſacris numerandos eſſe demonſtraret, quàm eo, quòd Eccleſia in canone Diuinorum voluminum eis locum dediſſet. Sed nec alijs ſe armis muniuit, contra legis, & Prophetarum hoſtem pugnaturus. Ex ijs, quæ diximus, efficitur, vt appareat magno in errore eos eſſe, qui doctrinam Euãgelij, hoc eſt, ſcripturam ſacram, ſignum eſſe dicunt, quo Eccleſia dignoſci queat: cùm ea & antiquior, quàm ſcriptura ſit: & nos doceat, quę ſit ſcriptura ſacra, quæ eius interpretatio ac ſenſus, quæ ſacramenta, & quis eorum vſus exiſtat. Neq; enim aliunde hæc, q̃; ex Eccleſiæ teſtimonio cognouimus. Non quòd Eccleſia vel Sacramentis excellat, per quæ ei deus ſanctitatem impartitur: vel ſcripturis præſtet, & ſuperior ſit: quas & diuinitus accepit, & venerari ac ſequi debet, licet angelus è cœlo deſcendens aliter ei annunciare audeat. Sed quia nobis illa ſuo iure imperare poteſt ob eam poteſtatem, quam ad nos regẽdos ei tribuit CHRISTVS, vt quidquid ipſa ſtatueret in terris, id ratũ ac firmum in cœlo haberetur. Quia, inquam, mater & magiſtra noſtra eſt: & iuſsit CHRISTVS, vt eam audiremus, nihil interim de ſcriptura loquens: atq; adeò ſtatuit, vt ab ea & ſcripturam, & Sacramenta reciperemus: qui verò contrà ſentiret, & ſcripturæ, quàm Eccleſiæ

Contr. epiſt. funda. cap. 5.

Lib. 13. cont. Fauſt. cap. 5.

Lib. 1. cap. 20

Galat. 1.

Ioan. 2.

Eccleſia mater & magiſtra noſtra eſt.

cleſiæ plus fidei adhiberet, is Ethnicus & publicanus, atq; à populo Dei extraneus iudicaretur. Ex quo perſpicuum eſt, qui noſtro ſæculo Eccleſiæ autoritatem eleuant, & omnia tribuunt ſcripturæ, eos ad Dei populum non pertinere, nec aliud quàm Ethnicos & publicanos exiſtere. CHRISTVS enim non dixit: Si audierit ſcripturam: Sed, ſi nõ audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Neq; enim ſcriptura CHRISTI ſponſa eſt, aut cõiunx, aut corpus: ſed Eccleſia. Nec ſcripturam, ſed Eccleſiam ſibi æterno connubio copulauit, vt eam talem ſibi ipſe de hoc ſęculo erutam (vt Auguſtini verba vſurpem) exhiberet, qualem futuram eſſe ſcribit Paulus. Eccleſiæ etiam, non ſcripturæ, in Petro claues dedit. Eccleſiæ (inquam) non ſcripturæ dixit: Qui vos audit, me audit: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Eccleſia igitur audienda eſt, atq; ex ea diſcendum, quæ ſit ſacra ſcriptura: & vera, ac pura doctrina: quæ item Sacramenta, & eorum vſus legitimus. Quî enim nobis perſpicuum eſſet, quod eſſet Euangeliũ, quæ fides, doctrina, & Sacramenta CHRISTI: niſi id ex eius ore diſceremus? Quòd ſi ab Eccleſia id non diſcamus, quid aliud fiet, quàm vt cuiq; liceat, quam velit ſcripturam pro arbitrio vel recipere, vel reijcere: & quot libitum fuerit, Sacramenta conſtituere. Quod nunc (proh dolor) liberè in Germania ab iſtis noui Euangelij doctoribus fieri videmus, non aliam certè ob cauſam, quàm quod Eccleſiæ Autoritate neglecta, ſui quiſq; capitis ſomnia veneretur? Quid ergo erit in religione noſtra certum, firmũ, & ſtabile, ſicut paulò antè dicere cœpi? cui enim dubium eſt, quin ſublata Eccleſiæ Autoritate, ſanctorum quoq; librorum, & om-

Qui plus tribuunt ſcripturæ, quàm Eccleſiæ, non ſunt de populo Dei.

Matth. 18.

Eccleſia eſt ſpõſa Chriſti, non ſcriptura.

De doct. Chr. lib. 2. cap. 18.

Epheſ. 5.

Luc. 10.

Quæ ſit cauſa hæreſeôn.

Sublata Eccleſiæ authoritate religio Chriſtiana perit.

nium partium, quibus religio noſtra conſtat, Autoritas labefactetur. Quare illud neceſſe inprimis eſt, vt non cuiq; fas ſit, quas libeat ſcripturas vel admittere, vel repudiare, deq; Sacramentis idem conſtituere: Sed oportet, vt ea omnia ab Eccleſia accipiat, atq; ex eius ſenſu & conſenſu, quæ diuina ſcriptura, & eius intelligentia, quæ item Sacramenta, & in quo legitimus eorum vſus ſitus ſit, intelligat. Qua in ſententia Maiores noſtri omnes fuerunt, quicunq; à vera religione nullo vnquam tempore declinarunt. Neq; enim vel aliam ſcripturam, vel alia Sacramenta amplecti voluerunt, quàm ea, quæ cõmuni Eccleſię ſuffragio talia haberi, & iudicari viderunt. Quod quidẽ verum eſſe, facilè intelliget, quiſquis ea legerit, q̃ Dionyſius Areopagita, Clemens, Polycarpus, Ignatius, Irenęus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Hilari⁹, Chryſoſtomus, Gregorius vterq;, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, atq; alij, ſanctitate & doctrina excellentes viri, clariſsimis literarũ monumentis cõprehenderunt. Longũ ſanè fuerit, ac fortaſſe ſuperuacaneũ, adducere ſingulorũ ea de re teſtimonia: ne tamẽ ad id, de quo agimus, intelligendũ, quicq̃; deſyderetur, aliquot in medio ponemus: eaq; cæteris magis perſpicua atq; illuſtriora.

Patres teſtimonio Eccleſiæ, ſcripturã, & doctrinam puram agnouerunt.

Igitur magnus ille, Dei Martyr & Epiſcopus, Irenæus, declarãs, quo teſtimonio Eccleſia ſuo ſęculo ſciret, quæ

Lib. 4. cap. 45.

„ vera eſſet doctrina: Agnitio (inquit) vera eſt Apoſtolo-
„ rũ doctrina, & antiquus Eccleſię ſtatus in vniuerſo mũ-
„ do, & in charactere corporis CHRISTI, ſecundum ſuc-
„ ceſsionem Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vno-
„ quoq; loco eſt, Eccleſiam crediderunt, quæ peruenit
„ ad nos. Intelligis ne patres, non Eccleſiã ex doctrina &

ſcriptu-

ſcriptura (quod hæretici noſtræ ætatis volunt) ſed contrà, ex Eccleſia doctrinam & ſcripturam agnouiſſe? Audi iam, quid de eo etiam ſcribat Tertullianus, qui Irenæum libenter imitatur. Quid Apoſtoli (ait) prædicauerint, id eſt, quid illis CHRISTVS reuelauerit, & hîc præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viua (quod aiunt) voce, quàm per Epiſtolas poſtea. Vides quàm longè aliter ille de doctrina iudicarit, quàm iſti iudicandum eſſe cenſent? Ille quidem certè, quæ vera aut falſa doctrina ſit, ex Eccleſiæ teſtimonio intelligi debere ſtatuit, tantum abeſt, vt quæ CHRISTI Eccleſia ſit, ex doctrina agnoſci velit. Nec dubitat pronunciare, diſerteq; affirmare, eam doctrinam falſam eſſe, quæ cum Eccleſiæ veritate non conueniat. Sed neq; alio quàm Eccleſiæ calculo, ſe verã Chriſtianæ religionis doctrinã, & ſcripturã agnouiſſe, publicis literis profeſſus eſt magnus ille Origenes. Ex traditione (inquit) didici de quatuor Euangelijs, quòd hæc ſola abſq; vlla contradictione ſuſcipi debeant in omnibus, quæ ſub cælo ſunt Eccleſijs Dei, ita enim tradiderunt Patres noſtri. Quinetiam explicans ſe non alio argumento adduci, vt credat Epiſtolam ad Hebræos ab Apoſtolo ſcriptã eſſe, quàm quòd ita ab Eccleſia traditum ſit, demonſtrans, ad hunc modum ſcribit: Quamuis nonnulli de ea, quæ ad Hebræos ſcripta eſt, dubitauerint, pro eo, quòd non videatur in ea ſeruari illa ſententia, quam de ſe ipſo pronunciat, dicens, ſe imperitum eſſe ſermone: Sed ego dico, ſicut mihi à Maioribus traditum eſt, quia maniſeſtiſsimè Pauli eſt: & ſemper omnes antiqui Ma-

De præſcript. aduerſ hæret.

Euſeb. lib. 6.

Origenis ſententia de Epiſtola ad Hebræos.

iores noſtri ita eam, vt Pauli Epiſtolam, ſuſceperunt. Et quod potuit illuſtrius teſtimonium afferri, ad probandum, non Eccleſiam ſcriptura, ſed ſcripturam ab Eccleſia nobis demonſtrari? Eccleſiam (inquam) eſſe, à qua pura (vt iſti loquuntur) doctrina, purumq; Dei verbum accipiendum ſit? Non poteſt ergo fieri, vt ſcriptura, & pura doctrina CHRISTI, Eccleſiæ ſignum ſit. Fruſtrà ergo & temerè, qui noſtris temporibus CHRISTI Rempublicam dilacerant, & ſanctum eius corpus diſcerpunt, veram Eccleſiam CHRISTI eo cognoſci ſigno contendunt, quod purum Dei verbum, veramq; ſcripturam tueatur & veneretur.

Scriptura neq; apud Iudæos fuit talis Synagogæ nota, qualem iſti Eccleſiæ eſſe volunt.

Ac quamuis quidem ex ijs, quæ ea de re diximus, perſpici apertè poſsit, qui contrà ſtatuant ac nos ſentimus, eos toto (quod aiunt) cœlo aberrare: ne tamen locus aliquis dubitandi relinquatur, non grauabor demonſtrare, neq; apud Iudæos doctrinam & ſcripturam pro ſigno habitam fuiſſe, quo Synagoga dinoſceretur à reliquis conuentibus, in quos populus Dei diſtractus aliquando fuit. Primùm enim illud conſtat, Iudæos, antequam CHRISTVS naturam noſtram ſuſcepiſſet, varias ſectas fouiſſe. Certè Epiphanius, autor grauis inprimis, & qui de diuerſis eorum opinionibus & diſſenſionibus diligenter exquiſiuit, quòd eorum linguam probè calleret, quatuordecim ſectas enumerat, in quas diuiſos fuiſſe ſcribit Iudæos, priuſquam CHRISTVS naſceretur. Nam vt Samaritanos omittam, quos DEVS de populo ſuo deleuit, ab eo iam tempore, quo ſe ipſi vltrò à cæteris tribubus ſepararunt, inter Iudæos ſanè dubium non eſt, fuiſſe, qui

Lib. 7. to. 1. hæreſ. 14. Iudæi antequã Chriſtus naſceretur, varias in ſectas diſtracti fuerunt.

qui Sadducæi, Cyrenenſes, Libertini, Scribæ, Phariſæi, Nazaræi, Oſſeni, alijſq; nominibus vocarentur. Iam, ſi quis eo tempore ad ſcripturam & doctrinam oculos conuertiſſet, eiuſq; beneficio veram Moſis Synagogam, cui Deus ſe affuturum promiſerat, à reliquis mendaciorum ſectis dinoſcere voluiſſet: nihilò certè ab ea certior, quàm anteà eſſet, ea de re fieri poſſet. Nulla enim erat ſecta ex ijs, quas commemorauimus, quæ, ſi non omnes, certè pleroſq; veteris inſtrumenti libros non reciperet, & ſe puram doctrinam, Deiq; verbum habere, & colere iactaret. Quid ergo hic faceret, qui ſalutis ſuæ curam gereret? In tanta ſectarum varietate, quo indicio & ſigno intelligere poſſet, quænam Moſis Synagoga eſſet, quam ſe eſſe ſinguli ſectarum Magiſtri prædicarunt? Quidquid aduerſarij hìc dixerint, ſi Moſis Synagogam ab aliorum conuenticulis diſcernere vellet, aliud profectò quod faceret, non haberet quàm vt in Leuiticæ gentis Sacerdotiũ à Deo inſtitutum, ordinariamq; ac legitimam eius ſucceſſionem intueretur. Atq; vbi eſſent Sacerdotes, qui è tribu Leui delecti ſacra procurarent: ibi certè & veram ſcripturam, & germanam eius intelligentiam reperiret. Leuitici enim generis Sacerdotes ſunt, quibus credita à Moſe ſcriptura ſancta eſt. Nam de eo ita ſcriptum legimus: Poſtquam ſcripſit Moſes verba legis huius „ in volumine, & compleuit, præcepit Leuitis, qui por- „ tabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum „ iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis domini Dei „ veſtri: Atq; ex eo fit, vt præclarè dictum fuerit „ ab Auguſtino, magna ſuccedentium ſibi ſacerdotum

Synagoga olim ubi quæri debuerit.

Deut. 31.

Epiſt. 48. ad Vincent.

Q iij tum

Veteris teſtamenti libri olim à quibus ſeruati.

tum diligentia in Synagoga ac templo, Moſis ordinatione & præcepto, veteris ſcripturæ ac teſtamenti Canonem fuiſſe ſeruatum. Igitur vt tandem conſtet, vbi tunc quæri Moſis Synagoga, & quo ſigno dignoſci debuerit, illud quidem certè perſpicuum eſt, ſcripturam non potuiſſe agnoſcendæ Eccleſiæ ſignum eſſe: partim, quòd eam (ſicut nunc hæretici apud nos faciunt) ſinguli quiq; cœtus ſibi vendicarent: partim, quia antiquior, quàm ſcriptura, eſſet Synagoga & ſacerdotium, à quo ea regebatur. Porrò autem ſi ſcriptura ſignum apud Iudæos fuiſſet, quod Synagogam demonſtraret, illud ex eo fieret, quòd notior & antiquior eſſet ſcriptura quàm Synagoga, quando omne ſignum eo, quod ſignatur, antiquius, aut certè magis notum ſit, oportet. Sed id falſum eſſe, vel illud indicat, quod compluribus annis Sacerdotum dignitas & ordo, atq; illius Synagogæ ſtatus, omnes veteris Inſtrumenti libros præceſſerit, & Moſes ſacra volumina multò pòſt, quàm Rempublicam illam legibus & ſtatutis fundaſſet, Leuiticæ familiæ ſacerdotibus ſeruanda tradiderit. Relinquitur ergo, ſcripturam ſacram & doctrinam (quam mendaciorum defenſores puram vocant) non eſſe certam & veram notam, quæ nobis CHRISTI Eccleſiam oſtendat, quòd omnes ſectarum & errorum principes ac magiſtri noſtra ætate tam aſſeueranter affirmant: vt non videant, id ſi verum ſit, complura ſequi, quę auditu abſurda ſunt. Nam, ſi vbicunq; ſcriptura eſt, & doctrina, verbo Dei comprehenſa, ibi CHRISTI Eccleſia locum habet, illud conſequetur, vt tot ſint CHRISTI Eccleſiæ, quot ſunt

Si uerbū Dei, quod ſectarij uocant, eſt ſignum monſtrās Eccleſiā, tot erunt Eccleſiæ, quot ſunt ſectæ.

ſunt hæreticorum conuenticula. At verò id quàm pugnet cum cœleſti doctrina, nemo eſt, qui non videat. Atq; etiam illud efficeretur, vt de Eccleſia CHRISTI ij quoq; eſſent, qui ſchiſmatis errore obligantur, & à populo Dei ſeſe vltrò præciderunt. Quotus enim quiſq; inter eos eſt, qui de ſacræ ſcripturæ, & veræ doctrinæ poſſeſsione non glorietur? Qui nõ omnem cęleſtis doctrinæ puritatem ſibi, ſuæq́; parti attribuat, atq; ea, quæ CHRISTVS Eccleſiæ ſuæ dona pollicitus eſt, ad ſe pertinere dicat? Quid? quòd credendum etiam eſſet, Iudæos, qui nunc à Deo abiecti, toto terrarum orbe incertis ſedibus vagantur, Moſis Synagogam eſſe, quando veteris teſtamenti libros non habent ſolùm, ſed ſingulari etiam cura ac diligentia tuentur? Sed eos iam neq; Dei populum eſſe, neq; ad Moſis Synagogam pertinere, ex eo ſcimus, quia deſtituti à Deo fuerint: & ſacerdotio, ac legis (quam etiam nunc habent) intelligentia ſpoliati, ab eo tempore, quo mortuo CHRISTO velum templi ſciſſum eſt, quod eius rei figuram geſsit. Ad eundem modum neq; ſchiſmatici ad Dei populum Eccleſiamúe ſpectant, eò quòd ſe ab eius capite, qui CHRISTVS eſt, ſeparent. Is enim affirmauit, qui non eſſent ſecum, contra ſe eſſe: qui ſecum non colligerent, ſpargere: quod ſchiſmaticorum proprium & peculiare eſt.

Schiſmatici eſſet Eccleſia, ſi ſcriptura Eccleſiæ ſignũ eſſet.

Iudæi ad Chriſti Eccleſiam pertinerent, ſi ſcriptura ſignum eſſet Eccleſiam mõſtrans.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Luc. 11.

Obiectio.

Sed dicet aliquis: Quid tu ais? ſacram ne ſcripturam, & puram doctrinam negas eſſe veram Eccleſiæ notam? Quid ergo eſt, quòd paulò antè acriter inſectabaris eos, qui Eccleſiam in ſacris li-

teris depictam,& ad viuum expreſſam non cernerent? Quid ſibi vult illud Auguſtini, quod à te tum allatum eſt, Eccleſiam in ſanctis libris, non in commentarijs hominum eſſe quærendam? Quid eſt, quòd eos omnes, qui ſectas fouent, ideo Eccleſia CHRISTI quæ ſit, neſcire dixeris, quòd libros ſacros non ædificandi, ſed perdendi animo legant? An non hæc indicant, te id ſentire, quòd Eccleſia in ſacris libris quærenda ſit, & ſanctæ literæ, ſignum, qua illa oſtendatur,

Reſponſio. exiſtant? Quid ergo eſt, quòd nunc contrà apertè ſentias? Meritò tu quidem à me id quæris: ac digna ſanè hæc quæſtio eſt, ad quam non obiter, ſed cautè & prudenter reſpondeatur. Quod quidem vt præſtem, pro viribus pugnabò atq; enitar. Veteris te-

Librorum veteris teſtamenti ſumma. ſtamenti volumina, quis fuerit Hebræorum populi ſtatus, quæ Reſpublica, quod Sacerdotium, quæ ſacrificia, ac poſtremò, quæ Synagoga extiterit, nobis ante oculos ponunt, ac planè depingunt. Noui item inſtrumenti literæ nos docent, quæ fuerint Chriſtianę religionis ini-

In Pſal. 71. tia, qui progreſſus, & incrementa: Qua de re loquens

Scripta diuina cur nobis tradita. Auguſtinus, Diuina (inquit) eloquia idcircò ſunt nobis tradita, quibus Eccleſia Catholica, non ſicut quælibet ,, ſchiſmata, in angulo aliquo terræ, ſed in vniuerſo mun- ,, do fructificando, & creſcendo, vſq; ad ipſos Æthio- ,, pes, extremos videlicet & teterrimos hominum, nun- ,, ciatur peruentura. Dominabitur à mari vſq; ad ma- ,, re, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Co-

Pſal. 71. ram illo procident Aethiopes, & adorabunt eum om-

De Præſcript. aduerſus hæreticos. nes reges terræ. Et Tertullianus, qui Auguſtinum aliquot ſæculis præceſsit, cum de eo libro meminiſſet,

qui

qui Acta Apoſtolorum inſcribitur, id ei tribuit, quòd tradat, qui, & quãdo, & quibus incunabulis hoc CHRISTI corpus, quod Eccleſia eſt, inſtitutum ſit. *Actorum liber quid contineat.* Ac certè ita res habet, Quòd Eccleſia CHRISTI quæ ſit, ex ſanctis literis cognoſcitur: ſicuti etiam, quæ ſint ſanctæ literæ, ex Eccleſia intelligitur. *Ex ſcriptura cognoſcitur, quæ ſit Chriſti Eccleſia.* Scriptura enim pulcherrimum hoc CHRISTI corpus, quod Eccleſia eſt, depingens, ait: illud primùm quidem ex Apoſtolis, *1. Cor. 12.* deinde ex Euangeliſtis, paſtoribus, & Doctoribus eſſe conflatum: ita, vt neceſſe ſit, eum cœtum eſſe Eccleſiam, in quo principem locum teneant Apoſtoli, Euangeliſtæ, paſtores, & Doctores legitimè vocati, & ad munus, quod eis aſsignatur, promoti. Eadem ſcriptura indicat, eos eſſe de Eccleſia, qui ijs, quos Deus eis præpoſuit, obediunt. Eadem admonet audiendam *Heb. 13.* eſſe Eccleſiam, & vbi fuerint duo vel tres *Matth. 18.* in nomine CHRISTI congregati, ipſum in medio eorum verſari, vt quidquid petierint, id eis concedat. Sed ſi fuerint vnanimes, concordes, ſimplices, pacati, deum timentes, & Dei præcepta ſeruantes, ſicuti annotauit Cyprianus. *Lib. de ſimpl. prælat.* Eadem ſcriptura pronunciat, Eccleſiã eſſe domum Dei, & columnam ac firmamentum veritatis. *1. Tim. 3.* Et, vt breuiter multa dicam, tanta eſt conſpiratio & conſenſus ſcripturæ & Eccleſiæ, vt altera alteri mutuò teſtimoniũ perhibeat, alteraq; per alteram viciſsim Deũ loqui, atq; arcana æternæ ſapientiæ patefacere teſtetur. *Scripturæ, & Eccleſiæ conſpiratio quanta.* Sed licet fateamur, Eccleſiã ex ſcriptura cognoſci poſſe, quòd in ea ad viuum deliniata atq; efficta ſit: ex eo tamen non ſequitur, ita certam ac firmam agnoſcendæ Eccleſiæ notam ſcripturam eſſe, vt vbicunque ſcriptura habeatur, illic & Eccleſiam eſſe neceſſe ſit. *Etſi nos ſcriptura doceat, quæ ſit Chriſti Eccleſia, tamẽ nõ inde ſequitur, ut ubicũq; ſcriptura ſit, illic Eccleſia eſſe dicatur.*

ſit. Nam, vt paulo antè diximus, ſectæ & hæreſes omnes gloriantur ſe habere ſcripturam: & (ſicuti à Tertulliano ſcriptum eſt) ſcripturas obtendunt, & de ſcri-
,, pturis agunt, & ſuadent: aliunde enim loqui non poſ-
,, ſent de rebus fidei, niſi ex literis fidei: omnes (inquam) ſectæ de ſcripturæ & doctrinæ poſſeſsione gloriantur, nec alteri altera hac parte cedit. Si ergo ſcriptura eſſet ad Eccleſiam agnoſcendam tam certum atq; euidens ſignum, vt vbicunq; ipſa eſſet, ibi quoq; CHRISTI Eccleſia domicilium haberet: an non ſequeretur, tot eſſe CHRISTI Eccleſias, quot ſectæ & errores ſunt: quando eorum Magiſtri & Principes, quamuis in alijs religionis partibus diſsideant, in eo tamen omnes conueniunt: quòd ſcripturas habeant & venerentur, neq; aliunde ſuarum hæreſeôn venena depromant. Eſſent ergo hæretici, & religionis veræ hoſtes, de CHRISTI populo, & eius Eccleſia. Quinetiam ſchiſmatum & ſciſsionum autores (nam & ipſi non minus, quàm cæteri Chriſtianæ vnitatis aduerſarij, teſtimonijs ſanctarum literarum ſua roborare ſtudent) Eccleſiæ membra cenſerentur. Quod quàm ſit abſurdum, & cum veritate pugnans, apertius eſt, quàm vt oſtendi debeat. Ex quo efficitur, vt meritò negemus, ſcripturam & doctrinam, quæ expreſſo Dei verbo (ſicuti illi dicunt) concluſa eſt, ita certam notam noſcendæ Eccleſiæ eſſe, vt qui cœtus ſcripturam & eam doctrinam habeat, is ſtatim Eccleſia habendus ſit. Haud ſanè diffitemur, verum eſſe, hæredem inſtitutum ex teſtamenti literis noſci poſſe, non tamen damus illud, quicunq; teſtamentum apud ſe habeat, & quæ eo prodita ſunt, faciat, eum idcircò hæredem iudicari poſſe. Alioqui fieret,

De præſcript. aduerſ. hæretic.

Simile accommodatum.

ret, vt, quia libros noui Teſtamenti habent hæretici & ſchiſmatici, ideo numerari inter regni cœleſtis hæredes poſſent. Erit forſan qui putet, ſi ſanctæ literæ rectè, & fide ſumma explanentur, atq; (vt Bernardi verbis vtar) eo exponantur ſpiritu, quo proditæ ſunt, fieri poſſe, vt meritò vocari debeant ſignum, quod CHRISTI Eccleſiam demonſtret. Sed ne hac quidem ratione aduerſarij obtinebunt, quod volunt. Semper enim illud à nobis audient, quod iam ſuprà dictum eſt: ſcripturam, ſiue doctrinam puram, apud quoſcunq; tandem ea ſit, talem Eccleſiæ notam, qualem Lutheri filij volunt, eſſe non poſſe: quia impropriè, quod minus nobis notum eſt, dicatur eſſe ſignum, quo id noſcatur, quod nobis notius & familiarius exiſtit. Quæ verò quæſtio hac de re inter nos & aduerſarios agitatur, ſimilis ei eſt, qua quæritur: An ſcriptura debeat & poſſit eſſe iudex omnium controuerſiarum, quæ in Eccleſia Dei oriantur. Illi vtrunq; magno animo tuentur. Alterum, quod ſcriptura de omnibus controuerſijs ſententiam ferre poſſit, & eius id proprium ſit munus. Alterum, quod ea agnoſcenda ſit pro tali ſigno, quod verè Eccleſiam demonſtrat. Sed nos neutrum recipimus: & vt negamus, ſcripturæ officium eſſe, de ijs rebus, quæ dubiæ eſſe videantur, pronunciare: ita minimè damus, eam ſignum dici poſſe, quod Eccleſiam CHRISTI ab alijs conuentibus ſegreget. Atq;, vt contendimus, ſcripturam icciricò non poſſe iudicis munus obire, quòd vel Apoſtolorum Principis teſtimonio poſſit deprauari, ac detorqueri ad eam ſententiam, quæ à Diabolo potius, quàm à ſpiritu ſancto proficiſcatur, quod hæretici omnes faciunt: ita eam ſignum tale

Occurrit tantæ obiectioni.

In opere ſer. uar. ſerm. 1. de natiuit. Domini.

Quæſtio an ſcriptura ſit nota Eccleſiæ, qualis.

tale cenſeri non debere ſtatuimus, quia omnes hæretici illam ſuam eſſe,& ad ſe pertinere affirmant. Quod ab omni ſigni proprietate abhorret omnino. Quod enim verè ſignū eſt, id eam habet vim, vt præterquam ei rei, quam ſignat, alteri conuenire non poſsit. Ac nos tale in hac controuerſia ſignum quærimus. Tale autem eſt ordinaria ſucceſsio, de qua nulla vnquam ſecta gloriari auſa eſt: Sed de ea ſuo loco explicabitur. Quia non obſcurè demonſtraui, ſcripturam, & puram, quam aduerſarij omnes tam arroganter ſibi attribuunt, doctrinam non poſſe eiuſmodi ſignum vocari, quod propriè in hac diſputatione quęritur, conſequens eſt, vt veniam ad alterum ſignum (quod ipſi vocant) nempè legitimū Sacramentorum vſum: &, ne eum quidem eius generis ſignum conſtituendum eſſe, planum faciam: Quòd verò id verum ſit, non alio ſanè argumento clarius probari poteſt, quàm eo, quo, neq; ſcripturam & doctrinam tale ſignum eſſe, quod Eccleſiam demonſtret, à me explicatum eſt. Illud enim negari non poteſt, quin Sacramenta, perinde ac ſcripturam, & doctrinam ab Eccleſia acceperimus, & ei, legitimum Sacramentorū vſum, & adminiſtrationem acceptam ferre debeamus. Eſt quidem veriſsimum, Sacramēta Chriſtianę legis quot ſint, ex ſacris literis intelligi. Quid enim baptiſmus ſit, ex eo ſcimus Euangelij loco, in quo ait CHRISTVS. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nō poteſt introire in regnnm Dei. Et: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris & filij & ſpiritus ſancti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Confirmationem verò, quæ à CHRISTO quidem inſtituta, ab Apoſtolis autem promulgata eſt, Sacramen-

Neq; legitimum Sacramētorum uſus eſt ſignum, Eccleſiam demonſtrans.

Sacramenta quot ſint, ex ſcriptura intelligitur.

Baptiſmus. Iohan. 3.

Matth. ult.

Marc. ult.

Confirmatio.

cramentum eſſe demonſtrant ea, quæ de manuum im- *Luc. 24.*
poſitione Lucas ſcribit. De Euchariſtia autem habe- *Eucharistia* *Act. 1.*
mus illuſtria apud Euangeliſtas & Paulum teſtimonia, *Matth. 26.*
quæ apertiora & notiora ſunt, quàm vt hîc referri de- *Marc. 14.* *Luc. 22.*
beant. Neq; pœnitentiæ Sacramentum minus diſer- *1. Cor. 11.*
tè à CHRISTO, qui ea omnia inſtituit, commenda- *Pœnitentia.* *Math. 16. 18.*
tur. Ordinationi porrò inter Sacramēta locum tribuit *Iohan. 20.* *Ordinatio.*
CHRISTVS in Euangelio, & Apoſtolus in ea Epi- *Math. 16.*
ſtola, quam ad Epheſios ſcripſit. Iam verò, quòd ma- *Marc. 10.* *Luc. 9. & 10.*
trimonium ſit Sacramentū, ex eo patet, quòd CHRI- *Epheſ. 4.* *Matrimoniū.*
STVS & diuinitus inſtitutum eſſe, & gratia Dei illu- *Matth. 19.*
ſtrari docuit, atq; ad eum ſtatum, quem in Paradiſo ha-
buit, reuocauit. Deniq; Sacramentum eſſe vnctionem *Extrema vnctio.*
illam ſacram, quæ ad ægrotantes adhibetur, declarat
Epiſtola Iacobi, & exemplum, quod ab Apoſtolis vſur- *Cap. 5.*
patum fuiſſe ſcribit Marcus. Veriſsimum (inquam) eſt, *Cap. 6.*
Sacramenta ſeptenario numero, qui ſpiritui ſancto fa-
miliaris eſt, comprehenſa, è ſanctis literis elici poſſe, ſi
modò hæc non ab ijs, qui è nobis exierunt, cùm non eſ-
ſent è nobis, ſed ab Eccleſia, quæ CHRISTI ſponſa, *Aug. de doct.*
& vna cum eo perſona eſt, explanentur. Nam ſi illis, *Christ. lib. 3.* *Cap. 31.*
pro eo atq; fuerit libitum, ſcripturas interpretari liceat,
efficietur, vt nullus vnquam certus Sacramentorum
numerus conſtitui poſsit: cùm illi Gnathonico more *Luth. capt. Babyl.*
modò aiant, modò negent: & nunc vnum, nunc tria, *Cal. inſt. cap.*
nunc duo, nunc quatuor eſſe affirment. Quamobrem *Philip. in loc.*
neceſſe eſt, vt Eccleſia ſuam authoritatem interponat,
& nobis ſcripturas eo ſpiritu, quo proditæ ſunt, expli-
cet: atq; tum ex ſcripturis, tum ex traditione ſacroſan-
cta, quot, & quæ ſint nouæ legis Sacramenta, declaret.
Id quod eam feciſſe legimus in duobus concilijs, quo-

R rum

Conc. Conſt. ſeſſ. 15. Eugenius 4. In Decreto.

rum alterum conſtantiæ, Florentiæ alterum habitum eſt: In his enim Concilijs Eccleſia pronunciauit, ea ſigna, per quæ mortales Chriſtiani efficiuntur, & ſanctitatem adipiſcuntur, plura quàm ſeptem, paucioraúe exiſtere non poſſe. Non, quòd Eccleſia quicquam tum docuerit credendum eſſe, quod anteà non crederetur, & ſacroſanctum haberetur: ſed vt, quod prius à Maioribus ſola traditione ſuſceperat, id inpoſterum expreſſo ipſius decreto ſeruaretur, omniſq; prophana nouitas exploderetur, & retineretur vetuſtas, quod omnium ſemper conciliorum proprium ac peculiare munus fuit. Sed quia ea hæreticorum perfidia eſt, vt ex puro & incorrupto veritatis ſacrario, impiorum ac turpium errorum lupanar efficere velint: nec quicquam tam ſanctum, tamq; auguſtum eſt, quod illorum ſacrilega temeritas violare & labefactare non audeat: ideo, licet Sacramenta quot, & quæ ſint, ex ſacra ſcriptura intelligi poſsit, cogimur tamen, quando certamen cum eis ineundum eſt, ad Eccleſiam confugere, & quid ei ab Apoſtolis traditum ſit, cognoſcere. Ex quo fit, vt, quia ea partim ex ſcripto, partim ex traditione antiquiſsima iam inde ab vltima religionis noſtræ origine Sacramenta certa, integra, illibata, & ab omni hæreſeôs contagione pura ſeruat: nos diſertè, conſtanter, & aſſeueranter affirmemus, Sacramenta, quot, quæ, & eorum legitimus vſus quis ſit, non aliunde, quàm ex Eccleſiæ teſtimonio compertum habere. Nam vt illi credita ab Apoſtolis ſunt cæleſtia oracula & libri ſancti, vt de eis liberè ſententiam ferret, & eos, ſpiritu illo duce ac magiſtro, quem à ſponſo accepiſſet, explanaret: & Euangelium

Vincent. Lirin. contra propb. nouit.

Cur ad Eccleſiæ authoritatem confugiendum ſit.

Euangelium CHRISTI à Sathanæ commentis ſecerneret: ita quoq; ei commendata eſt doctrina, quæ ad Sacramenta pertinet, multò antè, quàm quidq̃; ſcriptum extaret: eiuſq̃; fidei commiſſum eſt, vt ea ab omni hæreticorum impuritate integra tueretur. Qua de re apertè ſcribunt, Clemens, & Anacletus, & Vrbanus: Petri in Pontificatu maximo ſucceſſores, & CHRISTI Martyres: ac Dionyſius ille Areopagita Apoſtolo præceptore dignus diſcipulus, cuius verba, quia aurea ſunt, libet ſubijcere: Quocirca primi illi Hierarchiæ noſtræ Duces ac Principes, cum & ipſi à diuina bonitate plenè cumulateq̃; ſanctum hoc munus accepiſſent, & à diuina benignitate eius apud poſteros propagandi, prorogandiq̃; cauſa miſsi eſſent, ijdemq̃; valdè, vt diuini, poſteros ad cæleſtia, & diuinitatis ſimilitudinem traducere cuperent: ſignis, quæ ſub ſenſum cadunt, cæleſtia, varietateq̃; ac multitudine, id quod coniunctum connexumq̃; erat, & humanis diuinas res: quæq̃; materia carent, ijs, quæ ex materia conſtant, ac noſtris eas, quæ eſſentia ſuperiores ſunt, partim ſcriptis, partim non ſcriptis ſuis inſtitutionibus ex ſacroſanctis legibus nobis tradiderunt, idq̃; fecerunt non prophanorum modò cauſa, quibus ne ſigna quidem fas eſt cõtingere & tractare; ſed etiam, quòd Hierarchia noſtra, id quod dixi, pro modo noſtro, ſignis continetur, cum egeat rebus, quæ ſenſus mouent, ad diuiniorem noſtri ex ipſis, ad eas quæ mente comprehenduntur, reuocationem. Ex quibus ſanè verbis planum atq; apertum eſt, quòd ex Sacramentis quædam quidem ſcriptis explicata, alia autem ſine vllo

Eccleſiæ fidei credita Sacramenta ut ea à fraudib. haereticorum pura ſeruet.

Eccleſ. Hierarch. cap. 1.

ſcripto Eccleſiæ ab Apoſtolis commiſſa ſunt. Quia ergo Sacramenta Apoſtoli Eccleſiæ cuſtodienda, & ſeruanda, atq; exercenda tradiderunt, efficitur, vt qui velit ſcire, quæ ea ſint, & in quo proprius eorum vſus conſiſtat, id ab Eccleſia intelligere debeat, que earum cuſtos, conſeruatrix, & adminiſtratrix fidiſsima eſt. Quod cùm verum ſit, dubium nullo modo eſt, quin neque Sacramenta, neque eorum vſus eſſe poſsit tale ſignum, quale in hac controuerſia ſpectandum eſt. Ad hæc præterea illud accedit, quòd vt Eccleſiam diximus notiorem eſſe quàm ſit ſcriptura: ad eundem modum ſtatuamus licet, Sacramenta minus nobis nota eſſe quàm eſt Eccleſia. Neq; enim dubium eſt, quin inter Chriſtianos reperias infinitam multitudinem hominum, quos ſi de Sacramentis interroges, ne verbum quidem ab eis auditurus ſis. Si verò percontreris, quæ ſit Catholica Eccleſia, mox tibi certò de ea reſponſuri ſint. Denique ſicuti de ſcriptura & doctrina dictum ſuprà eſt, quòd videlicet eam omnes ſectæ ſibi attribuant, deq; eius iure & poſſeſsione extollantur, ac gloria, ſe & prædicatione efferant: ita nulla ſecta ſit, quæ non ſibi vendicet Sacramenta, & germanam eorum adminiſtrationem. Ex quo apparet neceſſe eſſe, vt eiuſmodi ſigna conſtituenda ſint, quæ nulla ſibi meritò poſsit ſecta adiudicare.

Eccleſia cuſtos, conſeruatrix, & adminiſtratrix Sacramentorum fidiſsima eſt.

Sacramenta non ſunt nobis tam nota, quàm Eccleſia.

Obiectio. Sed dicet aliquis, Sacramenta eſſe ſigna, Symbola, & notas, quibus Chriſtiani ab ijs, qui CHRISTI religionem non colunt, dinoſcantur: qualia ſigna conuenit, vt habeat

habeat quæuis hominum congregatio ac ſcietas, quæ non ritu ferino, ſed mortalium more vitam propaget. Quare cum Sacramenta ſint notæ ac ſigna quædam, quæ Chriſtianos à Turcis & Iudæis, atq; alijs barbaris nationibus diſcernunt, & quis Dei populus ſit, demonſtrant: conſequens eſt, vt ea etiam, quæ CHRISTI Eccleſia ſit, oſtendant.

Etſi Sacramenta ſunt ſigna, & notæ noſtræ profeſsionis, non tamen ideo ſequitur, quod volunt aduerſarij.

Ad eam verò obiectionem nos ita quidem reſpondemus, vt minimè negemus Sacramenta eiuſmodi notas ac ſigna eſſe, quæ CHRISTI populum à reliquis gentibus ſecernant, quæ barbaræ ſunt, & nullis Chriſtianę religionis præceptionibus imbutæ.

Reſponſio.

Vt enim præclarè Auguſtinus annotauit, in nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, aut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.

Contra Fauſt. Manich lib. 19. cap. 11.

Sic videmus in militia dari talia ſigna, quæ varia & diuerſa ſint, & milites vnius ab alterius partis militibus internoſcere doceant. Quinetiam in veteri teſtamento iuſsit Deus, vt faceret ſibi populus ille fimbrias, per angulos palliorum, & in eis poneret vittas hyacinthinas, quas cum videret, recordaretur ſe populum eſſe, quem DEVS à reliquis gentibus ſegregaſſet, atq; in ſuum cooptauiſſet, ac proinde ſanctiſsimas eius leges & præceptiones caſtè & religioſè ſeruaret.

Num. 15.

A qua expoſitione non eſt aliena Diui Hieronymi ſententia, qui de ijs vittis loquens, ait, eas datas Iudæis eſſe in ſignum, quo admonerentur, vt præcepta Domini memoria retinerent. Vt etiam caſu huc illucq; reſpicientibus oculis, mandatorum cœleſtium memoria naſceretur. Sed & circumciſio, Dei populus quis eſſet, demonſtra-

In Epiſt. ad Celantiam.

uit,& eum à cæteris mortalibus diſtinxit. Ac ne quis putet nos hac parte cum hæreticis ſentire, qui ferè nihil tribuunt aliud Sacramentis, quàm quòd ita instituta ſint, vt DEI populum ab alijs gentibus ſecernant, & gratiæ, fauoris, ac fœderis, quo nos DEVS in ſuam familiam recepit, Symbola quædam ſint: nec vllam præterea aliam vim facultatemúe obtineant: affirmamus, quãuis ea ad ſananda animorum vulnera, & gratiam cœleſtem mortalibus communicandam DEVS conſtituerit, concedendum tamen eſſe, populum CHRISTI ab alijs nationibus à DEI cultu alienis, per Sacramenta ſegregari ſeparariq; poſſe, tanquam per quaſdam Cæremonias ac notas, quæ externæ ſint, &, quam religionem ſequantur, demonſtrent. Sed nunquid ideo ſequitur, Sacramenta eſſe ſignum, quod CHRISTI Eccleſiam ab hæreticorum collegijs ſecernat? Nemo vnquam ſanæ mentis id dixerit: Sacramenta eos, qui vel Chriſtiani ſunt, vel ſe Chriſtianos falſò vocant, ab ijs gentibus ſeparant, quæ à CHRISTI nomine & regione abhorrent. Non enim minus apud eos reperiuntur, qui Chriſtianæ profeſsionis titulo errores venatitios circumferunt (hoc eſt, hæreticos) quàm penes illos, qui non fictè, ſed verè & ex animo CHRISTI nomen & doctrinam amplectuntur. Nam (vt Auguſtinus docuit, diſputans cõtra Donatiſtas) ſcriptura & Sacramenta, hæreticis & Catholicis communia ſunt. Efficitur ergo, vt, quia Sacramenta tam Catholicis quàm hæreticis eadem ſunt, ideo vtroſq;, id eſt, Catholicos ſimul & hæreticos ab alijs barbaris nationibus ſeiungant. Sed ex eo non fit,

Sacramenta ſunt Symbola, & notæ, ſed gratiam impertiuntur.

Lib. 3. cap. 15. contra Donatiſtas.

vt eos,qui CHRISTI ſignum gerunt,& contra CHRISTVS pugnant,ab ijs ſeparent,qui Catholici ſunt, cùm eadem vtriſq; communia æquè ſint. Ergo fieri nõ poteſt,vt Sacramenta,& eorum vſus tale ſignum & nota ſit,quod nobis Eccleſiam Chriſti demonſtret & à factionibus & cõuenticulis hæreticorum ſecernat. Alioqui fieret,vt hęretici & ſchiſmatum magiſtri de Eccleſia CHRISTI, ac populo eſſent,quia apud eos Sacramenta, & eorum adminiſtratio reperitur, quod quàm ſit abſurdum,nemo eſt,qui non videat.

Concludit Sacramentorum uſum non eſſe tale ſignum, quale hic quæritur.

Cum hæc ita conſtituta ſint,vt labefactari nulla falſitatis fraude poſsint, ſequitur, vt ego orationem ad id referam, quod in ea diſputatione,quæ à me hoc in libro propoſita eſt, ſecundum obtinet locum. Nempè falſum eſſe,quod hæretici noſtri ſæculi prædicant,ſe iccircò CHRISTI Eccleſiam eſſe,quòd puram doctrinam, & legitimum Sacramentorum vſum retineant. Nam,vt dixi ſuprà,licet demus illis,quòd planè negandum eſt, puram apud eos doctrinam, & vſum verũ Sacramentorũ,notas eſſe, quibus Eccleſia Chriſti agnoſci poſsit,tamen falſum eſt, quod tam illi conſtanter aſſeuerant, ſe videlicet puram doctrinam, & germanum Sacramentorũ vſum tueri. Falſum (inquã) id eſt,& ab omni veritatis ſpecie alienum. Neutrũ enim in eorum conuenticulis locum habet. Atq; vt id liquidò conſtet, primum de doctrina, poſtea de vſu Sacramentorum diſſeram.

Quòd hæreticis neq; habeant puram doctrinam, neq; legitimum Sacramentorum uſum.

Ac quam illi puram doctrinam dicunt, eam eſſe intelligunt,quam ipſi ex ſacris literis, vt libet, eliciunt. Sed quomodo puram doctrinam retinere dicendi

Hæreticos cum ſcripturarum doctrina nihil habere.

ſunt ij, qui nihil habent cum ſcripturis commune? Quòd verò nihil habeant commune cum ſcripturis, ex eo patet, quòd alieni & extranei ab Eccleſia Dei ſunt, cui (vt iam demonſtratum eſt) ſcripta ſacra Apoſtoli crediderunt. Eccleſiæ propria ac legitima poſſeſsio, eſt ſcriptura. Qui ſe ab ea ſepárant, ij nullum in ſcripturam ius habent. Eccleſia enim ſcripturas ab Apoſtolis accepit: Eccleſia eas diuina eſſe oracula pronũciauit: Eccleſia eas Epiſcopis & ſacerdotibus per manus tradidit: Eccleſia eas conſeruauit, vſq; ad hæc tempora. Vnde enim eas habet Lutherus? Certè non aliunde ſe eas, q̃; à nobis accepiſſe, palàm fatetur, cùm diſputans aduerſus Anabaptiſtas & ſacramentarios, ait: Nos fatemur ſub pàpatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianum, atq; illinc ad nos deueniſſe.

Scriptura Sacra propria Eccleſiæ poſſeſsio eſt.

Hæretici ſcripturas ab Eccleſia acceperunt.

In Epiſt. ad duos plebanos.

,, Quippe fatemur, in papatu veram eſſe ſcripturam ſa-
,, cram, verum baptiſmum, verum Sacramentum alta-
,, ris, veras claues ad remiſsionem peccatorum, verum
,, prædicandi officium, verũ Catechiſmum: vt ſunt ora-
,, tio Dominica, decem præcepta, articuli fidei: dico in-
,, ſuper, ſub papatu veram Chriſtianitatem, imò verum
,, nucleum Chriſtianitatis eſſe.

Vbi Lutherus ſcripturam reperit, vbi veram ſcripturam, veram Chriſtianitatem eſſe fatetur, ibi Eccleſia CHRISTI eſt. Alibi autem non reperit, quàm in Romana Eccleſia, & ijs, qui ſe ei obedientes præbent. Eſt ergo Romana cum cæteris cœtibus, qui illi obediunt, CHRISTI Eccleſia. Neq; verò id negauit Lutherus, cum enarrans eam Epiſtolam, quæ ad Galatas ſcripta eſt, eam ſanctam CHRISTI Eccleſiam vocauit.

Tertull. de Marcione lib. 1. uerba eius.

Quicunq;

Quicunq; ergo hanc Eccleſiam oppugnant,& eius di-
gnitatem ac poteſtatem extinctam deletamq; eſſe
cupiunt, ſpargunt,non colligunt, ſicut olim dixit Hie- *In Epiſt. ad Damaſum.*
ronymus: nec CHRISTI oues ſunt, quia ſe de eius *Iohan. ult.*
caula ſegregant, ac proinde nec Eccleſiæ filij cenſeri
debent. Nulla ergo cauſa eſt, quamobrem ſcripturas
ſe habere iactent. Nam vel Lutheri teſtimonio (qui pa-
ter ipſorum eſt) ipſa eas & antè habuit, quàm ille in lu-
cem prodiret,& nunc etiam habet. Veritas ſe nobis pa-
tefacit in ſanctis libris. Ac ſi fieri poteſt, vt veritas com-
munis ſit illis nobiſcum, qui tam grauibus diſſenſioni-
bus à nobis ſeparantur, fieri etiam poterit, vt ſanctæ li-
teræ ad eos pertineant. Sed quia, vt illi etiam fatentur,
veritas & prius fuit, & nūc etiam eſt apud nos, quorum
eſt cor vnum,& anima vna,& idem atque vnum velle *Act. 4.*
& nolle,& illi à nobis omninò diſſentiunt, ſeq; mutu- *Aug. Serm. 50.*
is diſsidijs & bellis inteſtinis conficiunt, efficitur, vt ne- *Veritas nō eſt*
que veritas apud eos ſit, atque iccircò neque ſcriptura *cōmunis Ca-*
ad eos ſpectet. Alioqui fieri poterit, vt veritas CHRI- *tholicis & hæreticis.*
STI diſcipulis, & Sathanæ ſectatoribus ſit commu-
nis. Hæc cùm ita ſint, quid eſt, quòd ſcripturas ſe ha-
bere hæretici mentiantur? Quid enim iuris habent in
eo, quod tot hæreticis nolentibus & inuitis poſſedit
Eccleſia? ſi firmas ipſa origines oſtendit, ſi ſe ab Apo-
ſtolis hæredem declaratam eſſe demonſtrat, ſi ſe mille
& quingentis annis oracula DEI habuiſſe probat,
quid eſt, quòd Apoſtatæ vnius aut alterius libidini
cedat? Quid eſt quòd ſe ſanctarum literarum poſ-
ſeſsione ſpoliari ſinat? cur nōn potius iura & par- *Eccl. quomo-*
tes ſuas tueatur, & Luthero, atque eiuſmodi perduel- *do hæreticos alloqui poſsit.*
lionibus

Lib. de præſcript. aduerſ. hæretic.

lionibus dicat, quod olim eorum parentibus dictum eſt à Tertulliano: Vos qui eſtis? quando, & vnde veni-
„ ſtis? quid in meo agitis, non mei? Quo iure, Luthere,
„ ſyluam meam cædis? Qua licentia, Melanthon, fon-
„ tes meos tranſuertis? Qua poteſtate, Brenti, limites
„ meos commoues? Mea eſt poſſeſsio. Quid hîc cæ-
„ teri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis? Mea
„ eſt poſſeſsio, olim poſsideo, prior poſsideo, habeo ori-

Eccleſia eſt hæres Apoſtolorum.

gines firmas ab ipſis autoribus, quorum res fuit. Ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento
„ ſuo, ſicut cõmiſerunt, ſicut adiurauerũt, ita teneo. Vos
„ certè exhæredauerunt ſemper, vt extraneos, vt inimi-
„ cos. Vnde autem extranei & inimici Apoſtolis, hære-

Hæretici exhæredati, quia extranei, & inimici, & unde.

tici, niſi ex diuerſitate doctrinę, quam vnuſquiſq; de ſuo arbitrio aut protulit aut recepit? Illis igitur & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ. An non iure optimo Eccleſia Chriſti, eos, qui nunc contra eam bellum gerunt, affari ijs verbis poſsit? Quid enim habet iuris in teſtamentum is, qui hæres non eſt? ſi Eccleſia ſcripturarum hæres ab Apoſtolis relicta eſt, nonne patet, qui cum Eccleſia pugnent, eos ab hac hæreditate excluſos eſ-

Hæreticos non eſſe hæredes doctrinę Apoſtolorum.

2. Cor. 11.

ſe? Sed dicent ſe hæredes eſſe Apoſtolorum, ſibi teſtamento relictas eſſe ſcripturas, iura & poſſeſsionem earum ad ſe pertinere, atque ijs & alijs ſpecioſis nominibus Angelus Sathanæ transfigurare ſe volet in Angelum lucis: Sed nos, vt id falſum

Lib. eod.

eſſe demonſtremus, dicamus cum Tertulliano: Vi-
„ deamus à quo, & per quos, & quando tradita ſit
„ diſciplina, qua Chriſtiani fiunt. Huc animum

aduer-

aduertant omnes, qui ſalutis ſuæ curam habent, qui *Pia autoris admonitio.*
volunt ſeruare charitatem in vnitate ſpiritus, quæ eſt
vinculum pacis: qua in re vna ſalus noſtra ſita eſt, *Epheſ. 4.*
qui nolunt fluctuare, vt faciunt ij, qui ſunt paruuli,
qui nolunt alicui doctrinæ vento ſeſe exponere, ſed
in firmiſsimo veritatis domicilio permanere, & per-
ſtare in caſtris Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſola eſt co- *1. Tim. 3.*
lumna & firmamentum veritatis. Diligenter hæc
Tertulliani verba mecum vnà expendant, & me,ea
explanantem, benigno & libero ab effectibus animo
audiant. Polliceri audeo fore, vt ſi hæc animis æquis
ponderare & examinare velint, facilè, & nullo pro-
fectò negotio intelligant, Eccleſiam apud nos eſſe,
ſcripturas ad nos ſpectare, earum explanationem à
nobis peti debere, nos eſſe hæredes & ſucceſſores
Apoſtolorum: eos verò, qui à nobis diſsident, & ſui
capitis ſomnia ſequuntur, in eorum numerum refe-
rendos, qui veritati reſiſtunt, ſicut olim ei Iannes & *2. Tim. 3.*
Mambres reſtiterunt: qui non Eccleſiæ CHRISTI, *Pſal. 25.*
ſed Synagogæ Sathanæ ſint:& conuentus eorum,qui
malignantur, à quo, & per quos, & quando ſcriptu-
ræ proditæ ſint, de eo nulla inter nos & eos quæſtio
eſt. Omnes in ea ſumus ſententia,vt pro comperto at-
que explorato habeamus, ſcripturas à CHRISTO
proditas fuiſſe per Apoſtolos eo tempore, quo illi in-
ter mortales verſarentur,eoſq; cæleſtibus præceptis &
doctrina Euangelij ,ad vitam immortalem inſtruerent.
Id,quin veriſsimum ſit, nemo eſt qui dubitet. Sed *De quo ſit nobis controuerſia cum aduerſarijs.*
qui ſint ij, quibus Apoſtoli ſancti libros à ſe conſcri-
ptos tradiderunt, quos ipſi ſcripturarum hæredes, &
eius

eius dignitatis, qua ipſi à CHRISTO ornati fuerunt, ſucceſſores deſignarint, de eo verò magnopere vtriq; pugnamus, nec alteri alteris cedere volumus. Vtriq; eodem ſtudio, voluntate, & contentione prædicamus & conſtanter aſſeueramus, nos eſſe veram CHRISTI Eccleſiam, nos eſſe veros Apoſtolorum hæredes, ſanctos libros ad nos lege, iure, & ęquitate ſpectare. Quod ſi vtriq; eandem amplecteremur doctrinam: ſi, vt eundem habemus patrem in cœlis, quod olim Auguſtinus ex Anacleto, & Cypriano obiecit parti Donati, eandem agnoſceremus matrem in terris, res ſalua eſſet, nihil accideret, quo de aliqua controuerſia oriretur. Sed quia eam illi doctrinam ſequuntur, quæ tanto à noſtra differt interuallo, quanto terra diſtat à cœlo, efficitur, vt neceſſe ſit, vel illos, vel nos mentiri. Illi ne igitur mentiantur, an nos, iam (fauente eius numine, cuius res agitur) videamus. Id enim vbi perſpicuum fuerit, apertè cõſtabit, qui ſint ij, ad quos ſanctorum librorum poſſeſsio, & hæreditas doctrinæ cœleſtis iure, & meritò pertineat.

Chriſtus inſtituit Apoſtolos.

Quamuis complures haberet diſcipulos CHRISTVS duodecim tamē eorum è numero ſelegit, quos ſolenni ritu, & cæremonia Sacerdotes effecit, eos Eccleſiæ ſuæ ad gubernacula ſedere voluit, illud eis munus etiam aſsignauit, vt Euangelij doctrinam toto orbe ſererent, quàm latè is longeq; pateret. Apoſtoli imitatione CHRISTI, cùm iacerent Eccleſiæ fundamenta, licet multi eſſent, qui eorum doctrinam amplecterentur, tamen non omnibus cæleſtia myſteria, regendæ Eccleſiæ poteſtatem, & facultatem adminiſtrandi Sacramenta crediderunt: ſed paucos ex omnibus vbiq; ſublegerunt, quibus earum rerum procurationem

Apoſtoli inſtituerunt Epiſcopos, & dederunt eis poteſtatem, qua ipſi alios Epiſcopos inſtituerent.

tionem traderent. Quare Paulus Timotheum inſtitu- 2. Tim. 1.
it Epiſcopum: Admoneo, inquit, te, vt ſuſcites grati- „
am, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. „
Et alio in loco: Noli negligere gratiam, quæ data eſt ti- „
bi, per Prophetiam, cum impoſitione manuum presby- 1. Timoth. 4. „
terij. Idem Apoſtolus Eccleſiæ Cretenſi præfecit Ti-
tum, illiq́;, & Timotheo ſimiliter, eam tribuit poteſta-
tem, qua ipſi quoq; alios in eodem dignitatis gradu lo-
carent. Alterum enim ita alloquitur: Manus citò ne- 1. Tim. 5.
mini impoſueris, ne communices peccatis alienis. Ad „
alterum verò ſcribit ad hunc modum: Ideo reliqui te „
Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ci- Tit. 1.
uitates presbyteros. Quod Paulus in duabus Eccleſijs „
fecit, vt nihil interim de alijs dicam, quas ille ad Chri-
ſtianam pietatem inſtituit. Idem Petrum, Iohannem,
Iacobum, Andræam, ac reliquos Apoſtolos in ijs Ec-
cleſijs feciſſe, quarum ipſi doctores & Epiſcopi fuerũt,
nemo vnquam dubitauerit, niſi is, qui ea duntaxat æta-
te CHRISTO populum ſuum curæ fuiſſe credat.
Quod quàm ineptum, & à CHRISTI illa ſingula-
ri benignitate alienum ſit, quis non videt? Ergo effici-
tur, vt dicendum ſit, reliquos etiam Apoſtolos ex eo-
rum collegio, quos à ſimulachris ad CHRISTI fidem
cõuerterunt, quoſdam ſpectatæ probitatis & induſtriæ
homines ſegregaſſe, qui ſacra adminiſtrarent, & reli-
quam multitudinem ſalutaribus documentis imbue-
rent. Ex quo fit, vt, qui res ab Eccleſia geſtas literarum Euſeb. lib. 3.
monumentis conſignarunt, ſcribant. Ignatium à Pe- cap. 35.
tro Antiochiæ Pontificem fuiſſe conſtitutũ, & Marcũ
Alexandriæ, & Clementem Romæ, & à Iohanne Po-
lycarpũ Smyrnæ, & à reliquis Apoſtolis Abdiam Ba-

biloniorum,quæ ſi quis velit plenius intelligere,is legat Euſebium,eius hiſtoriæ ſcriptorem,ad quem eum reijcimus. Qui ergò fuerunt ab Apoſtolis eo honoris gradu affecti, ij alios quoque elegerunt, quibus Eccleſias adminiſtrandas committerent: id quod ſequentibus ſæculis factum etiam eſt ab ijs, qui eorum locum tenuerunt. Neque vnquam ordinaria, & perpetua illa ſucceſsionis ſeries interrupta eſt in ijs Eccleſijs, quæ DEI beneficio ab iniurijs exterarum gentium incolumes fuerunt. Romanorum Eccleſia numerando recenſet omnes Epiſcopos, à quibus adminiſtrata eſt ab eo tempore,quo Petrum habuit Doctorem & Pontificem, vſque ad hanc ætatem, qua Paulus Quartus Pontifex Max. eo honoris gradu digniſsimus, eius gubernacula gerit. Si Antiochenſium, Hieroſolymorum, Alexandrinorum, Epheſiorum Eccleſiæ extarent,atq; aliæ,quas Apoſtoli diuinis legibus fundarunt, ſuam quoq; originem ita oſtenderent, vt ſacerdotum ſucceſsionem nunq̃; interpolatam fuiſſe demonſtrarẽt. Ac perpetuò quidem ita res habuit,vt cùm tot Eccleſias Apoſtoli inſtituerint,& earum pleræq; ferè ad hæc noſtra tempora viguerint,nemo tamen verus & legitimus Apoſtolicę doctrinę hæres & doctor habitus ſit, præterq̃; is,qui ab Apoſtolorũ ſucceſſoribus ad eã functionem vocatus & inſtitutus fuiſſet:reliquos, CHRISTI oues, Cane peius & angue oderunt,quòd eos non intrare per oſtium,qui CHRISTVS eſt,neq; ab eo mitti,ſed honorẽ ſibi ſumere,quod fieri prohibet ſcriptura,certò ſcirent:tantum abeſt, vt eos pro Epiſcopis,& legitimis Dei miniſtris agnouerunt. His ita conſtitutis,pium quemq; interrogo, num verũ Apoſtoli-

Qui Apoſtolis ſucceſſerũt, alios ſibi ſucceſſores crearunt.

Eccleſ. Rom. Epiſcopos omnes recenſet à Petro ad Paulum 4. Pont. Max.

Ioan. 10. Heb. 5.

cæ doctrinę hæredem fuiſſe putet Simonem Magum, *Ex ijs, quæ dicta ſunt, quæritur, quis ſit hæres Apoſtolorum.*
qui, cum non fuiſſet miſſus à CHRISTO, Euangelium
ſe tradere gloriabatur: An Timotheum, quem & miſ-
ſum fuiſſe & declaratum à Paulo Epiſcopum, cæleſtes *Simon Magus.*
literæ demonſtrant? Illud etiam quæro, num Marcion *Marcion.*
putandus ſit veræ doctrinæ hæres, qui neque ab Apo-
ſtolo aliquo ſucceſſor deſignatus, neq; ab aliquo Apo-
ſtolorum ſucceſſore ad docendi & ſacra tractandi mu-
nus eſt aſcitus: An Polycarpus, cui Iohannes Apoſto-
lus Smyrnenſis Eccleſiæ gubernationem demanda-
uit? Quis eſt adeo ab omni ſenſu & ratione communi
alienus, vt non videat Simonem, & Marcionem non
hæredes, ſed hoſtes doctrinę fuiſſe, Qui cum non eſſent
vocati, vltrò ſe ad docendi & ſacra tractandi, munus
ingererent, Timotheū verò & Polycarpum, legitimos
Dei miniſtros, & Apoſtolicæ veritatis hæredes, & cu-
ſtodes extitiſſe, qui & ordinati ab Apoſtolis fuiſſent,
& ad Epiſcopi dignitatem vocati. Quo verò indicio
& argumento deprehendimus, neq; Simonem Magū,
neque Marcionem fuiſſe veros doctrinæ Apoſtolicæ
hæredes? Non ſanè alio, quàm quòd palam ſit, eos
non ſolùm dogmata excogitaſſe, quæ cum doctrina
Apoſtolorum pugnarent, Sed id etiam munus vſur-
paſſe, ad quod exercendum, neq; ab Apoſtolis, neq; ab
aliquo, qui Apoſtolorum teneret locum, lecti vnquàm
fuiſſent. Qua ratione cognoſcimus, cæleſtis doctrinæ
hæreditatem ad Timotheum & Polycarpum pertine-
re? Haud profectò alia, quàm ea, qua certū fuit, ei (quam
tuerentur) prouincię ab Apoſtolis præpoſitos eos fuiſ-
ſe: & ea docuiſſe, quę cum doctrina Apoſtolorum con-
uenirent. Illud ergo fuit certum & perſpicuum indiciū,

Ordinaria, & legitima ſucceſſio certum indicium, quo heredes Apoſtolorũ ab eorum hoſtibus ſegregantur.

quo hæredes Apoſtolorum ab hoſtibus Euangelij dinoſcebantur, quòd illi quidem legitimè & vocarentur, & ſuccederent: hi contrà, nec vocati, nec vlli ſuccedentes, regendę Eccleſiæ & docendi munus vſurparent. Timotheus, & Polycarpus hæredes fuerunt doctrinæ Apoſtolorum, quia vocati, ordinati, & conſtituti erant Epiſcopi ab Apoſtolis, nec aliud docebant, q̃; id, quod ab Apoſtolis accepiſſent. Simon Magus, & Marciõ Corinthius, Valentinus, Baſilides, nõ hæredes & ſucceſſores, ſed hoſtes Apoſtolorũ iudicati ſunt, propterea, quòd neq; regendis Eccleſijs ab Apoſtolis præfecti eſſent, neq; ea traderent, quæ cũ doctrina Apoſtolorũ quadrarent.

Redit ad quæſtionem.

Iam, vt ad quęſtionẽ reuertatur oratio, ſi quæris noſtra ætate, qui ſint hæredes Apoſtolorum, quibus ſit tradita diſciplina, qua Chriſtiani fiũt, vt Tertulliani verbis vtar, conuerte oculos ad illud indicium, quo Maiores noſtri hæredes Apoſtolicæ doctrinæ ab eius hoſtibus ſecreuerunt: cogita, qui ſint aduerſarij noſtri. Si ordinati ſunt ab aliquo Apoſtolorũ ſucceſſore, nec vltro ipſi, nemine vocante, eam prouinciam inuaſerunt, nulla ſubeſt cauſa, quamobrem dubites, eos Apoſtolorũ hæredes eſſe. Sed ſi tibi compertũ fuerit, eos neq; vocatos fuiſſe neq; ordinatos, ſed vltrò, & cum nullus eſſet, qui eos vocaret, imò reluctantibus ijs, quorum erat officiũ, eos vocare & præficere, ad Eccleſiaſticas functiones intraſſe, certò ſtatuas oportet, eos non hæredes, ſed hoſtes eſſe cæleſtis doctrinæ.

Hæreticos huius temporis, ſicut & aliorum temporũ, nemo uocauit, neq; cuiquam ſucceſſerunt.

Age ergò, demonſtret Lutherus, ſe ab vno aliquo eorũ, qui legitimè Apoſtolis ſucceſſerit, conſtitutũ fuiſſe Epiſcopum, ſicuti conſtitutus eſt Timotheus à Paulo. Probet Philippus, ſe intraſſe per oſtium, ſicut intrauit Polycar-

pus

pus. Oſtendat Caluinus, ſe non aſſumpſiſſe ſibi hono-
rem Epiſcopi, ſed expectaſſe, vt vocaretur, ſicut fecit
Ignatius. Quis vnquam vocauit Lutherum? Quis Epi-
ſcopum deſignauit Philippum? Quis ad Eccleſiam re-
gendam aſciuit Caluinum? Ante mille & quadringen-
tos annos eſt illud in Eccleſia celebre & vſitatũ, vt, qui
ad Epiſcopatum vocati eſſent, à tribus Epiſcopis ordi-
narentur: ſicuti Canones Apoſtolici pręcipiunt, & Ni- Can. 1. Cap. 3.
cænum, ac Carthaginenſe quartum Concilium decla- Cap. 1.
rant. Quod ſuperiorum temporum hæretici vſq; adeo Cyprianus de ſimpl. prælat.
non contemnendum eſſe putarunt, vt ſuos etiam Anti-
ſtites à tribus Epiſcopis deſignari, & gradu dignitatis Auguſt. lib. 4
inſigniri curarit. Hoc ſe ritu & cõſtitutione ad Epiſco cont. Donati.
pi faſtigia aſcendiſſe demonſtrent Lutherus, Caluinus,
& Philippus. Nam ſi Paulus non habitus eſt Apoſto- Act. 13.
lus, antequam publico Eccleſiæ miniſterio eius voca-
tio eſſet patefacta, quis tam ſtupidus fuerit, vt Luthe-
rum, & eius commilitones Epiſcopos eſſe agnoſcat, ni-
ſi ab Eccleſia vocatos eſſe ſciat? Sed nullos habent Epi-
ſcopos, à quibus ſe ordinatos eſſe commonſtrent. Nam
ſimul atque gerere inimicos ànimos in Eccleſiam cæ-
perunt, ſtatim Epiſcopis, qui eum gubernabant, bellum
indixerunt. Prima militiæ ſuæ Tyrocinia in eos edi-
derunt, quòd ijs de medio ſublatis, atrocius ſe & liberi-
us in gregem graſſari poſſe ſperarent. Quid ergo? habe-
bimus eos pro Epiſcopis? ſed ne id fiat, prohibet ſcri- Hebr. 5.
ptura, quæ docet, eos pro Epiſcopis recipiendos, non
qui ſe, non vocati cùm ſint, ingerunt, & honorem ſibi
aſſumunt, ſed qui vocentur vt Aaron. Docet non de- Rom. 10.
bere quenq; prædicare, niſi qui mittatur. Docet duode-
cim Apoſtolos ad officium Epiſcopi ſubeundum antè

Ioan. ult.

non acceſsiſſe, quàm viſibili ſigno, & expreſſo mandato à CHRISTO mitterentur. Quid igitur? melior eſt

Si Apoſtolos non audiuiſſet Eccleſia, niſi eos à Chriſto miſſos eſſe cõſtaret, neq; hereticos recipi debere, quos patet nõ eſſe à quoquam legitimè miſſos.

Lutherus Apoſtolis? Abſit, vt id cogitare in mentē veniat. Si illos Eccleſia quæ Hieroſolymis eo tēpore erat, Apoſtolos eſſe negaſſet, niſi à CHRISTO ſolenni, & ſacro ritu Apoſtolos declaratos eſſe ſciuiſſet: nos Lutherū pro Apoſtolo agnoſcemus, quem ab Eccleſia miſſum non eſſe ſcimus? Si dicit ſe à Deo miſſum eſſe, nihil efficit. Nam Paulus etiam miſſus fuit à Deo, ſed

Non ſatis eſt à Deo tacitè uocari, niſi Eccleſiæ publicū ſuffragium, & ordinatio legitima ſequatur.

Act. 1.

ante non vſurpauit munus doctoris gentium, quàm teſtimonio Eccleſiæ deſignatus eſſet Apoſtolus. Et Mathias volente Deo, ſucceſsit Iudæ, ſed quo cum vocatū eſſe conſtaret, publicum Eccleſiæ ſuffragium acceſsit. Quid ergo? Si Apoſtolos non reciperemus, niſi palàm eſſet, eos à CHRISTO miſſos fuiſſe, ſi Paulo aures non pateſaceremus, niſi nobis conſtaret ipſius vocationem Eccleſiæ teſtimonio confirmatam eſſe, Lutherum, & eius æmulos audiemus, qui non poſſunt demonſtrare, ſe à quoquam eſſe vocatos? Eum nè miniſtrum Eccleſiæ eſſe credemus, qui contra CHRISTI voluntatem non expectauit, vt vocaretur? Abſit, vt, quod ne Apoſtolis quidem tribuimus, id ei, & ſui ordinis hominibus tribuendum eſſe ſtatuamus. Dicamus potius cum Tertulliano & Auguſtino, oſtendat ex qua authoritate prodierunt: edant origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum: reddant originē cathedræ ſuæ: confingant ſaltem aliquid de ſucceſsione legitima: demonſtrent à quibus acceperint Eccleſias, quarum adminiſtrationē vſurpant: prodant, qui ſint ij, quibus in eis ſucceſſerint: à quibus Epiſcopis ad eas gubernandas ſint electi: oſtendāt, quis fuerit primus, qui Epiſcopum

Lib. de praeſcript. aduerſ. heret.
Pſalm. cont. Donatiſt. & Epiſt. ad Generos.

ſcopum egerit vel Vuittembergæ, vel Geneuæ, vel Tiguri, vel Lipſiæ, antequam ipſi earum ſe vrbium Epiſcopos conſtituerent. Quamdiu non oſtenderint, vndè prodierint: quos habuerint Epiſcopos, quibus ſucceſſerint: à quibus Epiſcopis ordinati ſint: eos habemus in eorum numero, de quibus Cyprianus ad hunc modum verba facit: Hi ſunt, qui ſe vltrò apud temerarios, & cõuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine vlla lege ordinationis cõſtituunt: qui, nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi nomen aſſumunt. Apparet quis fuerit iſtorum hominum animus, cùm ſe vltrò ab Eccleſiæ corpore, & populi Dei ſocietate ſegregarunt: & ea officia, ad quæ vocati legitimè non fuerant, vſurparunt. Nam qui publicum Eccleſiæ munus adminiſtrare velit, eum vocandum eſſe, nec ante quenq; ad Eccleſię miniſterium admitti debere quàm ſit vocatus, non ſacræ tantùm literæ, ſed ipſorum etiam ſcripta demonſtrant, de quibus paulò poſt teſtimonia proferemus.

Hæc una ratio iugulat aduerſarios.

Lib. de ſimpl. prel.

Sed dicet Lutherus, ſe eſſe vocatum, & id certum atque exploratum habere. Nam in ijs commentarijs, quos ſcripſit in Epiſtolam ad Galatas, de ſua vocatione ad hunc modum verba facit: Cum autem Princeps, ſeu alius Magiſtratus me vocat, tum certò & cum fiducia gloriari poſſum contra Diabolum, & hoſtes Euangelij, quod mandante Deo, per vocem hominis vocatus ſim. Eſt enim ibi mandatum Dei per os Principis, quod me certũ reddit, vocationem meã eſſe diuinã. Sumus igitur & nos diuina authoritate vocati, non quidem immeditatè à CHRISTO, vt Apoſtoli, ſed per hominem. Hactenus ille. Ex cuius verbis facilè

Quòd Lutherus falſò ſe eſſe uocatum iactet.

In 1. cap. com. ed. an. 38. tom. 4.

perſpicis eum de hoc gloriari, quòd à Duce Saxoniæ ſit ad prædicandum Euangelium ſuum vocatus. Ac poſſemus nos dicere falſum eſſe, quòd à Principe ſuo vocatus initio fuerit, cum in hanc ſe Tragœdiam præcipitaſſet. Nam vel teſte Sleidano, qui alterius partis alumnus fuit, ſatis conſtat, Lutherum, poſteaquam à Cæſare proſcriptus eſſet, & alicubi latitaſſet, iniuſſu & ſine vlla voluntate Principis VVittembergam reuertiſſe, & docendi munus vſurpaſſe. Sed & eo tempore, quo auſus eſt contra Apoſtolicas condonationes ſacrilegum os aperire, nihil ea de re Princeps ei iuſſerat. Sed eſto. Demus hoc Luthero, vt à Principe & Magiſtratu vocatus ſit, nunquid propterea hæc vocatio legitima & ritè facta eſt? Num ideò conſequens eſt, eum legitimè vocatum fuiſſe? Nam, vt teſtimonijs ſcripturarum contra eum agamus, qui præter ſcripturas nihil admittit, vbi nam ſcriptum eſt, Eccleſiæ miniſtros à Principe, aut Magiſtratu vocari debere? Quod nam ea de re extat verbum in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum, ſine quorum expreſsis oraculis nihil ſe facere iſti Euangelici tam aſſeueranter iactant? Quòd Deus CHRISTVM, quòd CHRISTVS Apoſtolos, quòd Apoſtoli Timotheum & Titum, Eccleſiæ gubernandæ præfecerint, id ſanctæ literę tradunt. Quòd verò Principes, Eccleſiæ miniſtros cōſtituere poſsint, id ſanè nuſquā in ſacris literis legimus. Quòd ſpiritus ſanctus Epiſcopos deſignarit, ut Dei Eccleſiā regerēt, & ſuā atq; vniuerſi gregis ſalutē procurarēt, ex cęleſtibus ſcriptis intelligit. Quòd verò Prīcipib. ad Eccleſiam moderandā poteſtas aliqua à Deo tributa ſit, id nuſquā certè ſcriptum eſt. Quid ergo eſt, quòd iſti gloriantur,

Comment. lib. 2.

Falſum eſt, quod initio Lutherus à Principe ſit uocatus.

Nuſquam extat in ſacris literis ſcriptū, quòd Princeps aut magiſtratus poſsit Eccleſ. miniſtros uocare.

Math. 3. Mar. 1. Matth 10. Mar. 3. Luc. 6. 1. Tim. 4 & 2. 5. Tit. 1. Act. 20.

gloriantur, ſe legitimè vocatos eſſe, cùm non ſint ab ijs vocati, quibus DEVS Eccleſiæ gubernacula commiſit? Quæ Impudentia eſt iſta Lutheri, vt non vereatur dicere, diuina ſe authoritate adſcitum eſſe, & in ea mandatum DEI loquentis per os Principis intercesſiſſe, cum ne vna quidem ſyllaba in ſanctis libris ſit, quæ eam Principi, aut Magiſtratui facultatem tribuat, qua Eccleſiæ miniſtros eligat? In omni domo & familia illud ſeruatur, vt nemo officio aliquo fungatur, niſi id ei ſit ab eo, qui paterfamiliâs eſt, aſsignatum. Cùm verò Eccleſia ſit domus DEI, nonnè ea quoque ſuos Patresfamiliâs habebit? Habebit quidem certè. Atque hi quidem fuerunt olim Apoſtoli, quibus CHRISTVS, poſteaquàm ad vitam redijt, poteſtatem fecit remittendi peccata, adminiſtrandi Sacramenta, & Eccleſiam regendi. Ab eo autem tempore, quo Apoſtoli ad Chriſtũ migrarũt, vt cum illo, æuo ſempiterno fruerentur, nunquid Eccleſiam ſuam CHRISTVS deſeruit? Aut nullos conſtituit, qui in ea Apoſtolorum vices gererent, & eſſent domus ipſius patres? Abſit, vt ea cogitatio in Chriſtiani hominis animum cadat. Reliquit ergo tales CHRISTVS Eccleſiæ regendæ, de quibus dici illud poſſet, quod eſt apud Prophetam: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.

Simile aptum.

1. Timoth. 3.

Eccleſiæ patresfamiliâs primi Apoſtoli fuerunt.

Pſalm. 44.

Qui verò ij erunt alij, quàm illi, quos Apoſtoli, & officij & dignitatis eius, qua ipſi à Chriſto ornati fuerant, ſucceſſores declararunt. Qui aũt hi fuerunt? Si Principes, Lutherus triũphat. Sed ſcriptura apertè cõfirmat, qui Apoſtolis ſucceſſerũt, nõ principes, ſed Epiſ: fuiſſe.

Qui Apoſtolis legitimè ſucceſſerunt, ij ſunt Eccleſiæ patres & rectores.

Apertè

Epiſcopi, non Principes Apoſtolis ſucceſſerunt.
Act. 2.
Tit. 1.
1. Tim. 5.

Apertè (inquā) tradit, Epiſcopis Apoſtolorū præcepiſſe, vt attenderent ſibi & vniuerſo gregi: Palā affirmat, ſpiritum ſanctum conſtituiſſe Epiſcopos, vt Dei Eccleſiam gubernarent: Diſertè demōſtrat, id Epiſcopis munus ab apoſtolis aſsignatū eſſe, vt in ciuitatibus Epiſcopos & presbyteros conſtituerent: Non obſcurè prodit, Epiſcopis dixiſſe Apoſtolos, ne cui manus citò imponerent, ne aliorum peccatis implicarentur. Cęterum de Principibus verbū nullū. Falſum ergò eſt, quod Lutherus ait, ſe mandato Dei, qui per os Principis loqueretur, ad apoſtolicū officiū delectum fuiſſe. Si principū partes hæ fuiſſent, vt ipſi, quos vellent, Eccleſijs præficerent, neglecta ea poteſtate, quam Epiſcopi à CHRISTO per Apoſtolos acceperunt, haud ſanè id latuiſſet maximos ac pijſsimos illos heroas Conſtantinum & Theodoſiū, atq; alios immortali memoria dignos Cæſares, quibus Eccleſia Chriſti & vera religione, nihil charius vnquā fuit. Voluit temerarius ille, & Conſtantino patre indignus filius Conſtantius contrà ac traditio Eccleſia obſeruarat, Epiſcopos & Eccleſiæ rectores conſtituere. Sed audiuit ab ijs, qui Epiſcopi munus verè adminiſtrarūt, Hoſio videlicet & Liberio, hæc verba q̄ ſequuntur: Vbi ille canon, vt è palatio mittatur is, qui Epiſcopus ,, futurus eſt? aut, quod genus Canonis, quo licitum eſt ,, militibus Eccleſias inuadere? Verùm nec Conſtantius Cæſar (quamuis hæreticorum fraudibus eſſet demētatus) vſq; adeo ſui oblitus fuit, vt non intelligeret, ſe abſq; Epiſcoporum conſenſu regendis Eccleſijs præponere alios non poſſe. Id quod verum eſſe indicat hiſtoria, cuius verba libuit hîc adſcribere: Conſtantius (inquit Rufinus) ſimulata benignitate vltrò venire ad ſe Athanaſium

Si Principum tanta fuiſſet in Eccleſia poteſtas, quantam eſſe uolunt aduerſarij, eam pij Cæſares uſurpaſſent.

Conſtantius.

Atha. in Epi. ad ſolitariam uitam agētes.

Hiſt. Eccleſiaſti. lib. 1. cap. 19.

naſium iubet,& leui increpatione perſtrictum, ad Ec-
cleſiam ſuam permittit ſecurum ire. Admonitus ta- ,,
men Imperator ab impijs conſiliarijs: Non eſt, inquit, ,,
magnũ Athanaſi, quod Epiſcopi poſcũt de te, vt vnam ,,
ex multis,quæ ſunt apud Alexandriam, Eccleſijs,con- ,,
cedas populis eorũ,qui tibi communicare nolunt. Tum
ille, Deo ſibi ſuggerente, paratũ in tempore conſilium
reperit: Et quid eſt, inquit, Imperator, quod poſcenti ,,
tibi liceat denegari,qui poteſtatem omnium habes iu- ,,
bendi? Sed vnũ eſt quod oro, vt meam quoq; petitiun- ,,
culam libenter admittas. Cumq; ſe omnia,quæ vellet, ,,
quamuis eſſent difficilia,promitteret præſtaturũ,ſi hoc ,,
vnũ cederet libẽs: ait Athanaſius: hoc eſt quod rogo,vt ,,
quia etiã hîc (nam apud Antiochiã res agebatur) ſunt ,,
noſtri populi,qui iſtis cõmunicare nolunt,vnam eis te- ,,
nere concedas Eccleſiã. Æquiſsimũ ſibi videri, & val- ,,
dè præſtandum lætus ſpopondit Imperator. Sed cũ rem
detuliſſet ad eos, quorum conſilijs vtebatur, neq; ibi ſe
velle accipere Eccleſiã,neq; hîc dare reſpõdent. Quod
ſi ille ſuæ poteſtatis eſſe perſuaſus fuiſſet Eccleſiã con-
dere,eiq; paſtorẽ præficere, quis non videt, eò ſe tantũ
Imperatorem dimiſſurũ non fuiſſe, vt id ab Athanaſio
poſtularet? Sed & illud nõ minus immortali memoriæ
conſecrandũ eſt, quod ij, qui Alexandriæ Catholicã fi-
dẽ amplectabantur, cũ intelligerent, Cõſtantiũ ſuaſu
partis aduerſę alium creare Epiſcopum velle, quia id ad
eum non pertinere intelligerent, ad Maximũ Aegypti
præfectũ in hunc modum literas dederũt: Quòd ſi edi-
ctum Principis eſt, vt perſecutio in nos fieret, parati ſu-
mus oẽs ad Martyriũ ſubeundũ: ſin minus, oramus prę- ,,
fectũ Aegypti Maximum, cæteroſq; magiſtratus, vt à ,,

Hiſtoria nota tu digniſsima.

Prudentiſsima Athanaſij reſponſio.

Impij conſiliarij qualia aliquando principibus perſuadeant.

Pia Alexandrinorum reluctatio Catholicis populis imitanda.

principe

,, principe poſtulent, ne talia in poſterum committantur, ,, obſecramuſq;, vt noſtræ iſtæ preces ad eum perueniāt, ,, vt obtineamus, ne illis liberum fiat, alium Epiſcopum ,, introducere, quod ne fieret, vſq; ad mortem reſtitimus, ,, Athanaſium reuerendiſsimum deſiderantes, quem De- ,, us ab initio nobis dedit ſecundum ſucceſsionem patrum ,, noſtrorum, quem ipſe Cōſtantius, religioſiſsimus Au- ,, guſtus, cum literis, iuramentiſq; huc miſit: Confidi- ,, mus enim, ſi eius pietas ita reſciuerit, eum, rem iſtam ,, indignè laturum, & nihil contra iusiurandum ſuum fa- ,, cturum eſſe, ſed iuſſurum, vt Epiſcopus Athanaſius no- ,, biſcum maneat. Verùm, quid ego immorer nunc in eo, quòd Conſtantius id à ſuo officio alienum eſſe nouerit? Vel eorum literis, qui in noſtram religionem inimicos animos geſſerunt, conſtat, quæ de Athanaſio, & dignitate priuando, & in exilium mittendo ſynodus Arrianorum ſtatuerat, ea Conſtantium rata non fore arbitratum, niſi Romanæ vrbis Epiſcopi ſuffragio firmarentur? Sed neq; Iulius eius nominis primus Pontifex tacuit hoc, quòd miniſtros, & Epiſcopos creare, & in ſede ac faſtigio Epiſcopatus locare, ac pro Epiſcopis habere, non ad Principes, ſed ad eius Eccleſiæ, cui ipſe præeſſet, præſulem pertineret. Ita enim alloquitur ,, quoſdam, quorum ipſe literis compellatus fuerat: Cum igitur iſtiuſmodi allegarentur, & tot teſtes pro Athanaſio ſtarent, & ipſe tam iuſta pro ſe adferret, quid (quæſo) nos oportuit facere? an non, quod Eccleſiaſtici Canonis eſt? hominemq; proinde non condemnaremus, ,, ſed potius reciperemus? eumq; pro Epiſcopo, quemad- ,, modum eſt, haberemus? Et paulò pòſt: Vbi enim eſt ,, iſtiuſmodi Eccleſiaſticus Canon, aut iſtiuſmodi traditio

Ammianus Marcell. lib 15

Athan. Apol. 2.

Conſtituere Epiſcopos, & eos pro Epiſcopis habere, ad Epiſcopum Romanum ſpectat.

tio Apoſtolica? vt in pace agente Eccleſia, & Epiſco- »
pis concordibus,cum Epiſcopo Alexandriæ Athana- »
ſio immittere Gregorium peregrinum, & exterum »
hominem, neq; Alexandriæ baptizatum, neq; plebi »
cognitum,neq; poſtulatum à presbyteris, eumq; An- »
tiochiæ creare Epiſcopum,atq; inde deducere Alexan- »
driam,non cum presbyteris, aut diaconis ciuitatis, non »
cum Epiſcopis Ægypti,ſed cum militibus? Sed & Va- *Valens.*
lens ille impius,qui Eccleſiam CHRISTI graui-
bus incommodis afflixit, cum virum quendam pietate
& doctrina clarum de Eccleſiæ gubernaculis amoue- *Sozomenes Hiſt.Eccl.*
re,atq; alium ſuæ factionis hominem ei præficere vel- *lib.6.cap.17.*
let, eius præfectus,per quem res gerebatur, ita repre-
henſus eſt: Nunquid Princeps tuus ſimul cum imperio
factus eſt Epiſcopus? Adeò nouum & inuſitatum eo
tempore viſum eſt, vt Princeps qui eſſet, is aliquid ſibi
poteſtatis in Eccleſiam vendicaret. Intellexerunt ſci-
licet pij ac religioſi Imperatores, ſe in Chriſtianorum
populo eum tenere locum,vt filij eſſent Eccleſiæ, non
Rectores. Et vt præclarè Theodoſio dixit Ambroſi- *Theodoret.*
us,purpuram facere Imperatores,nõ Sacerdotes. Nam *lib.5.hiſt. Eccle.cap.18.*
Cõſtantinus Sacerdotum ſententias & decreta ita ve- *Conſtantini pietas.*
neratus eſt,quaſi ea à viuo CHRISTI ore eſſent la- *Ruff. hiſt.*
ta,tantum abeſt, vt quicquam contra Eccleſiæ Cano- *Eccleſ.lib.1.*
nes molitus vnquam ſit. Valentinianus verò,cum Epi- *cap.5.*
ſcopi quidam ab eo poſtularent, vt intereſſet Concilio,
in quo de dogmate quodam agendum erat, non ſolùm
Eccleſiaſticã poteſtatẽ violare auſus non eſt,ſed apertè *Sozom.hiſt.*
etiam reſpondit,ſibi,cum minimus eſſet de populo,fas *Eccl.6.cap.7*
non eſſe talia perſcrutari: ſacerdotum eam curam eſſe,
& vbicunq; liberet,licere eis cõuenire. Quid de Theo-

T doſio

Theodoſij ſenioris pietas. doſio dicam? an non is dignitatem & poteſtatem, quam vſq; ad ipſius tempora Eccleſia habuiſſet, tanta veneratione proſecutus eſt, vt lege ſáxerit, ne quis eorum, qui Romano imperio ſubiectus eſſet, aliam religionem amplecteretur, quàm eam, quæ Damaſi Pontificis *Aug. de ciuit. Dei, lib. 5. cap. 26.* Maximi authoritate comprobata eſſet? Nónne idem Eccleſiæ authoritatem tanta reuerentia & veneratione proſecutus eſt, vt publicè profeſſus ſit, potius ſibi eſſe inter Eccleſiæ membra locum habere, quàm totius orbis terrarum imperium tenere? *Theodoſius iunior. Euag lib. 2. cap. 4.* Quid Theodoſius iunior? Nónne palàm fatetur illicitum eſſe, eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſsimorum Epiſcoporum, *Martianus.* Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus? Sed & Martianus Cæſar, cuius mira autoritas & ſanctitas fuit, nónne coram Epiſcoporum Còncilio teſtatur, ſe non veniſſe, vt de ijs, quæ ad Eccleſiaſticā poteſtatem attinent, quicquam ſtatueret, quòd ſui id iuris non eſſe ſciret, ſed vt authoritate ſua imperiali caueret, vt, quæ ſynodus ſtatuiſſet, ea rata haberentur, & religioſè ab *Hæc ex libris Conciliorum cognoſci poſſunt.* omnibus ſeruarentur? De Iuſtiniano & Conſtantino, quorum temporibus concilium Conſtantinopoli bis habitum eſt, nihil attinet dicere, quando alter *Iuſtinianus. Conſtantinus.* in ea Epiſtola, quam ad ſynodum mittit, nihil de Eccleſiaſtica poteſtate ſibi aſſumit, ſed, quæ ea decreuerit, executurum ſe eſſe demonſtrat: alter ſe nihil aliud cupere, quàm vt in Concilio omnia, vt par eſt, fiant, declarat. Quinetiam Irene, & eius filius Conſtantinus, quorum auſpicijs ſecunda Nicæna Synodus, quæ generalis ſeptima dicitur, congregata eſt, aliud non curarunt, quàm vt Epiſcopis liberum & tutum eſſet, quæ ad religionis cauſam ſpectarent, tractare.

Baſilius

Baſilius quoque Imperator, cuius ætate Conſtantinopoli quarta habita eſt ſynodus, quam octauam nuncupamus, diſerta oratione profeſſus eſt, ſe eum eſſe, qui cum reliqua multitudine paſcendus eſſet ab ijs, qui Eccleſiaſticas, & cœleſtes claues accepiſſent. Quid ad hæc aduerſarij dicent? Nonne ij ſancti ac pij Principes, ſi officij ſui eſſe intellexiſſent, quos libitum eſſet miniſtros gubernandis Eccleſijs præficere, eiſq; ad eas regendas poteſtatem tradere, id diligenter procuraſſent, & ſi res poſtulaſſet, in Concilijs, quibus ipſi interfuerunt, cum Epiſcopis de eo egiſſent, ſuaſq; partes ſibi ſaluas & incolumes ſeruari petijſſent? An expectabatur aliquis noſtri temporis, qui id Chriſtianorum omnium Principum primus, & agnoſceret & faceret? Aut aliquis Lutherus, qui ex toto Eccleſiaſticorum cœtu primus officij ſui Principes admoneret? Errarunt ergo Hoſius, Liberius, & Ambroſius, qui non ſolùm de ea poteſtate Imperatores non docuerunt, ſed fortiter & conſtanter etiam ſe eis obiecerunt, quòd canonis Eccleſiaſtici limites præteriri ab eis putarent. Sed Lutherus, quàm illi potius errat, & decipitur fœdiſsimè, qui Principibus id concedit, quòd nulla diuina ſcripta, nulla Patrum ac Maiorum decreta, nullæ Conciliorum ſanctiones vſque ad hæc noſtra tempora conceſſerunt. Sed facilè apparet, cuius inſtinctu hæc faciat Lutherus, Diaboli ſcilicet, qui in eo, quod vel maximum religionis noſtræ caput eſt, & in quo noſtra omnium ſita eſt ſalus, ſimiles nos barbaris nationibus, & à Dei cultu alienis eſſe vellet, apud quos Sacerdotes Principum, vel Magi-

Baſilij Cæſaris piiſsima oratio

Lutherus ex Chriſtianis gentiles effiçere voluit.

7. Politic. cap. 8.

ſtratus ſuffragijs creantur, ſicuti ex Ariſtotelis, & aliorum ſcriptis colligitur.

Neq; Magiſtratus partes eſſe Eccleſijs miniſtros præficere.

Ac quod de Principibus hactenus dictum eſt, idem de Magiſtratu intelligi volumus. Neq; enim magis licet magiſtratui quàm Principibus quoſcunq; homines deligere, & in Magiſtros, ac Doctores ſibi cooptare, ſine vllo eorum conſenſu, qui in Eccleſia Chriſti Epiſcoporum partes gerunt. Quibus enim ea poteſtas à Chriſto data eſt, plebi ne, an Apoſtolis? Certè quamuis plures eſſent Hieroſolymis, qui non obſcuro loco nati, Chriſtianam pietatem amplecterentur, quales fuêre Nicodemus, & Ioſephus ab Arimathia, tamen ſolos delegit Chriſtus Apoſtolos, quibus eam poteſtatem tribueret. Solis tantùm Apoſtolis dixit: Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. Quibus ex verbis Alexander Apoſtolorũ diſcipulus, et Fabianus vterq; Pontifex et Martyr, Cyprianus prçterea et Athanaſius eam Apoſtolis, & ijs, qui eis ſucceſſerunt, poteſtatẽ tributã fuiſſe colligunt, qua ea adminiſtrare poſſent, quç ad Eccleſiã pertinerẽt. Solis (inquam) Apoſtolis dixit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Eis duntaxat inſufflauit, & dixit: Accipite ſpiritũ ſanctũ, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt. Quæ Chriſti verba, ſancti omnes (Maiores noſtri) ita intelligẽda eſſe docuerũt, vt ex eis efficeretur, Apoſtolos, & eorũ ſucceſſores Chriſtum eo munere affeciſſe, quo & Eccleſiam pabulo cœleſtis verbi inſtruere, & in ea ius dicere, ac principem locum tenere poſſent. Eorũ è numero vnum tibi nunc Ambroſiũ adducam, qui

Matth. 18.

Ioan. ult.

de eo

de eo Euangelij loco ad hunc modum ſcribit: Munus, inquit, ſpiritus ſancti, officium Sacerdotis eſt, ius autem in ſoluendis, ligandiſq; criminibus ſpiritus ſancti eſt. Atque etiam idem Diuus Ambroſius Sacerdotes Apoſtolis comparat, qui, iubēte Domino, Lazarum ad vitam reuocatum ſoluerent. Vides iam his ex verbis, poteſtatem, qua myſticum CHRISTI corpus, quod Eccleſia eſt, regitur, & à peccatis purgatur, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus datam fuiſſe. Iam verum CHRISTI corpus, quod Euchariſtia continet, à quibus confici poſsit, ex CHRISTI verbis intelliges, qui nulli mortalium præterquam Apoſtolis dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Cum ergò duplex hoc poteſtatis genus, quod in myſticum & verum CHRISTI corpus, Sacerdos obtinet, transfundendum in eum ſit, qui Sacerdos Epiſcopuſúe efficitur, quis non videt, transfundi id à plebe non poſſe, quando illud neque à CHRISTO, neq; ab Apoſtolis, ſicuti demonſtratum eſt, accepit? Qui ergò alij impertiri id Eccleſiæ miniſtris poterunt, quàm ij, quibus id iuris & poteſtatis Apoſtoli communicarunt, vt eorum, qui Eccleſiam gubernarent, ordo & ſucceſsio perpetuis ſæculorum ætatibus vigeret? Nimirum Epiſcopi & Eccleſiæ Principes, quales fuêre Timotheus, Titus, Clemens, Dionyſius, Ignatius, Polycarpus, & alij ſanctitate & doctrina admirabiles, quos Apoſtoli in eo dignitatis gradu locarunt, quem ipſi à CHRISTO obtinuerant. Si ad plebem ſpectaſſet, Sacerdotes creare, & Epiſcopos Eccleſijs præponere, nónne Paulus in eo peccaſſet, quod & ipſe

De pœnit. lib. 1. cap. 1.

Lib. 2. cap 3.
Ioan. 11.

Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Chriſtus duplicem poteſtatem tribuit, una eſt, qua myſticū ipſius corpus regunt, altera, qua verū ipſius corpus conficiūt.

Luc. 22.
1. Cor. 11.

Duplicem hāc poteſtatē qui poſsint in alios transfundere.

1. Tim. 5. Epheſi, & Cretæ Timotheum & Titum præfeciſſet, &
Tit. 1. alios pręficiendi munus Timotheo & Tito credidiſſet.
Nónne illi quoque, Timotheus ſcilicet & Titus, graui
ſe ſcelere obligaſſent, quòd presbyteros & Epiſcopos
per ciuitates & oppida conſtituiſſent? Nónne idem
ipſi Paulus & Barnabas, graui ſe flagitio adſtrinxiſſent,
quòd Eccleſijs presbyteros præfeciſſent? Quid Eccle-
ſia Antiochena? Nónne ea quoque turpiter deliquiſ-
Act. 13. ſet, quod plebis officium vſurpaſſet, & Paulum ac Bar-
nabã, impoſitis manibus, Apoſtolos declaraſſet? Quid
de ſpiritu ſancto dicam? Si plebi à CHRISTO hoc of-
ficium traditum eſſet, vt Eccleſiæ rectores deſignaret,
nónne malè feciſſe dicendus eſſet ſpiritus ſanctus, qui
non plebi, ſed Prophetis & doctoribus, qui tum Antio-
chiæ Eccleſiæ præerant, iuſſerit, vt Paulum & Barna-
bam ſibi ſegregarent ad id munus, ad quod ipſe eos aſ-
ſumpſiſſet? Sed auertat Deus opt: Max: vt talia ſu-
ſpicari in mentem veniant de ſpiritu illo, quem ideo
Iom. 16. ad nós miſit CHRISTVS, vt nos omnem doceret
Act. 13. veritatem: & de illa Eccleſia, quæ Chriſtianæ religio-
nis primitias tulit, & in qua, qui CHRISTI nomen
Quàm impia colerent, Chriſtiani primùm nuncupati ſunt. Atqui
ſequantur ex hæc tam horrenda ſequentur, ſi cum iſtis Eccleſiæ ho-
ſententia ad- *uerſariorum.* ſtibus dicamus, licere magiſtratui, vt, quoſcunq; viſum
fuerit, doctores & miniſtros eligat. Quicquid Luthe-
rani dicant & comminiſcantur, ij, qui Apoſtolorum
Lib. 1. cap. 2. dignitati & gratiæ, vt Damaſcenus ait, ſucceſſerunt,
de fid. orthod. Epiſcopos nobis, & Eccleſiæ miniſtros, & dederunt
hactenus, & dabunt in poſterum: nempe Epiſcopi, qui
in Eccleſia Apoſtolorum filij, & patres noſtri ſunt, id
quod

quod pulchrè innuit Auguſtinus, cùm Pſalmũ quendã
enarrans, ait: Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis
filij nati ſunt tibi, conſtituti Epiſcopi. Hodiè enim Epi- ,,
ſcopi vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia patres ipſos appellat, ,,
ipſa illos genuit, ipſa illos inſtituit in ſedibus patrum. ,,
Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrũ, quia ,,
non vides Paulũ, quia non vides illos, per quos nata eſt. ,,
De prole tua tibi ſuccreuit paternitas, pro patribus nati ,,
ſnnt tibi filij, cõſtitues eos Principes ſuper omnem ter- ,,
ram. Vides quorũ ſoboles Epiſcopi ſint? non certè ple-
bis, ſed Apoſtolorum. Eorum ergo, quos nobis Apo-
ſtoli patres reliquerunt, officium eſt, inſtituere & crea-
re Eccleſiæ adminiſtros. Epiſcoporum id propriũ eſt,
quos meritò ex Maioribus noſtris quidam Patres pa-
trum, alij Eccleſiæ oculos, alij legiſlatores, & capita
Chriſtianę religionis nuncuparunt. Quòd verò id pro-
priè ad Epiſcoporum functionem ſpectet, ne Caluinus
quidem auſus eſt negare, licet ita ea de re ſcribat, vt eius
oratione Eccleſiæ CHRISTI inſidias intentari fa-
cilè intelligas.

Concione in Pſalm. 44.

Soboles Epiſcoporum unde orta ſit.

Epiph. hæreſ. 75. Auguſt. in Pſalm. 87. Nazianz. orat. 6.

Inſtit. Chriſt. cap 8. Parag. 49.

Sed ſcio non defuturos eſſe, qui nobis illud obij-
ciant, ex ijs, qui ſe à CHRISTI grege extrane-
os fecerunt, quòd Mathias Apoſtolus, & Diaconi,
non ab Apoſtolis ſolùm, ſed à reliquo etiam Chriſtia-
norum populo electi ſint, & Diuus Cyprianus inde
colligat, Sacerdotis electionem à populo fieri debere,
quod & Beati quoque Leonis ætate factum dicunt.
Ad hanc obiectionem facilè reſpondebit, quiſquis
animaduertat, quid olim populus in eligendo Epi-
ſcopo iuris habuerit, qui planè intelliget, nihil aliud

Quid olim datum populo, cum eligeretur Epiſcopus.

Epiſt. 4. lib. 1.

in hac parte ab Eccleſiæ miniſtris & rectoribus populo datum fuiſſe, quàm vt Sacerdos plebe præſente (vt Cyprianus ait) ſub oculis omnium deligeretur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio

Hom. 6. in Leuit. comprobaretur, &, ſicut ſcriptum eſt ab Origene, ideo
,, requiritur in ordinando Sacerdote & præſentia po-
,, puli, vt ſciant omnes & certi ſint, quia qui præſtan-
,, tior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior,
,, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad ſacer-
,, dotium, & id aſtante populo, ne aliqua poſtmodum
,, retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus, reſideret. Neque id eiuſdem Origenis teſtimonio alienum eſt ab Apoſtoli ſententia, qui ait conuenire, vt qui Epiſcopus creandus ſit, huic populus (ij enim ſunt, quos foris eſſe ait Paulus, quia cum Eccleſiæ adminiſtratione nihil habent commune) probitatis, morum, & vitæ inculpatæ teſtimonium perhibeat. Atque ex eo, dubio procul, mos ille ad Chriſtianos promanauit, quem ſuo tempore ſeruatum fuiſſe ſcribit Lampridius, ſcriptor à noſtra religione alienus, vt, qui Eccleſię præficiendi eſſent, eorum nomina prius proponerentur palàm, & moneretur populus, vt ſi quid contra eum, cuius fidei Eccleſiæ gubernatio crederetur, haberet, id in medium proferret. Atque etiam idem hodiè, ſi non omninò, certè aliqua ex parte ſeruatur. Nam & Diaconus, & Sacerdos, & Epiſcopus ad regimen Eccleſiæ cùm aſcitur, vocari ſolet populus, & eo præſente declarari, quò electio non ſolum populi ſuffragio comprobetur, ſed vt multò etiam libentius ei obſequatur multitudo, quem ſuo quoq; calculo in eam dignita-

1. Tim. 3.

In vita Alexand.

Athanaſ. ad Conſtantium. Vide Ruff. de Sacerd. congreſ.

dignitatem euectũ fuiſſe ſciat. Sed quid hîc ſibi aſſumpſit populus, aut Magiſtratus? Nunquid quenquam ſuo arbitrio elegit aut conſtituit, quod pleriq; eorũ in Germania faciunt, qui ſe à nobis ſegregarũt? Aderat plebs, & magiſtratus (ſemper enim ea populi potior pars fuit) indicabat, quem magis dignum & idoneum ad Epiſcopatũ eſſe putaret, & ſibi præfici oportet. Si quid itẽ ſciret, de quo is reprehendi poſſet, liberè retegebat. Sed quis eligebat? Electionis vis & poteſtas penes quẽ erat? Certè populus neminem vnquam elegit, ſed vel Epiſcopus, quem Metropolitanũ vetus Eccleſia vocauit, cum alijs, qui in eadem prouincia Epiſcopi officio fungerentur: vel Sacerdotum collegium. Quod quidem planum faciunt Concilia peruetuſta, quę prohibent, ne Epiſcopi electio fiat, nisi ab ijs Epiſcopis, quos nominaui. Et Anacletus ac Leo Pontifices, quorũ alter ait: Porrò Hieroſolymorum primus Archiepiſcopus beatus Iacobus, qui & Iuſtus dicebatur, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus, Succeſſoribus videlicet dando formam eorum, vt non minus quàm à tribus Epiſcopis, reliquis prouincialibus aſſenſum præbentibus, nullatenus Epiſcopus ordinetur. Alter verò ad hunc modum ſcribit: Vota ciuiũ, teſtimonia populorũ, honoratorũ arbitrium, electio Clericorũ in ordinationibus Sacerdotum conſtituatur. Relinquitur ergo, electionem Epiſcoporum & miniſtrorum Eccleſiæ ad eos, qui ipſius gubernacula teneãt, pertinere, atq; inprimis ad ſummum Chriſti Vicarium, Romanum Pontificem: niſi fortè ipſius ſanctitas, peculiari quadã prærogatiua, vel Principi, vel populo id conceſſerit,

Cõcil. Laodic. can. 12.

In Epiſt. ad vniuerſ. Epiſcop. per Italiam. epiſt. 87

ſerit,

Nominare miniſtros Eccleſiæ quomodo Principibus et plebi liceat.

ſerit, vt vel Epiſcopum, vel Sacerdotem nominent. Id quod facit Ferdinandus Cæſar inuictiſsimus in ijs ferè omnibus Prouincijs, quas à Maioribus hæreditatis iure accepit, & Catholicus Hiſpaniarum Rex, atque alij complures Principes. Sed quid hi tandem faciunt? Nominant, quem Epiſcopatui aut Sacerdotio regendo idoneum eſſe iudicent: vt tamen nominatio (quæ vulgò præſentatio dici ſolet) rata habeatur, & qui nominatus eſt, is vel Epiſcopus conſtituatur, vel alicui ſacerdotio pręficiatur, ſolenniq; ritu & cæremonia conſecretur, à Pont. maximi, vel aliorum Epiſcoporum, qui presbyteros conſtituere poſſunt, arbitrio pendet. Atque ea quidem ratione permiſſum olim eſt ijs, qui Romanorum imperio potirentur, vt eligerent Romanum Pontificem, ſedem Apoſtolicam adminiſtrarent, & Epiſcopos crearent, qui poſtea ijs cæremonijs, quas Eccleſia inſtituit, ab Epiſcopo authorarentur, & Eccleſiæ in ſeruitutem addicerentur.

Etſi aliquando fuiſſet conceſſum Magiſtratui, & plebi, ut ſibi crearet paſtores, nunc tamen ideo permitti non debere.

Sed fuerit illud, quòd aduerſarij volunt (quod quidem longè falſiſsimum eſt) fuerit tamen aliquando multitudini hoc datum, vt ea ſibi Epiſcopum & Sacerdotem deligeret, quid inde conſequetur? Num ideo ætate noſtra id debet fieri, quia aliquando factum conſtet? Quàm multa priſcis temporibus liquet in more fuiſſe, quæ poſtea iuſtis de cauſis mutata ſunt? Olim, vel Apoſtolorum decreto, ſcimus illud ſtatutum, vt abſtineretur à ſanguine & ſuffocato, & ijs, quæ ſimulachris immolata eſſent. Chriſtus cum cænaret, Euchariſtia Apoſtolos recreauit. Vbi nunc Chriſtianos reperias, qui vel abſtineant à ſanguine & ſuffocato: vel

Act. 15. Matth 26. Marc. 14. Luc. 22.

CHRISTI corpus in cœna percipiant, niſi fortè *Aug. epiſt. 61.*
Chriſtianorum nomine digneris eos, qui CHRI-
STI ſignum gerunt contra CHRISTVM? Omit-
to complura, quæ numerãdo recenſere poſſem. Quid?
quòd in rebus etiam ciuilibus, & publica adminiſtra-
tione occurrere cauſæ poſſunt, ob quas ipſa etiam po-
pularis turba ijs priuilegijs, quibus ſuperioribus ſæcu-
lis ornata fuit, ſpolietur? quod plerunque factum fuiſ-
ſe non eſt obſcurum. Nam, vt prudenter Auguſti- *Lib. 1. de lib. arb. cap. 6.*
nus ſcriptis prodidit, ſi populus ſit bene moderatus & „
grauis, communiſq; vtilitatis cuſtos diligentiſsimus, in „
quo vnuſquiſq;, minoris rem priuatam quàm publi- *Simile pulcherrimum.*
cam pendat, rectè lex fertur, quòd huic ipſi populo „
liceat creare ſibi Magiſtratus, à quibus publica res gu- „
bernetur. Porrò, ſi paulatim deprauatus idem po- „
pulus, rem priuatam Reipublicæ præferat, atque ha- „
beat venale ſuffragium, corruptuſq; ab eis, qui hono- „
res amant, regnum in ſe, factioſis ſceleratiſq; com- „
mittat, nónne item rectè, ſi quis tunc extiterit vir bo- „
nus, qui plurimum poſsit, adimat huic populo poteſta- „
tem dandi honores, & vi paucorũ bonorũ, vel id vnius „
redigat arbitrio? Quod ſi id in adminiſtranda Rep. ſpe- „
ctandũ eſt, vbi vna aut altera ciuitas periclitatur, quãtò
magis in Eccleſia regenda, in qua tantò grauius pericu-
lũ eſt, quãtò animus corpori præſtat. Quocirca, etſi olĩ *Talis noſtra ætate populus eſt, qualem eſſe poſſe ſcribit Auguſtinus.*
maximè populo licuiſſet eos creare, à quibus verbũ dei
audiret, & Sacramẽta acciperet, id tamẽ iuris idcirco ei
nũc eſſet adimendũ, quòd talis iam factus ſit, qualẽ fieri
poſſe, Auguſtini ſentẽtia teſtatur. Quid enim plebe no-
ſtri temporis corruptius? quid hominibus ætatis huius
deprauatius? Quid à vera & germana illa charitate, *Ioan. 13.*
qua

Ioan. 13. qua Deus ſuos à Diaboli ſeruis dignoſci voluit, magis alienum? Si eius arbitrio permitteretur, vt Epiſcopum ſibi conſtitueret, quantæ, ac q̃; variæ eſſent factiones? Quanti motus ac perturbationes rerum publicarum? *Lib. 3. De Sacerdotio.* Quanta ſuffragiorum nundinatio? Nota ſunt, quæ de eiuſcemodi electione ſcribit Chryſoſtomus. Deinde quos in id dignitatis faſtigium eueherent? nonne eos, *2. Tim. 4.* quos ſibi Magiſtros auribus prurientes dari optarent, *Quales ſibi populus magiſtros eligeret, ſi eius arbitrio permitteretur.* qui nihil ad veritatem, ad voluntatem omnia loquerentur? Præterea quid facerent ij, quos ipſa plebs Eccleſiæ pręficeret? An non id populo ſeruandum proponerent, quòd ille eis præſcriberet? Nam noſtro tempore nihil videmus magis vſitatũ eſſe in Germania, quàm vt hæreticæ partis concionatores id pro roſtris declament, *Heretici concionatores ad populi præſcriptum concionem inſtituunt.* quod ſenatus & vniuerſa conſtituit ſocietas. Atq; ex eo factum eſt, vt magno cum detrimento, & malo noſtro videamus tot eſſe receptas à Germania ſectas, quot ſunt ciuitates & oppida: vt vix decem milliaria conficias, quin quatuor aut ſex populos offendas, quorum vnus amplectatur confuſionem Auguſtanam: lapſus lingua ſum, nam confeſsionem dicere volui: Alter VVittembergicam, alius Saxonicarum Eccleſiarum, atque alius Magdeburgenſem, aut Zuinglianam. Si roges, cur ita fiat, vt hanc vel illam ſectã ſequantur? Mox reſpondẽt, quia vel Princeps, vel conſules, vel ſenatus id ſtatuerit: ſe morem gerere debere, quòd ad voluntatẽ eorum religio vel recipiatur, vel repudietur: & toties mutetur, quoties nouus magiſtratus creatur: & fides de DEO, apud eos annua & mẽſtrua ſit, vt olim de Arrianis queſtus eſt Hilarius. *Lib. ad Conſtantium Auguſt.* Sed & quanta populi inconſtantia ſit, multa, eaq; nõ vulgaria exempla docent. Pulchrè Satyricus

tyricus eum multorum capitum beluam vocauit. Præclarè orator dixit, quòd non ſit in eo conſilium, nō ratio, nō diſcrimen, nō diligentia, ſemperq; ſapientes ea, quę feciſſet populus, ferenda, non ſemper laudanda eſſe duxerūt. Sapienter etiam Socrates, qui populum, magnū erroris Magiſtrū nuncupauit. Quis eſt, qui neſciat populum pleraq; temerè, & ſine vllo iudicio cōſtituere ſolitū? Nolo cōmemorare ea, q̄ ex Scriptorib. prophanis adduci poſſunt. Si de ijs exempla petam, quæ ſanctis literis conſignata ſunt, an non illud, quàm mobile, & varium animal vulgus ſit, eximiè cōmonſtrat, quòd gens Hebræa, quam Deus ex turpiſsima Ægypti regis ſeruitute eripuit, poſteaquàm ei ſuam potentiā & maieſtatem, ac beneficentiam innumerabilibus prodigijs, admirandis facinoribus & beneficijs patefeciſſet, repudiato ipſius cultu, & neglecta vera religione, dum Moſes cum Deo in monte colloquium faceret, vitulū conflauit, atq; ei diuinos honores attribuit? Præclarum ſcilicet populi conſilium, & admirabilis prudentia, ac rerum diuinarum cognitio: Deum, à quo tam inuſitata, tamq; inaudita edi potentiæ & diuinitatis documenta viderat, tam breui temporis ſpacio negligere ac cōtemnere, & ſimulachrum extruere, quem pro Deo coleret. Vides, quàm præpoſterè de religione vera popularis multitudo ſtatuat, niſi ſe ſapientum & doctorum iudicio ſubmittat? Veniamus ad ea, quæ noui teſtamēti literæ ſempiternis monumentis proſequuntur. Nonne eadem Iudæorum natio, cum Chriſtum paulò ante docentem, & facta admiranda perpetrantem venerata fuiſſet, Deumq; eſſe iudicaſſet, ſeptem dierum ſpacio ita animum ab eo alienauit, vt de medio tollen-

Horat. in epi.

In orat. pro Planco.

Exempla ſacra, quę docēt, quanta ſit populi inconſtantia.

Exod. 32.

Matth. 21. & 27.

Act.14. dum,& crucis ſupplicio afficiendum clamarit? Quid ij, qui Lycaoniæ Paulum & Barnabam, Dei legẽ & mandata explanãtes, & res admirandas facientes audierũt? An non, quibus (quaſi Dij eſſent) ſacrificia offerre non ita dudum, diuinoſq; honores tribuere voluerant, eoſdem poſtero die tantopere execrati ſunt, vt alterum eorum, Paulum videlicet, lapidibus obruerint, ac pro mortuo reliquerint? Iam ſi animum referas ad ea, quæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Autores memoriæ mandarunt, an non palàm intelliges, Chriſtianorum etiam gẽtem, valdè inconſtantem & volubilem ſæpenumero fuiſſe? Quoties ſuperiorum temporum hæretici de multitudine eorũ, quos è popularibus decepiſſent, gloriati ſũt? Quid Arrianorũ impietas, vt de alijs interim taceam? An non ea vniuerſum ferè terrarum orbem occupauit? Audi, quid de ea ante mille annos ſcripſerit Vincentius *Lib. aduerſ. Proph. nouationes.* Lirinẽſis: Tũc (inquit) nõ ſolũ paruæ res, ſed etiã maximæ labefactatę ſunt. Nec enim tantũ affinitates, cognationes, amicitiæ, domus: verumetiã vrbes, populi, prouincię, nationes, vniuerſum poſtremò Romanũ imperiũ funditus concuſſũ & emotũ eſt. Vides ne q̃; meritò Arrij diſcipuli, gloria ſe, & prædicatione efferrę potuerint, quòd vniuerſa penè Reſp. Chriſtianorum ſe ad *Arrianæ labis mala unde orta ſint.* eorum errorem adiunxiſſet? Vnde autem hæc mala in Eccleſiam inuecta ſunt, niſi ex eo, quòd præter Canonem Eccleſiaſticũ, & Apoſtolicã traditionem plebs & magiſtratus, ſibi eos eligerent Magiſtros & Doctores, quos ſuis voluptatibus ſeruituros eſſe putaret? Id quod in vna Ægypti Principe vrbe factum legimus, quæ Alexandria eſt. Eius enim ciues quandiu Athanaſius Eccleſiæ gubernacula tenuit, à vera fide & religione non

non abſceſſerunt: imò verò malle ſe gladio ceruicē ſubijcere, quàm ab eo auelli, literis publicis teſtati ſunt. Vbi aūt ille vitæ muneribus defunctus eſt, licet, cum de vita decederet, eis Petrum, integritate vitæ & doctrina eximia virū, quiq; pro Catholica veritate grauia certamina ſuſtinuerat, cōmendaſſet: illi tamē ſalutis ſuæ ſtatim obliti, Luciū Arrianæ factionis hominē in ſede Epiſcopi collocarunt. Neq; verò id impunè tulerūt. Tam magna enim incōmoda & detrimenta Reſp. illorum ab eo accepit, vt non Epiſcopū, ſed Tyrannum in illo experti ſint. Quid ergò ſperandū eſt fore, ſi plebi & magiſtratui ea detur facultas, vt quos ipſa approbet, Eccleſiæ adminiſtrationi proponat? Paucas admodum ciuitates, ac ferè nullam in Germania videas ex ijs, quæ magiſtratus & multitudinis imperio reguntur, quas hæreſes & errores noſtri temporis non infecerint. Vnde id ergò? Ex eo ſanè, quia imperat ille, de quo Poeta dixit: Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Ac, niſi Ferdinandus Cæſar, Conſtantinis ac Theodoſijs pietate & religione par, Auſtriam, & reliquas nationes, quæ ad ipſum ex auita hæreditate confluxerunt, in officio continuiſſet, iam pridem certè à Catholica doctrina, & Eccleſiæ obedientia deſciuiſſent. Nec aliud feciſſet Bauaria, niſi illuſtriſsimi Principis Alberti, qui Maiorum ſuorum imitator, vt hæres, cum ſit, antiquam religionem acerrimè propugnat, metus ab eo inſtituto deterreret. Sed non eſt nobis ignotum, quo conſilio hæretici, quicunq; noſtra ætate Eccleſiæ pacem & tranquillitatem perturbant, tantum Principibus, magiſtratui, & multitudini tribuant, vt ſi ab eis Epiſcopi & Sacerdotes deſignentur, tum ſe diuina vo-

Ruf. lib. 2. cap. 3.

Exemplum memorabile.

Aeneid. 2.

Ferdinandi Cæſaris pietas, & prouidentia.

Alberti Bauari laus.

Heretici quo conſilio Princip. magiſtratui, & plebi tantum tribuant.

luntate vocatos eſſe dicant. Nimirum adulantur illis, & oĩa loquũtur ad eorum voluntatem, quò ipſorũ præſidio tueantur ſe à Catholicorũ cõſtitutis ac legibus, ſuoſq; errores & mẽdacia facilius propagare poſsint. Fecerunt id olim Arriani, de quorũ anteſignano Athana-

In epiſt. ad ſolit. vit. agent. ſius: Nunc (inquit) Euſebius & Arrius veluti ſerpentes à cauernis ſuis egreſsi, virus impietatis ſuæ ſectæ palàm

„ euomunt, quorũ hic blaſphemandi audaciam ſuſcepit,
„ ille verò blaſphemiã propalàm defendit. Sed non prius
„ eam defendere potuit, quàm vbi Cæſarem blaſphemiæ
„ propugnatorem repeririſſet. Quem ergo ad finem illi Imperatorem Romanum ad ſuas partes pertrahere conati ſunt, ad eundem profectò finem Lutherus ſe in Io-

Lutheri aſtus & calliditas. annis Friderici beneuolentiam inſinuauit, quò nimirum eius fauore & præſidio munitus, liberè poſſet contra Eccleſiã, & eius rectores euomere, quicquid veneni animo concepiſſet. Quinetiam vt celerius & expeditius optata perficeret, imperitæ plebis animos ea ſibi arte beneuolos effecit, quòd eius iudicium Eccleſiæ vniuerſæ iudicio antepoſuit. Nec aliò tẽdunt hoc tempore, quicunq; ex iſtis Chriſtianæ religionis hoſtibus, pijſsimo & Chriſtianiſs: Ferdinando Cæſari, sereniſsimiſq; eius liberis, ac Philippo Hiſpaniarum regi glorioſiſsimo (qui meritò Catholici cognomentum obtinet) atq; alijs Principibus de noſtra fide rectè ſentiẽtibus aſſentantur, & omnia auribus eorum dant. Atq; etiam vt olim, qui Arrij deliria amplexi ſunt, ex Eunuchis, quos apud Conſtantium Cæſarem gratia plurimum valere

In ead. Epiſt. viderent, præſidium ſibi compararunt, ſicuti ab Athanaſio in literas relatum eſt: ita noſtri aduerſarij eorum, qui noſtrorum Principum aulam ſequuntur, animos ſibi

mos ſibi conciliare ſtudent, quò eorum poteſtate pro libidine abutantur, & liberius ſuos errores ſerant, & reliquos mortales à via veritatis ad mendacia abducant. Vt meritò ea oratione cõpellare eos poſsis, qua Hilarius Arrianos allocutus eſt, & dicere: Oro vos Epiſco- *In lib. de Synod. ad Arrianos.*
pi, qui vos hoc eſſe creditis: quibus nã ſuffragijs ad prædicandũ Euangelium Apoſtoli vſi ſunt? Quibus adiuti „
poteſtatibus, Chriſtũ prędicauerũt, genteſq; omnes ex „
Idolis ad Deũ tranſtulerunt? An ne aliquam ſibi aſſume- „
bant è palatio dignitatem: hymnũ Deo in carcere, inter „
catenas, & poſt flagella cantãtes? Edictiſq; Regis Pau- „
lus cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, CHRISTO „
Eccleſiam congregabat? Nerone ſe (credo) aut Veſpa- „
ſiano, aut Decio patrocinantibus, tuebatur. Sed vide- „
rint Principes, & qui pietate excellunt, quid inire conſilij debeant, cum blandis hæreticorũ verbis aures patefaciunt. Nam de Conſtantino Cæſare ſcribit idem beatus Athanaſius, quod is idcircò hæreticis morem gereret, quia ab eis, quæ concupiſceret, ea audiret. *Principes cur hæreticis interdum aures patefaciant.* *In ead. Epiſt.*

Veruntamen, vt eò, vnde nos oratio tulit, redeamus, abundè explicatũ eſſe arbitramur, mentiri Martinum Lutherum, cum iactat ſe diuino conſilio à Principe ad Eccleſiæ miniſterium vocatum fuiſſe. Nam, ſi neque Principum, neque magiſtratus officium id eſt, vt Eccleſiæ miniſtros conſtituat, conſequens eſt, Lutherum non eſſe ad regendam Eccleſiam aſcitum, ſed *Heb. 5.* ex eorum numero eſſe, qui nõ vocantur, vt Aaron, ſed *Hier. 23.* ipſi honorem ſibi aſſumunt, de quibus conqueritur Deus, quòd Prophetæ munus vſurparent, cùm ab eo nõ eſſent miſsi. Viderint ergò noſtri Euãgelici, quales hodiè habeant miniſtros. Nam ſi Lutherus, qui eorum patri- *Euangelici nõ habent legitimè vocatos miniſtros.*

archa fuit, legitimè vocatus non eſt, quid ex eo aliud efficitur, quàm vt neq; ij ſint ritè miniſterio præfecti, qui vel ab eo ad ſacra tractanda lecti ſunt, vel hodiè à Principibus aut magiſtratu leguntur? Hæc ſarcina, videlicet Epiſcopatus, inquit Auguſtinus, ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſsitatem. Sed Luthero nemo eius ſuſcipiendæ prouinciam impoſuit, quia Principem non potuiſſe id facere, ſupra demonſtratum eſt. Neque ipſe propter charitatis neceſsitatem eam ſuſcepit. Nam ſi charitatis rationem habuiſſet, nunquam altare contra altare extruxiſſet: ſed omnes ſuas cogitationes & ſtudia ad charitatis officia retuliſſet: nec ſe ab Eccleſia CHRISTI, in qua baptizatus & Chriſtianus effectus eſt, ac Sacerdotio initiatus, ſeparaſſet: ſed Cypriani, & aliorum, qui clari & celebres fuerunt, imitatione & exemplo, intra Eccleſiæ caſtra manſiſſet; & cum ijs, qui oderant pacem, ipſe pacem coluiſſet: ac ſecutus Auguſtini doctrinam, quod poſſet, arguendo correxiſſet: " quod autem corrigere non poſſet, ſaluo pacis vinculo " excluſiſſet: vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non " poſſet, æquitate improbaſſet, firmitate ſupportaſſet, " atq; ita pacificum ſeſe declaraſſet, & immunis habitus " fuiſſet ab eo maledicto, de quo ſcriptura: Væ his, qui " dicunt, quod nequam eſt, bonum: & quod bonum eſt, " nequam: qui ponũt lucem tenebras, & tenebras lucem: " qui ponunt, quod amarum eſt, dulce: & quod dulce eſt, amarum. Ex his, quæ dicta à me ſunt, quis non ſtatim intelligat, Lutherum, in CHRISTI ouile non per oſtium intraſſe, ſed per anfractus & præcipitia ſibi aditum

Lib. 19. de Ciuit. Dei. cap. 19.

Epiſcopatus non quærendus.

Lutherus non eſt charitate motus, ut Epiſcopi munus obiret.

Contra Parm. lib. 2. cap. 1.

Eſai 5.

Lutherus non intrauit per oſtium.

tum patefeciſſe? Non ergo fuit ouis, quia non audiuit vocem paſtoris ſui, qui per Apoſtolum iuſsit, ne quis ſibi aſſumeret honorem, ſed qui vocaretur vt Aaron, is Eccleſiam regeret. Sed nihil hæc veritus Lutherus, vi & fraudibus, ac nemine vocante, qui quidem iure potuerit vocare, hoc munus inuaſit. Fuit autem fur, latro, & lupus, quia non intrauit per oſtium, & in eo laborem omnem conſtituit, vt oues ab ijs paſtoribus abduceret, qui non eam vltrò functionem vſurparunt, ſed expectarunt, vt vocarentur, ſicut Aaron vocatus cœleſti oraculo eſt. Quid autem ex eo ſequitur? Nihil ſanè aliud, quàm omnes hæreticos, & eos homines, qui cum ea Eccleſia non ſentiunt, à qua ſe Lutherus ſegregauit, non eſſe oues CHRISTI, nec paſtores (quo titulo ſeſe miſeræ plebi venditant) ſed fures, ſed latrones, ſed lupos. Quare? Quia non intrant per oſtiũ. Qui aũt (inquit Chriſtus) per oſtium non intrat, ille fur eſt & latro. Vocet eos ad hoc munus Princeps, vocet magiſtratus, vocet plebs: non intrant per oſtium, fures ſunt & latrones. Hoc oſtium, nec eſt Princeps, nec magiſtratus, nec plebs, nec fuit vnquã, nec erit in poſterũ. Oſtium enim per quod intrant, qui Eccleſiæ gubernacula ſuſcipiunt, eſt publica Eccleſię electio, cõfirmatiò, & ordinatio: q̃ ſolenni ritu & cęremonia perfici ſolet ab ijs, quos ſpiritus ſanctus Eccleſ: ſuæ præpoſuit. Hæc ſacra actio, q̃ adhibetur ad eos, qui ad munia Eccle: vocãtur, eſt Carbo ille, quo (ſicuti olĩ Eſaias) purgantur, qui Eccleſiæ præfuturi ſint. Antequàm eo purgentur, nefas eos eſt ſacra tractare. Nam Eſaias, quamuis charus Deo eſſet, non eſt tamen auſus antè id munus exercere, quàm ab angelo purgata ei labra fuiſſent. Qui per

Lutherus non fuit ouis Christi.

Heb. 5.

Oſtium, per quod intrant ueri Paſtores, quod.

Eſai. 6.

Carbo, quo Eſaias purgatus eſt, quid.

Celeſt. hier. cap. 13.
Paſtoral. cap. 7. p. 1.
Concil. to. 1. in decret. Anacl.

hoc oſtium non intrarit, is Epiſcopi officio in Eccleſia fungi nõ poteſt: ſicut demonſtratum olim eſt à Dionyſio illo Theologorum Principe, & poſtea à Gregorio Pontifice Max: qui eum ſecutus eſt. De hoc oſtio verba facit Anacletus ille Pontifex Maximus: Celebrato,
,, inquit, ieiunio, manus cum Euangelijs imponẽdæ ſunt
,, ijs, qui prædicaturi ſunt: & Dñica die, hora tertia, oran-
,, dum, ſacraq́; vnctione, exemplo Prophetarum & re-
,, gum, capita eorũ, more Apoſtolorũ & Moſis vngen-
,, da ſunt: quia omnis ſanctificatio conſtat ſpiritu ſancto,
,, cuius virtus inuiſibilis ſancto eſt Chriſmate promulgata. Atqui ſi dixeris, iam tum aliquẽ etiã abuſum in Eccleſiam irrepſiſſe, facilè docebimus, id falſum eſſe, teſtimonio Egeſippi, qui ſcribit Eccleſiam uſq; ad tempora Aniceti, quem aliquot annis præceſsit Anacletus, ab omni labe corruptelæ integram fuiſſe. Audi enim eius verba, quæ ita habent: vſque ad illa tempora, Virgo munda & immaculata permanſit Eccleſiá, corruptoribus veritatis & diuini verbi temeratoribus, aut nuſquã omninò extantibus, aut etiam, ſi qui forte fuerant, in occultis hiatibus terræ deliteſcentibus. Atq; hanc Egeſippi ſententiam verbis nõ multo abſimilibus effert Irenæus, qui de Aniceto hæc literis mãdauit. Aniceto ſucceſsit Sother, qui nunc duodecimo loco ab Apoſtolis
,, Epiſcopatus ſortẽ obtinet, & eaſdẽ, quas Apoſtoli tradi-
,, derũt, prędicationes diuinæ fidei integras illibataſq́; cu-
,, ſtodit. Eum, qui per hoc oſtiũ nõ ingrediatur, tyrannũ eſſe, & exautorari, atq; in ordinẽ redigi debere, pronũciant Apoſtoli, cum dicunt: Si quis autem presbyter contemnens Epiſcopum ſuum, ſeorſim populum collegerit, & altare aliud erexerit, deponatur. Eſt enim

Reſpondetur obiectioni.
Eccleſia Virgo fuit uſque ad tempora Aniceti.
Lib. 4. Commentar.
Lib. 3. cap. 3. contra Valent.
Canon. Apoſtolic. cap. 32.

tyrannus,

tyrannus. Et cæteri clerici, quicunq; tali conſentiunt, *Qui præter*
deponantur: Laici verò ſegregentur. Nec dubitat Cle- *Epiſcopi vo-*
mens, Apoſtoli Petri diſcipulus & ſucceſſor, affirmare: *luntatē quic-*
infames, extorres, & à regno Dñi, & conſortio fideliũ, *quã moliuntur*
ac luminibus Eccleſię alienos eſſe presbyteros, qui prę- *quales ſint.*
ter Epiſcopi, cui ſubiecti ſunt, volũtatem, quicq; moli- *In epiſt.*
antur. Nec minus grauiter de ea re ſcribit Dionyſius *ad Iacob. fra-*
Areopagita, quem & paulò antè citauimus, & nũc etiã *trem Domini.*
allegaturi ſumus, vt ex eius oratione perſpicuum ſit, q̃;
graui ſeſe aſtringant ſcelere, qui id munus in Eccleſia
vſurpant, quod eis aſsignatum non eſt. Is ergò ad Mo-
nachum quendam ſic ſcribit: Ac mihi quidem videtur *In Epiſt. ad*
audax & temerarius, ſi quis ea ſibi ſumat, quæ propria *Demophilum.*
Sacerdotum : neque metu, nec pudore à diuinorum ››
tractatione præter captum ac meritum deterretur: pu- ››
tatq; Deũ ignorare, quorũ ſibi ipſe eſt cõſcius, & ſperat ››
ſe decepturum eum, qui à ſe falſo nomine appellatur pa- ››
ter.: audetq; ſceleſtas ſuas (vt ita dicam) maledictiones ››
(neq; enim preces dixerim) in diuinis myſterijs Chriſti ››
imitatione proferre. Non eſt iſte Sacerdos, non eſt: ſed ››
inimicus, fallax, irriſor ſui, lupuſq; in gregem domini ››
ouina pelle armatus. Quis iam his ex verbis non intelli- ››
git, Lutherum non eſſe Epiſcopum, ſed audacem, te- *Lutherus qua-*
merarium, inimicũ, fallacem, irriſorẽ, lupumq; in gre- *lis.*
gem Dñi ouina pelle armatũ? Hoc tenete (inquit Au- *Tract. 45. in*
guſtinus) ouile Chriſti eſſe Catholicã Eccleſ: Quicũq; *Iohannem.*
vult intrare ad hoc ouile, per oſtium intret, Chriſtũ ve- *Ouile Chriſti*
rum prædicet: non ſolùm Chriſtum verum prædicet, ,, *eſt Catholica*
ſed CHRISTI etiam gloriam quærat, non ſuam. Nam ,, *Eccleſia.*
multi quærendo gloriam ſuam, oues Chriſti ſparſerunt ,,
potius q̃; cõgregauerũt. Humilis eſt enim ianua CHHI- ,,
STVS

Ianua, qua patet aditus ad Chriſti ouile, qualis.

STVS Dominus, qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem eſſe, vt ſano corpore poſsit intrare. Qui autem ſe non humiliat, ſed extollit, per maceriam vult aſcendere. Hæc ille vir ſanctus. Verum ne Chriſtum prædicet Lutherus, an talem, qualem ſibi anima hominis, qui voluptatibus ſe totũ dedat, cõfingit, poſtea expendetur. Nunc illud videamus, ſuã ne, an Chriſti gloriã Lutherus quæſierit. Si Chriſti gloriã quæſiſſet Lutherus, nunq̃ ſe ita extuliſſet, vt ſuo tẽpore, q̃ tempore Apoſtolorũ, à ſe, & ſuis purius Chriſti Euangeliũ prædicatum fuiſſe diceret. Neq; vnq̃ ſuum vnius iudicium & ſententiam totius Eccleſiæ, & patrum, & Apoſtolorum, atque Angelorum omniũ iudicio & ſententiæ præpoſuiſſet: neque ſe ſolum ſapere, ſibi duntaxat Dei arcana, & cœleſtem veritatẽ patere: reliquos verò deſipere, truncos, fungos, & bardos eſſe putaſſet. Cum autem hæc omnia Lutherum de ſe & ſenſiſſe, & pleno ore prędicaſſe conſtet, quid aliud ſequitur, quàm dicendum vt ſit, eum ſuam, non Chriſti gloriam quæſiſſe: & à ſe, non à Deo veniſſe. Qui enim gloriam propriã quęrit, à ſemetipſo loquitur, ait Chriſtus. Apparet ergò perſpicuè, Lutherũ non intraſſe per oſtiũ, ſed per maceriam, viq; & fraude in ouile Chriſti irrepſiſſe. Efficitur igitur, vt Lutherus non Epiſcopus, ſed fur, & latro, & lupus habendus ſit. Sed ſi quis ſecum expendat, & paulò altius conſideret, quid Lactantius Firmianus publicis literarum monumentis de quibuſdam ſui ſæculi hæreticis cõſignarit, cognoſcet Lutherũ non Chriſti gloriæ, ſed ſuæ, & eius ambitionis (qua mirificè flagrauit) cauſa bellũ CHRISTI Eccleſiæ indixiſſe, & eius oues ſpargere ac diſsipare voluiſſe: nec ad ouile CHRISTI per

Lutherus, & eius fratres non Chriſti gloriam quærunt, ſed ſuã.

Ioan. 7.

Lutherus fur, & latro, & lupus.

per oſtium,ſed per maceriam intraſſe. Ille igitur eos *Lib. 4. cap.*
ijs verbis depingit : Sed ij, quorum fides lubrica fuit, *30.*
cum Deum noſſe ſe & colere ſimularent , augendis „
opibus,& honori ſtudentes,affectabant maximum Sa- „
cerdotium : & à potioribus victi, cadere ſe cum ſuffra- „
gatoribus ſuis maluerunt, quàm eos facere præpoſitos, „
quibus concupierant ipſi ante præponi. „

Quis non videt id de Luthero , & qui eius exem- *Lutherum*
plũ ſecuti, Eccleſiam Chriſti deſeruerunt , dictũ fuiſſe? *cum ſuis deo*
Lubricam eius fidem fuiſſe ex eo apparet, quòd de eo *pinxit Lac-*
tant.
illud ſapientis veriſsimè dici potuerit: Stultus ſicut Lu- *Eccleſiaſt. 27.*
na mutatur. Quotus enim quiſq; inter Chriſtianos eſt,
qui neſciat, nihil vnquàm vno Luthero inconſtantius
fuiſſe? Rectè Aiala noſter, qui duos in eo homines fuiſſe *Aiala Epiſ.*
finxit, quorũ alter inſanus, alter ſui compos eſſet: eũq; *Gaidixen. de*
comparauit ijs hominibus, qui, cùm chronica quadam, *Luthero iu-*
dicium.
& quę minimè ſanitatem recipiat, ęgritudine laborent,
ſi ijs diebus, quos medici decretorios vocant, graui ali-
qua morbi acceſsione agitentur, nouis ſubinde codicil-
lis teſtamenta à ſe ante condita, irrita efficiunt, ac pla-
nè mutant. Nec minus aptè Cocleus , qui ſeptem *Cocleus ſeptẽ*
capita Luthero vni affinxit, quorũ vnumquodq; aliter, *capitem Lu-*
atq; aliter ex eiuſdem ſcriptis loqueretur. Certè Faber *therum fecit.*
Viennenſis Epiſcopus ex libris Lutheri demonſtrauit, *Faber Epiſc.*
nullum eſſe religionis Chriſtianę caput, de quo non ille *Vienn. in lib.*
antilog. Luth.
variè & pugnanter ſcripſerit. Quòd vero augẽdis opi-
bus & honori ſtuduerit, indicat initiũ, vnde hęc tragœ-
dia orta eſt. Nam ſi his animi morbis ſubiectus non fu-
iſſet, nunquàm doluiſſet , ſibi & ordini ſuo ereptã fuiſſe *Lutheri aua-*
prouinciam vulgandarum cõdonationum, & lucrum *ritia.*

quod

quod inde acceſſum iri ſperabat. Sed quanta habendi acquirendiq́; cupiditate laborauerit,& quanto honorũ ſtudio flagrarit, ex eo colligitur, quod integrum monaſteriũ vnà cum redditibus à Duce ſuo obtinuit: ſeq́; primùm Eccleſiaſten, deinde Superintendentẽ Vvittenbergenſem vocauit. Quinetiam ſi ex ambitioſis eius ſcriptis iudicare fas eſt, huc non obſcurè ille ſpectauit, id ſperauit efficere, vt ſuorum Principum aliquis Romano imperio potiretur: ipſe verò Germanorum gentis quaſi Patriarcha conſtitueretur. Perſpicuũ igitur eſt, eum ſummum ſacerdotiũ affectaſſe. Quod autem à potioribus victus ſit, declarant ſcriptis comprehenſæ diſputationes, quas Eckius, Cochlæus, Maluenda,& alij, qui de noſtra religione præclarè meriti ſunt, cum eo publicis in cõuentibus habuerunt. Quid iam aliud ſperãdum erat, quàm vt cum ſuis ſuffragatoribus, cadere à vera doctrina, vero Dei cultu, & CHRISTI Eccleſia mallet, quàm ijs obedire, & poſtponi, quibus ipſe ante præponi concupierat? Cecidit ergo cum ijs, quos in ſuas partes pertraxit: & deſerto itinere cœleſti, vias ſibi deuias per anfractus & præcipitia quæſiuit, per quæ ſimplicem & incautam plebem ad tenebras, mortemq́; deduceret. Hinc factum eſt, vt ſe, & ſuos ſuperintendentes vocarit, ibiq́; Epiſcopos cõſtituerit, vbi nulli antea vnquam fuerant, quod ab Arrianæ factionis ſectatoribus ſuo ſæculo factum fuiſſe queritur Athanaſius. Hoc ſcilicet eſt oſtium, per quod Lutherus in ouile Domini intrauit. Egregia verò ſuſcipiendi Epiſcopatus ratio, & digna, quæ ætatum omnium memoriæ propagetur. Ijs nimirum gradibus Maiores noſtri ad id di-

Lutherus ſummum ſacerdotium affectabat.

Lutherus à potioribus victus.

Lutherus maluit à uera doctrina cadere, quàm ijs obedire, quibus optauit preponi.

Lutherus conſtituit Epiſcopos, ubi antea non fuerant.

In epiſt. ad ſolit. uit. agentes.

id dignitatis faſtigium aſcenderunt. Poſſem, ſi res poſtularet, complura exempla adducere, ex quibus apertè conſtaret, patres illos noſtros, & religionis Principes, tanta fuiſſe modeſtia & contemptione honoris, vt niſi diu multumq; vocati, & concordibus animis aſciti eſſent, eiuſmodi manere vltrò abſtinuerint, prçclareq; ſecum actum putarint, ſi in ſolitudine, aut intra priuatos parietes traducere vitam poſſent. Vnum tantū proferam ex Cypriano, qui de Cornelio Pōtifice Max. hæc ſcribit: Non iſte ad Epiſcopatū ſubitò peruenit, ſed per oīa Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad ſacerdotij ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec vi, vt cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, inuaſit. Sed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt, qui ad hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non, vt quidam, vim fecit, vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet. Hoc pulcherrimū & ſingulare exemplum modeſtię ſi ęmulatus fuiſſet Lutherus, quantò & ſibi & Chriſtianę Reipublicæ melius conſuluiſſet. Verùm, quia hanc modeſtiam imitatus non eſt, ſed ſeipſe Epiſcopum creauit, eo in loco, vbi nulla prius ſedes conſtituta fuit, licebit eum locare in numero eorum, qui fures, latrones, & lupi in Euangelio vocantur, & iure de eo dicetur, quod olim de Nouatiano dixit Cyprianus: Nouatianus Epiſcopus computari non poteſt, qui Euangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo

Singularis modeſtiæ & bonorum contemptus exēplum.

Lib. 4. Epi. 2.

Nouatianus.

Lib. 1. Epi. 6.

,, ordinatus eſt. Habere namq; aut tenere Eccleſiã nullo ,, modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Cum hæc, quæ diximus, ita habeãt, nemini dubium ſit oportet, Lutherum, & qui in eius verba iurarunt, ſeq; ei in diſciplinam tradiderunt, ab Eccleſia Chriſti alienos eſſe. Ex quo & illud conſequitur, eos Chriſtianorum numero cenſeri non debere, quando audienda eſt illa CHRISTI ſententia, quæ iubet, vt is, qui Eccleſiam non audierit, Ethnicus & publicanus habeatur. Quod quia longè veriſsimum eſt, efficitur, vt meritò dictum à nobis paulò antè fuerit, ſcripturarum poſſeſsionem, ad Lutherum & eius gregales minimè ſpectare, eoſq; palàm, quæ falſa ſunt, prædicare: cum ſe hæredes cœleſtis doctrinæ, & Apoſtolorum ſucceſſores eſſe prædicant. Cæterum, quò res apertius intelligatur, quòd in eorum conuentibus doctrinæ puræ nullus locus relictus ſit, demonſtrandum eſt.

Lutherus, & qui eius collegæ ſunt, pro Ethnicis habendi.

Matth. 18.

Quòd hæretici ſcripturas non habeant.

Integra, & ſuis partibus abſoluta, Eccleſiæ doctrina quæ ſit, ſuo loco dicemus cõmodius. Nunc de ea doctrina ſermo inſtituatur, quam ſoli hæretici noſtra ætate pro Euangelio amplectũtur. Ea verò, vt illi quidem ſentiunt, in ſcriptura continetur. Si quis ergò probauerit, eos nullum ius in ſcripturam obtinere, is planè demonſtrat, neq; puram doctrinam, de qua nunquam non gloriantur, in eorũ collegijs vigere. Quod Lutherus, & ij ſimul, qui ſe ab Eccleſia ſegregarunt, & errores ab ea damnatos & extinctos reuocarunt in lucẽ, Chriſtiani non ſint, ſed Ethnici, publicani, & hæretici, ſatis indicant, quæ antè diximus. Ex eo ergò ſequitur, vt nullũ in ſcripturam ius habeant, quod Tertulliani teſti-

monio

monio facilè probatur. Is enim diſſerens de poſſeſsio-
ne ſcripturarum, & declarans, ad quos ea iure perti-
neat: Quapropter (inquit) hæreticos probamus ſine *Lib. de præ-*
ſcripturis ad ſcripturas non pertinere. Si enim hære- *ſcript. aduerſ. heret.*
tici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à CHRI- ,,
STO habendo, quòd de ſua electione ſectati, hæreti- ,,
corum nomine admittunt. Ita, non Chriſtiani, nullum ,,
ius capiunt Chriſtianarum literarum. Hæc Tertul- *Heretici non Chriſtiani*
lianus. Irenæus autem, qui eo vetuſtior aliquantò fuit, *Lib. 4. ca. 43*
non obſcurè demonſtrat, ad ſolam CHRISTI Eccle-
ſiam ſcripturas pertinere, rectéq; ab ea ſola intelligi:
hæreticorum verò doctrinam ignem alienum eſſe,
qualis fuit ille, quem Nadab & Abiu offerre volue- *Leuit. 10.*
runt. Porrò autem magnus ille Athanaſius, dùm *Athana. Orat. 2. contra*
confligeret cum Arrianis, nihil eis cum ſcriptura eſſe, *Arrianos.*
eiuſmodi ſermone oſtendit: Quid Marcioni, & Ma- ,,
nichæo hęreticis cum Euangelio, qui legem abnegant? ,,
Ex veteribus enim noua & vetera nouis cōteſtata red- ,,
duntur. Qui igitur iſta inficiantur, quomodo illa agno- ,,
ſcent? Paulus certè eius Euangelij Apoſtolus fuit, quod ,,
pronunciauit per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis. ,,
Quin & ipſe Dominus locutus eſt: Scrutamini ſcriptu- *Ioan. 5.*
ras, quoniam illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de ,,
me. Quomodo igitur agnoſcent Dominum, qui non ,,
antè de eo ſcripturas conſuluerunt, & ſcrutati ſunt? ,,
Nam, quem Moyſes deſcripſit & Prophetæ, eum ſe in- ,,
ueniſſe, diſcipuli affirmāt. Aut quorſum Sadducęis lex, *Ioan. 1.*
non recipientibus Prophetas? quum qui legem edidit ,,
Deus, idem ſit, qui in lege Prophetas ſeſe excitaturum ,,
promiſit, adeò, vt idem Dominus ſit legis & Propheta- ,,
rum: & qui alterum neget, neget vtrumq;. Aut quor- ,,

,, ſum Iudæis vetera, quum non agnoſcant eum, qui inde
,, expectabatur, Dñm? Si enim ſcriptis à Moyſe fidē ha-
Ioan. 5. buiſſent, fidē quoq; habuiſſent Dñi verbis. De me (in-
,, quit) ille ſcripſit. Aut quid Samoſatenſi cum ſcriptu-
,, ris, abneganti verbum Dei, eaq; inficianti, quæ pariter
,, & ex veteri & ex nouo teſtamento ſignificantur, ac
,, Dei aduentum in carne demonſtrant? Quid item Ar-
,, rianis cum ſcripturis? aut cur eas proferunt, qui crea-
,, turam aſſerunt eſſe Verbum Dei? & (vt Ethnici ſo-
lent) cultum exhibent creaturæ, omiſſo creatore? Et quotquot ſunt hæreſes, nihil habent in ſuis figmentis conſtituendis, quod commune ſit cum ſacra ſcriptura: Neq; id eos latet, qui eiuſmodi errores tuentur, q; lon-

Quotquot ſunt hæreſes, nihil habent commune cum ſcriptura ſacra.

,, gè, imò quàm omnino illa hæreſis diſſentiat à ſacra ſcri-
,, ptura: ſed tamen ad dolum ſimpliciorum, de quibus
,, Prouerbia mentionem faciunt, Simplex credit omni
,, ſermoni, veluti Diabolus ipſorum pater, transforma-
2. Cor. 11. tionem vultus, ad ſpeciem Angeli conformant, eamq;
,, verborum indolem præ ſe ferunt, vt rectum ſenſum habere videantur, eumq; vbi perſuaſerint, eò miſeros deducunt, vt diuerſa alienaq; à ſcripturis ſentiant. In ſingulis hæreſibus ita transfiguratus Diabolus, dictiones ſubijcit plenas dolo. Hæc Athanaſij viri ſanctiſsimi verba, ſi quis æquo, ac in neutrā partem propenſo animo legere voluerit, facilè perſpiciet, hæreticos ab omni ſcripturarum poſſeſsione alienos atque extraneos exiſtere. Quamobrem D. Hieronymus enarrans illa Hieremiæ verba, quibus Deus quoſdam reprehendit, quòd verba ipſius furentur: Sēper, inquit, imitatur mēdacium veritatē, & niſi habuerit aliquā ſimilitudinem recti, decipere nō poteſt innocētes. Quomodo igitur in priori

Scripturis vtuntur hæretici, vt dictu à ſcripturis ſuadeant.

Lib. 4. comm. in Hier. cap. 23.

Hæretici fures diuinorum verborum.

priori populo mentiebantur Prophetæ, atq; dicebant: ,,
Hæc dicit Dominus: Et vidi Dominum: Et verbum ,,
Domini, quod factum eſt ad illum ſiue illũ. Sic hæretici ,,
aſſumunt teſtimonia ſcripturarũ de veteri & nouo te- ,,
ſtamento, & furantur verba Saluatoris, vnuſquiſque à ,,
proximo ſuo, Prophetis, & Apoſtolis, & Euangeli- ,,
ſtis, & aſſumunt linguas ſuas, vt cordis venena ore pro- ,,
nuntient: & dormitant dormitationem, de quibus verè ,,
dictum eſt: Dormitauerunt ſomnum ſuum, & nihil in- *Pſalm. 75. a.*
uenerũt. Sunt igitur hæretici fures & latrones, quia in- ,,
de teſtimonia petunt, vbi nullum ius habent. Quare
ſapienter Clemẽs Alexandrinus, hæreticos & Philoſo- *Strom. 1.*
phos in eodem albo ponit, & vtroſque fures eſſe ex eo *Hæretici Philoſophis ſimiles.*
demonſtrat: quòd illi ab Hebræis, iſti à Chriſtianis
ea furentur, quæ ipſi non intelligunt, & quaſi ſua faciant,
ac quędam quidem adulterent, alia autem ſuperuacanea
diligentia indoctè quaſi ſapientes pronuntient.
Quinetiam ipſum Chriſtianorum nomen eis, qui verè
Chriſtiani ſunt, eripere conantur, imitantes patrem
ſuum Diabolum, qui, vt ſcribit Apoſtolus, transfi- *2. Cor. 11.*
gurat ſe in Angelum lucis: ita neque hæretici Chriſtiani
ſunt. Ac ſi ſcripturarum poſſeſsio ad hæreticos
pertineret, fieret etiam, vt Diabolus, quo parente
illi nati ſunt, poſſet ius & poteſtatem in eas ſibi
attribuere. Nam & ipſe ex eis, quaſi de ſuo teſtimonia
adduxit, quibus CHRISTVM ſcripturarum Au- *Si hæretici ſcripturas habent, eas etiam habet Diabolus.*
thorem de alto illo dignitatis gradu, in quo pater eum
conſtituit, deijceret. Sed ſi abſurdum eſt, valdeq; à pietate
noſtra alienum, dicere, Diabolum ſcripturas poſsidere:
licebit & illud affirmare, longè abſurdiſsimũ eſſe,
quòd hæretici ſcripturarũ poſſeſſores cenſeãtur. Quid

2. Cor. 6. enim luci cum tenebris, ait Paulus? quid iuſtitię cum in-
1. Tim. 6. iuſtitia? quid Chriſto cum Belial? Admonet Apoſtolus
Doctrina Chriſtiana, depoſitum Apoſtolorum Eccleſiæ commiſſum. ſuum Timotheum, vt depoſitum cuſtodiat, propter prophanas vocum nouitates, & oppoſitionem falſi nominis ſcientiæ. Hoc depoſitum, quid eſt aliud, quàm ea doctrina, quam religio Chriſtiana veneratur? Cuius autē curæ depoſitum hoc Apoſtoli crediderunt? Nónne Eccleſiæ, quæ, vt ex Irenæo antè diximus, depoſitorium quoddam amplum eſt, in quod Apoſtoli bona fide effuderunt, quæcunq; à Chriſto acceperunt? Quibus

Strom. 1. enim (ſicut Clemens ſcripſit) alijs, quàm ſolis fidei agricolis ſemina fidei commiſiſſent? Iuſsit ergò Apoſtolus Timotheo, tanq̄; ei, qui fidei agricola eſſet, vt depoſitū cuſtodiret. Qui autem illi ſint, quorum cauſa cuſtodiri depoſitum hoc conueniat, declarat Lyrinenſis, qui

Lib. aduerſ. Proph. nouat. eum locum tractans: Quid eſt, ait, depoſitum cuſtodi: „ cuſtodi propter fures, propter inimicos, ne dormi- „ entibus hominibus, ſeminent Zizania ſuper illud tri- „ tici bonum ſemen, quod ſeminauit filius hominis in „ agro ſuo? Atqui alij ſunt iſti fures & inimici, quàm

Hæretici inimici & extranei unde. hæretici? Vnde autem hæretici fures, inimici, & extranei ſunt? Audi, quam eius rei cauſam eſſe dicat Ter-

Lib. de præſcript. aduerſ. hæret. tullianus: Vnde (inquit) extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſq; de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos, aut protulit aut recepit? Iam mecum cogita, quiſquis es Chriſtiane, ſi depoſitum hoc, hoc eſt, cęleſtis doctrina, cuius non exigua pars ſanctis libris comprehenſa eſt, cuſtoditur propter hæreticos, quòd fures & inimici ſint: quòd dormientibus hominibus ſuperſeminent Zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauit

filius

filius hominis in agro ſuo: ſi ab Apoſtolis exhæredati & abdicati ſunt, vt extranei, vt inimici: ſi diuinæ legis oraculo fures declarantur, quia ſcripturæ ſacræ oſtium violenter effringunt, & ad ſuam ſententiam commodumq; verba Dei detorquent, & veluti in ius ſuum transſcribunt: cogita (inquam) mecum, & attentè conſidera, an non à ſacrarum literarum faſtigio arcendi ſint, & de earum iure tanquam iniqui poſſeſſores deturbandi? Quis enim tam mentis inops fuerit, vt eos iuſtè poſſidere aliquid dicat, qui teſtamento ab eius poſſeſſione excluſi, hoſtes, atq; inimici illius, qui teſtamentum condidit, declarati ſunt? Eósne, vt nos ſanctas literas habere credamus, quorum improbitas ne eas nobis deprauet, & ſicut Philiſtęi olim cœno Iſaac puteos oppleuerunt, ſuarum opinionum colluuie obſtruat, non mediocriter pertimeſcendum eſt? Abſit, vt nos, qui DEI benignitate Chriſtiani ſumus, hæreticis ſcripturas hæreditate relictas eſſe putemus. Ne quid tale vnquam nobis cogitare in mentem veniat, admonet nos ſcriptura, quæ eos palàm fures vocat, & eorum dogmata aquas furtiuas eſſe pronunciat: quas mulier ſtulta, & clamoſa, plenaq; illecebris, & nihil omnino ſciens, quæ hæreticorũ imaginem gerit, quaſi dulciores & ſuauiores ſint, auidiſsimè bibit. Ac certè ita eſt, cùm primùm enim capitis ſui ſomnia proferunt, id furtim & clanculum faciunt, & vt olim Tertullianus dixit: Nihil magis curant, quàm occultare, quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant. Quæ omnia cum tam vera ſint, vt nemini aliquis dubitandi locus relinquatur, quis tam fuerit à ſeipſo

Hier. 23.

Prouerb. 9.

Lib. contra Valent.

alienus,& veritatis negligens, vt dicat apud eos homi-
nes ſcripturas ſanctas eſſe, quos ab earum lectione ar-
cent oracula cœleſtia,tanq; fures,& latrones,& perdu-
elliones,atq; inimicos veritatis? Qui eas cum legunt,
Hæretici ſcripturas negligunt.
non intelligunt,vel negligunt potius: quando pulchrè
in eos illud cohæret,quod Author ille,quicunq; ſit,cer-
tè non malus,ait: legere & nõ intelligere,negligere eſt.
Hi ne ſcripturam cœleſtem habent, qui,vt de omnibus
In proœm. explanat. Euan. Lucæ.
hæreticis ſcribit Diuus Ambroſius, quod bene legunt,
malè credunt & intelligunt? An non benè legit Philip-
Hæretici quod benè legunt, malè credunt.
pus,cùm apud Paulum legit,Deum vnicuiq; ſecundum
opera ipſius perſoluturum eſſe? An non malè credit
Rom. 2.
Philippus, cum contrà atque Apoſtolus pronunciat,
id de fide dictum eſſe credit? Nónne benè legit Calui-
Matth. 26.
nus?cùm audit & legit CHRISTVM dixiſſe,Hoc eſt
,, corpus meũ. Nónne malè credit Caluinus?cum, mul-
tò aliter,quàm CHRISTVS voluit,credit,Euchariſtiæ
Sacramentum non eſſe, ſed ſignificare corpus Chri-
In Dialogo aduerſus Luciferianos.
ſti? Si ſcripturæ, vt Diuus Hieronymus ait, non in le-
gendo,ſed in intelligendo conſiſtũt: ſi ſenſus,qui in ver-
bis latet,potius quàm verba ſpectandus eſt, quem di-
cemus ſcripturas habere, eúmne, qui eas intelligit eo
ſpiritu,quo proditæ ſunt: an illum,qui omnia, quæ in
eis continentur,multò aliter dicta eſſe accipit,& ad pri-
uatas ſuas cogitationes, opiniones, & ſomnia accom-
Iudæus.
modat? Si libros ſanctos habet Iudæus,qui ita eos intel-
ligit,vt omnia quæ in eis legit,ad ſuam ſectam & men-
Maurus.
daciũ transferat,& aptet: Si libros ſanctos habet Mau-
rus,qui,quæcunq; eis expreſſa ſunt, ad ſui cerebri com-
Arrius.
menta traducit: Si libros ſanctos habuit Arrius, qui
Chriſtum negauit patri eſſe æqualem: Si ſcripturam
habuit

habuit Macedonius, qui ſpiritum ſanctum Dei dignita- *Macedonius.*
te ſpoliauit: Si ſcripturam habuit Neſtorius, qui Chri- *Neſtorius.*
ſtum Dei filium non eſſe contendit: Si ſcripturam habuit Eutyches, qui vnam duntaxat voluntatem Chri- *Eutyches.*
ſto attribuit: Si ij, quos iam numerando recenſui, & lōgè plures, quos ad eorum numerū aggregare poſſem, ſcripturam habuerunt. Scripturam quoq; habet Philip- *Philippus.*
pus, qui nihil tribuit operibus Chriſtianorū: ſcripturam habet Caluinus, qui negat panis & vini ſpeciebus, Chri- *Caluinus.*
ſti corpus & ſanguinem contineri: ſcripturā habet Bré- *Brentius.*
tius, qui Eccleſiam, ſola eorū, qui ad vitam ſempiternam prædeſtinati ſunt, ſocietate conſtare tradit: ſcripturas habent Anabaptiſtæ, qui infantes arcent à la- *Anabaptiſtæ.*
uacro regenerationis, quo qui non ſit ablutus, in cœlum non recipietur: ſcripturam habet Seruetus, qui *Seruetus.*
Arrij errorem ab inferis excitat: ſcripturam habet Oſiander, qui nos ita iuſtificari contendit, vt natu- *Oſiander.*
rà noſtra in diuinam tranſeat naturam. Solus Svvenckfeldius, ne videatur legere, quod non intelligit: & bene legere, quod malè credit, Scripturas non recipit, & ne attingere quidem vult: ſperans fore, vt neſcio cuius tripodis numine afflatus, ea hauriat, quæ enarrare lingua hominis nequeat. *Hoſius de expreſſ. Dei uerbo, & in ſcripto contra Brentium.*
Sed ſicut illi (de quibus dixi) hæretici, qui ſuperioribus ſæculis nouos excogitarunt errores, ſcripturas non habuerunt, qui falsò eas intellexerunt, & quod bene legebant, malè crediderunt: ita neq; ij habent ſcripturas, qui noſtra ætate, deſerto Catholicæ veritatis itinere, eoſdem renouant errores, quorum illi Autores extiterūt.
Quicquid enim noſtro tempore vel Lutherus, vel Caluinus, vel Philippus, vel Brentius, vel alij eorum grega- *Euangelij huius temporis autores qui.*
les

les pro cœleſti doctrina amplectendum eſſe docent, id omne ab ijs acceperunt Autoribus, quos pauló antè commemoraui: nec alios doctrinæ ſuæ Autores, & Patronos proferre & demonſtrare poſſunt. Equidem minimè dubiũ apud me eſt, quin prudens & Chriſtianus lector, cuius animus ad veritatem recipiendam purgatus ſit ab ijs affectibus, qui alterutram in partem mentem rapere ſolent, facilè, ſi ea quæ in mediũ attulimus, expendere velit, intelligat, hæreticos tam eſſe à cœleſtiũ literarũ poſſeſsione alienos, vt nullũ ius ſibi in eas vendicare poſsint. Verùm, quò id planius atq; apertius fiat, operæpretium fuerit videre, atque attentius perpendere, qua fide & integritate ſcripturas hæretici ſuperiorum temporum receperint: atque ij etiam recipiant, contra quos nobis diſputatio inſtituta eſt. Quòd certũ aliquẽ ſacrorum librorũ numerum eſſe conueniat, qui recipi ab oĩbus debeat, qui Chriſti nomen & doctrinã profitentur, nemo eſt, qui neget: de noſtra modò religione rectè atq; ſanè, vt par eſt, ſentiat. Ac fuit ſemper illud in Eccleſia Chriſti ſolenne & vſitatum, vt de eo numero & ordine librum aliquem expellere nemini liceret: vt contra nefas habitũ eſt, ſine Eccleſiæ voluntate & decreto, alicui libro locum dare inter eos, qui ſacri & canonici nuncuparẽtur. Quicũq; Eccleſiæ Dei filij eſſe voluerũt, ab hac fidei regula & canone, vel minimũ vnguem deflectere, ſummũ eſſe ſcelus putarunt. Contrà hęretici, & externarum opinionũ colentes atq; amantes hoĩes, vt ſibi licere voluerunt, quas libitũ eſſet, amplecti ſentẽtias: ita hoc quoq; peculiare habuerũt, vt ꝑ arbitrio quos libros vel approbarẽt vel dãnarent, eos, aut inter ſacra volumina reciperent, aut de eo numero delerent.

Hæretici qua fide, & integritate recipiant, & tractent ſcripturas.

Nemo pius dubitat, quin aliquem certũ ſacrorum librorum numerum eſſe conueniat, & de eo ſola Eccleſia cenſere poſsit.

delerent. Neq; enim cauſæ & parti, quam tuerentur, conuenire iudicarunt, vt, quibus in doctrina cum Eccleſia minimè conueniret, ij eoſdem cum cætu piorum libros haberent communes. Quare è re ſua eſſe ſtatuerunt, eos libros reijcere, atque in priuatis locare, qui ei ſententiæ, quam ipſi tuerētur, pugnarēt. Quos enim intellexerunt ſuis erroribus fauere, eos diuinos & ſacroſanctos haberi voluerunt. Denique ſi diligenter animaduertas, qua fide & ſynceritate hęretici ſcripturas recipiāt, intelliges verè à Tertulliano ſcriptū illud eſſe, Hęreticos neq; omnes ſcripturas, neq; integras recipere, & quas recipiant, eas adiectionibus & detractionibus ad inſtituti ſui diſpoſitionē interuertere, & diuerſis expoſitionibus adulterare: ac quàm verū illud ſit, quod
primū ait, videamus. Vtrum ſcilicet hæretici omnes *Lib. de præ*
ſcripturas admittant. Scribit vir ſanctus Epiphanius, *ſcript. aduerſ.*
hæret.
quòd Ebion, & qui eius parti ſeſe addixerunt, ſolum il- *Lib. 1. to. 2.*
lud Euangelium, quod à Mathæo ſcriptum eſt, habere *hæreſ. 30.*
Hæretici non
diuinam authoritatem & pondus pronunciarunt, reli- *recipiunt ſcri-*
qua verò tria reiecerunt. Cur ita? quia Chriſtum nihil *pturas omnes.*
Hebion.
aliud quàm purum hominem ſentiunt, quam blaſphe- *Lib. 1. to. 2.*
hæreſ. 26.
miā reliqui ſancti libri palàm refellunt. Qui verò Gno- *Gnoſtici.*
ſticos ſe appellarūt, eodē vſi cōſilio, q̄ in ſacris literis ad errores ſuos ſtabiliendos facere viderūt, ea à ſpiritu ſancto profecta eſſe dixerunt, quæ verò ipſorum ſectæ aduerſabātur, ea à Diabolo, & ſpiritu vertiginis cōficta fu-
iſſe affirmarūt. Cherinthus & Menāder, qui de Chriſto *Cherintus, &*
Menander.
non multò aliter q̄; Hebion prędicarunt, ex Euangelio *Lib. 1. to. 2.*
Mathęi, eoq; mutilo & corrupto, teſtimonia ad ſua cō- *hæreſ. 28.*
firmāda petierūt, reliquos lib. diuinitꝰ proditos eſſe negarūt: Pauliq; ſcripta īprimis auerſati ſūt. Quid Cerdō? *Cerdon.*

Lib. 1. to. 2. hereſ. 41. an non is, quia duos eſſe Deos ſtatuit, bonum alterum, alterum malum, vetus teſtamentum, quod cum eo errore omni ex parte pugnat, de ordine ſanctarum literarum deturbauit? Solum, vt Tertullianus ait, Euangeliũ *Lib. de præſcript. contra heret.* Lucæ, nec tamen totum recepit: Apoſtoli autem Pauli, neq; omnes, neq; totas Epiſtolas ſumpſit. Acta Apoſtolorũ, & Apocalypſim, quaſi falſa reiecit. Quid Marcion? *Marcion.* Audi, quid de eo Tertullianus dicat: Marcion (inquit) exertè & palàm machæra, non ſtylo vſus eſt, quoniam ad materiam ſuam cędem ſcripturarum confecit.

Lib. 1 to. 3. hereſ. 42. Ac verum quidem eſt, quod Marcion ſcripturarũ cædem ad materiam ſuam confecerit. Nam vt narrat Epiphanius, cùm tria principia ſtatueret, ſabbatoq; ieiunaret, & baptiſmum tertio repeti poſſe doceret, & corpora ad vitam immortalem reuocatum iri negaret, multaq; alia apertè falſa in CHRISTI populum inferret, non alios eſſe cenſuit diuinos libros, quàm Euangelium Lucæ, de cuius initio, medio, ac fine complura, ſicuti libitum eſt, reſecuit: & decem tantũ Apoſtoli Epiſtolas, reliquis plane repudiatis, admiſit: ex quibus multa quidem expunxit, non pauca mutauit, pleraq; etiam peruertit ac deprauauit. *Valentinus. Lib. de præſcript. aduerſ. heret.* Valentinus etiam, vt Tertullianus ſcripſit, legis & Prophetarum quædam probauit, quædam improbauit, id eſt, omnia improbauit, dum quædam reprobauit, & Euangelium habuit ſuum præter hæc noſtra. Neq; minus iuris, quàm ij, quos nominaui in Canonem ſcripturarum ſibi vendicarunt, qui *Encratitæ. Alogi. Lib. 1. to. 3. hereſ. 47. & 51.* Eucratitæ, & Alogi vocantur. Illi enim ex libris veteris Teſtamenti quoſdam quidem recipiendos eſſe arbitrati ſunt, alios verò ex albo ſacrarum literarum expunxerunt. Hi autem, Alogi videlicet, quos Epiphanius

meritò

meritò verbo carentes, & à verbi prædicatione alienos
appellat, Euágelium Iohannis pariter & Apocalypſin,
inter ea ſcripta, q̃ ſacra non ſunt, numerarunt: nec à Io-
hanne, ſed à Cerintho ea prodita eſſe dixerũt. Quinetiã
am Manichęi (quorum princeps Manes ſe Apoſtolum *Manichei.*
Chriſti vocauit, ſicuti ex Auguſtini ſcriptis perſpici- *Lib. 1. contra aduerſ. leg. & Prophet. ca. 1.*
tur) libros Moſis & Prophetarum, maledictis & conui-
tijs proſciderunt, atq; ex ordine cœleſtium oraculorũ
amputarũt. Atq; etiam libertate illa Diabolica vtentes,
quæ hæreticis omnibus communis eſt, tametſi nouum
teſtamentũ admitterent, q̃ tamen cum ea hæreſi, quam
ipſi tuebantur, non conuenirent, ea vel falſa, vel ab alijs
adiecta eſſe cauſabantur. De Arrij ſectatoribus quid di- *Arriani.*
cam? Nónne ij quoq; cùm filium patri ęqualem exiſte-
re inficiarentur, eiq; errori cõtraria eſſe cernerent, quæ
in Epiſtola ad Hebræos ſcripta leguntur, eam Epiſtolã
de numero ſanctorum librorũ expunxerunt, & à Pau-
lo ſcriptam eſſe negarũt? Sed quid pluribus verbis opus
eſt? Nihil enim cauſæ ſubeſt, cur ego ea in re explican-
da immorer. Nam veriſsima eſt illa Diui Hieronymi *In procem. Comm. in epiſt. ad Titũ.*
ſententia, qui ait, hæreticos authoritate hæretica libros
ſacrę ſcripturę deprauaſſe, deleuiſſe, eraſiſſe ex eis, quic-
quid ſuis opinionibus aduerſari viderunt. Nec minus il-
lud verũ eſt, quod Tertullianus ſcribit, hęreticos nõ ſyl- *Contra Marc. lib. 5.*
labas tantũ, ſed integras etiã paginas delere. Iam cũ ſa- *Heretici quas admittũt ſcripturas, eas ad ſuum inſtitutũ ut accommodent, adiectionibus aut detractionibus peruertunt.*
tis cõſtet, hęreticos, qui ſuperioribus ſęculis Chriſti cor-
pus affligere ſtuduerũt, neq; ſcripturas omnes recepiſſe,
neq; eas, quas admitterent, integras admiſiſſe: ſed quaſ-
dã quidẽ omnino repudiaſſe, alias verò mutilaſſe & la-
ceraſſe: illud cõſequitur, verũ quoq; eſſe, quòd hęretici,
quas admittũt ſcripturas, eas adiectionibus aut detracti-

onibus peruertant,atq; ad ſuum inſtitutũ accõmodent.
Lib.1. to.1. hereſ. 23. Saturnilius. De Saturnilio quodã prodit Epiphanius, quòd is librũ, qui Geneſis inſcribitur,approbauit quidẽ,atq; ex eo teſtimonia adduxit,quib. ſuã ſententiã roboraret. Verũ, quia fingebat ab ãgelis hoĩem fuiſſe procreatũ, quò ſuum figmentũ & delirium veriſimile eſſe demonſtraret, *Gen. 1* cùm venit ad ea verba: faciamus hominẽ ad imaginem ,, & ſimilitudinẽ noſtrã: ipſe vocem (noſtram) qua ſuum ſomnium refelli videbat,expunxit. Quid aũt hoc aliud fuit, quàm detractione ſcripturam peruertere, & eam *Cont. Marc. lib. 5. Epheſ. 2.* ad ſuum propoſitum aptare? Porrò autem Marcion, vt Tertullianus author eſt,cum Chriſtum carnem noſtram ſuſcepiſſe negaret,& legeret illud Apoſtoli,qui ait, CHRISTVM in carne ſua medium inimicitiæ parietem ſoluiſſe: vocabulum (ſua) inde deleuit,atque *Ibidem.* ita errori ſuo ſtabiliendo ſcripturam ſubiecit. Idem etiam, legens Apoſtolum ſcripſiſſe, Chriſtianos ſuperædificatos eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: oblitus Dominũ,ſicut Apoſtolos,ita & Prophetas in Eccleſia poſuiſſe, nomen (Prophetarum) de Apoſtoli verbis eraſit. Atq; etiam illa Pauli *1. Cor. 15.* verba, primus homo Adam in animam viuam,nouiſſimus Adam in animam viuificantem: ille ita mutauit, vt pro (nouiſsimo Adam) Dominum poſuerit. Sed callidè & malignè. Nam ſi dediſſet, CHRISTVM eſſe *Marciõ quàm impudenter ſacras literas deprauarit.* Adam nouiſsimum,illud etiam concedere cogeretur, CHRISTVM verè naturæ hominum participem eſſe, contrà atq; ipſe ſentiret. Nec minus aſtutè locum illum deprauauit: Secundus homo de cęlo cęleſtis,& pro voce (Secundus) Dominus ſubſtituit. Cõplures eiuſmodi fraudes & dolos, quibus ſcripturas ad ſua ſomnia torſit &

ſit & accommodauit Marcion, obſeruauit Tertullianus in eo volumine, quod aduerſus eius errores conſcripſit. Quare ob eiuſmodi fraudes eum (murem Ponticū) lepido ioco appellauit. Manichæi quàm purè & fideliter ſcripturā tractarint, & Arriani ſimiliter, indicant ea, quæ de eis ſcripſit Auguſtinus: quæ ſi quis ſecū expendat, intelliget, eos nō ſolū quædam in ſacris libris verba mutaſſe, ſed multa etiam peruertiſſe: non pauca Apoſtolica eſſe, negaſſe: pleraq; ex volūtate corrupiſſe. De reliquis omnibus hæreticis nihil attinet nunc dicere. Quiſquis non oſcitanter ſcripta patrum legerit, is apertè cognoſcet, eos ſæpè conqueri, quòd hæretici ſcripturas vel addendo, vel detrahendo corruperint, deprauarint, & peruerterint: atq; ad defendenda capitis ſui deliria, & ſomnia accommodarint. *Marcion Mus Ponticus.*

Iam veniamus ad eos, qui noſtris temporibus Eccleſiæ pro Euangelio errores, deliria, & mendacia vulgò venditant. Quàm fideliter & integrè de ſcripturarum Canone ſentiant, perſpiciamus. Ac ſicuti reliquis in rebus, ita quoq; in ea pulchrè iſti Maiores illos ſuos (de quibus diximus) imitantur, quòd vel oēs ſcripturas non recipiunt: vel quas recipiunt, eas adiectionibus, aut detractionibus interuertunt: & diuerſis expoſitionibus corrūpunt: & ad ſuas opiniones accōmodant: atq; ſcripturarū cædē ad ſuam materiā faciunt. Lutherus enim, qui omnium Princeps & pater eſt, ſcripturas omnes, quibus mille & trecentis ab hinc annis Eccleſia vſa eſt, quaſq; hactenus pro cœleſtibus habuit oraculis, non recipit, ſed, quas libet, admittit, cæteras explodit, & de ſacro Canone delet. Sed quas (rogo) recipit? Eas, q̄ ijs erroribus, quorum ipſe defenſor eſt, patrocinantur. *Heretici noſtre ætatis quàm egregij corruptores ſacrarum literarum ſint.* *Lutherus non omnes ſcripturas admiſit.*

Quas verò reijcit? Non certè alias, quàm eas, quæ ea dogmata apertè damnant, quæ ille tuēda ſuſcepit. Quo in genere Principem locū tenent Eccleſiaſtici, & Machabeorū libri, & ea epiſtola, quæ ab Apoſtolo ad Hebræos ſcripta eſt: & quas nobis Iacobus, & Iudas, & Iohannes reliquerunt: atq; etiā is liber, quem Eccleſia Iohānis Apoſtoli eſſe prędicat, & Apocalipſim nominat. Docet is author, qui Eccleſiaſticū cōſcripſit, hominem ita à Deo ꝓcreatū fuiſſe, vt liberi arbitrij cōpos factus, & poteſtati ſuę relictus ſit, vt malū bonūue, pro eo ac viſum eſſet, amplecteretur. Quid hic Lutherus? quia cum impijs Magiſtris & Maioribus ſuis, Marcione & Manichæo, ſentit oīa abſoluta & fatali neceſsitate euenire, atq; hominē prorſus libero arbitrio carere. Machæram arripit, & ſcripturarum ſyluam ad ſuam materiam cedens, Eccleſiaſticum de Canone ſanctorū librorum reſecat, & in eis ſcriptis, quæ nullum pondus & authoritatem obtinent, cōſtituit. Ea ſcripta, quibus res geſtæ à Machabæis cōtinentur, docent, grata atq; accepta eſſe, ea, q̄ pro ijs offeruntur, qui è vita exceſſerunt. Quid ad hæc Lutherus? Quia hoc videt palàm aduerſari ei mendacio, quo ipſe profitetur, pro mortuis nihil eſſe offerēdum, nec preces, quas pro eis fundimus, deo gratas eſſe: Machabęorū libros de ordine ſacrorū voluminū tollit, & illos eo honore dignos eſſe negat. Sed audi, & videbis alterū Marcionē ſcripturarū cædem ad ſuā materiā facientem. Ex ea Epiſtola, quā Paulus ad Hebręos ſcripſit, intelligitur, opera tantū habere momēti, vt qui eis vitā ornauerit, cœleſtē vitam promereatur. In ea enim ita ſcriptū conſtat: Beneficētię (inquit Paulus) & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur

Luth. quos libros reijciant, & quare.

Eccleſiaſtic. 15 Liberum arbitrium.

2. Mach. 12. Preces pro defunctis, & oblationes.

Lutherus alter Marcion, & Marcione peior.

Heb. 13.

retur Deus. Quid ad hæc Lutherus? Quia non credit, homines operibus iuſtos effici, Eam epiſtolã ab Apoſtolo conſcriptam non fuiſſe contendit. Iacobus, & Iohãnes, & Iudas in operibus, & rectè factis, multum eſſe præſidij poſitũ ad regnũ cæleſte adipiſcendũ affirmant. Quo nam animo id fert Lutherus? Cùm tanti ſolam fidem faciat, tantiſq; eam laudibus efferat atq; extollat, vt illi omnia, operibus nihil tribuat, imò peccata eſſe pleno (quod aiunt) ore detonet, machæra arrepta, Iacobi & Iudæ epiſtolã vtranq;, & Iohannis duas poſteriores, & Apocalypſin è numero cœleſtium literarum reſecat. Nolo (inquit) hæc in meis biblijs habere. An non hîc Lutherum machæra armatum cernis, qualem Tertullianus Marcionem depinxit? Nónne vides Lutherũ non aliam ob cauſam ſcripturarũ cædẽ feciſſe, quàm vt eas ad ſuum inſtitutum accommodaret? Atqui tantus hic Chriſtianorũ Ariſtarchus, qui epiſtolas Apoſtolorũ, & alios ſanctos libros reijcit, & adulterinos atq; ſuppoſititios eſſe affirmat, tanti ſui Melanthonis (ſi modò ſuum vocare potuit, qui ab eo in multis diſſenſit) tanti inquam Melanthonis ſcripta facit, vt ea digna eſſe ſcribat, quæ inter ſacra volumina recipiantur. Scripturarũ Canonẽ eo comprehenſum numero, quem Chriſtiani noſtro tẽpore ſequuntur, ante mille & ducentos annos Eccleſia agnouit: & eas Epiſtolas, quæ Petro, & Ioãni, ac Iacobo adſcribuntur, pro ſcriptis Apoſtolicis habuit. Lutherus verò hæretica libertate vtens, nouum ſcripturarum Canonem condit, & libros ſanctos, pro eo ac libitum eſt, vel recipit vel repudiat: & Euangelium Iohannis, quia de fide multum concionatur, mirificè commendat, ſacroſanctumq; eſſe affirmat: quod verò

Operum bonorum præmium uita æterna.
Iac. 2.
1. Ioan. 3.
Iud. epiſt.

Soli fidei omnia tribuit Lutherus, in aſſert. & aliâs ſæpè.

In præfat. in biblia à ſe uerſa.

Luth. Sanctorum libros de Canone expellit, & Melanth. opera in eo locat.

In Epiſt. quæ præfixa eſt, explanat.

Melanth. in epiſt. ad Rom. & in lib. de ſeruo arb. cõtra Eraſmũ.

Antiquitas Canonis Eccleſiaſtici.

Euangelium Io. cur extollat, & Lucæ extenuet Lut.

Lucæ nomen præ ſe fert, quoniam iuſtum effici hominém rectè factis declarat, parum abeſt, quin machæræ opera, de Catalogo diuinorũ voluminum deleat. Quis igitur hîc cum Auguſtino nõ clamet: Vnde huc exijſti Luthere? vnde confidis? ſcripturas tanta authoritate confirmatas, tot gentium cõſenſione per ſucceſsionem Apoſtolorum, Epiſcoporum, Cõciliorumq́; roboratas reſpuis, miracula non facis, quæ ſi faceres, etiam ipſa in te caueremus, per inſtruentẽ nos Dñm & dicentem: Exurgent multi pſeudo Chriſti, & pſeudoprophetæ, & facient ſigna & prodigia multa, vt fallant, ſi fieri poſſet, etiam electos: ecce prædixi vobis. Vſque adeò nihil credi voluit aduerſus confirmatã ſcripturarũ autoritatem. Quid hoc ſibi vult? Hoccine eſt ſcripturas habere, ac nõ potius reijcere & explodere? Luthero vt liceat, quamlibet ſcripturã expendere, & Apoſtolicã eſſe pronũciare? Si Luthero hoc licuit, cur nõ & cuiuis homini licitum erit? At quid ex eo aliud cõſequetur, quàm vt ſcripturarum authoritas labefactetur, ac pereat: dum cuiq; de eis ſententiam ferre fas ſit? Quid ergo obſtabit, quo minus Luthero, & ijs, qui de eius ſchola prodierũt, dicamus, quod olim Auguſtinus dixit Manichæis? Videtis (inquit) vos id agere, vt omnis de medio auferatur ,, ſcripturarũ authoritas, & ſuus cuiq; animus author ſit, ,, quid in quaq; ſcriptura probet, quid improbet, id eſt, vt ,, non autoritati ſcripturarũ ſubijciatur ad fidem: ſed ſibi ,, ſcripturas ipſe ſubijciat: non, vt ideo illi placeat aliquid, ,, quia hoc in ſublimi autoritate ſcriptum legitur: ſed ideo ,, rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Qui verò id efficere pugnant atq; enituntur, vt omnem ſcripturarum ſanctarum authoritatem & pondus, plane inane

Contra Fauſt. lib. 11. cap. 6.

Contra Fauſt. lib. 32. cap. 19

atq;

atq; irritum faciant & extinguant: an ij ſcripturas habere dicantur, Lector Chriſtianus, & qui ſano iudicio res ſingulas ponderare & perpendere norit, ſtatuat.

Sed me hic continere non poſſum, quin nonnihil ab *Licentiæ iudicandi de lib. canonic. Eraſ. eſt author.* inſtituto digrediar, & quis huius erroris ac licentię, quæ execranda modis omnibus eſt, author & dux Luthero fuerit, exponam. Is eſt Eraſmus Roterodamus, qui primus omnium hominum noſtro ſæculo, libros, quos Eccleſia cōſecratos, atq; in numero ſacrorū collocatos ęſſe voluit, in quibus, vt Auguſtinus ait, homines timē- *Lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 9.* tes Deū & manſueti quęrunt voluntatem Dei, auſus eſt expendere, & virga (quod dicitur) cenſoria notare, eaq́; autoritate expoliare, quam illis vetuſtiſsimi Maiores noſtri vendicarunt, qui ex eis ad res diuinas confirmandas teſtimonia petierunt, quòd Doctore & Magiſtro ſpiritu ſancto conſcriptos eſſe non dubitarent. Primus (inquam) Eraſmus noſtris tēporibus hoc ſibi in ſacros libros iuris aſſumpſit, vt neglecta Eccleſiæ autoritate, ſine qua nihil firmum, nihil certum, nihil conſtitutum religio Chriſtiana habet, quoſdā de ordine canonis Eccleſiaſtici exemerit, atq; inter eos, de quorū integritate dubitandū eſt, numerarit. Ac verum quidem illud eſſe, quod iā ferè abijt in prouerbiū, Eraſmū ſcilicet oua po- *Eraſmus oua poſuit, Lutherus eduxit pullos.* ſuiſſe, Lutherū verò eduxiſſe pullos, ex eo patet, quòd eoſdem propemodū libros in canone cōſtituendos infi-ciat, quos Lutherus è ſanctarū literarū albo pellit. Nā & epiſtolā ad Hebræos ſcriptā, incerti eſſe authoris af- *In annotationibus in eandem epiſtolā.* firmat: & apocalypſin Iohāni adſcribi nō debere cōtendit: & ſecundā Petri epiſtolā, ac poſteriores duas Iohānis, affirmat eorū non eſſe, à quibus conſcriptę dicūtur. Neq; verò cōtentus eo fuit, quòd pondus & autoritatē,

quam hi libri meritò in Chriſti populo obtinent, minuerit, atq; eleuarit, ſed quędam etiam, quæ in Euangelio Lucę & Iohãnis legũtur, exarata ab eis fuiſſe negat. Huius generis ſunt illa. Nimirũ Chriſti ſudor, quem in horto accidiſſe ſcribit Lucas: & hiſtoria adulteræ, q̃ extat in eo Euangelio, quod Eccleſia Iohãni attribuit. Ac caput vltimũ eius Euangelij, cuius author eſt Marcus. Quinetiã, quod penè incredibile videri poſſet, quod Euangeliũ Chriſtiani à Marco dicunt cõpoſitum, Idem Eraſmus, Marcúsne, an aliquis alius, eius ſcriptor habẽdus ſit, ambigit. Ac quod magis mirabere, & ſine aliquo mentis horrore audire vix poteris, verba illa: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cęlo & in terra, in Græcis exẽplaribus nõ inueniri: etſi inueniantur, variè legi, aſſerit. Cum Diuus Hieronymus eum locũ (quòd eos iugularet) ab Arrianis corruptũ eſſe queratur. Ex quo facile intelligi poteſt, Eraſmũ Arrij parti, quàm Eccleſiæ Chriſti æquiorem fuiſſe. Id quod ne ipſe quidem diſſimulare poteſt. Diſertè enim pronunciat, licet verba illa in ſacris literis reperiantur, non tamen ex eo effici, vt Arrianorum ſententia falſa ſit. Verùm enimuero, quod in ſanctis libris fecit, idem ſibi in ſcriptis Maiorum noſtrorum faciendum eſſe putauit. De omnibus enim ſanctorum patrũ libris ſententiam protulit, cenſuraſq; in eos ędidit, quibus non pauca reijcit, tanquam ea notha & adulterina ſint: nec ab ijs, quorum nomine leguntur, prodita. In quibus, ſi quis nihil momenti ad diuina ſtabilienda ineſſe putet, is de pluribus, ijſq; nõ vulgaribus religionis noſtræ partibus dubitet, neceſſe eſt. Quo id conſilio fecerit, viderit ipſe. Certè dum ea, quæ de Monachorũ regula ſcribit Hieronymus, inter ſcripta eius

Hæc omnia in lib. annot. in nou. teſt.

Eraſmus Arrianis, quàm Eccleſiæ æquior.

Quæ ſint ſcripta, quæ Eraſ. patrum eſſe negat.

pta eius

pta eius non cenſet locanda, Lutheranorum partes tueri videtur, quibus monaſticæ vitæ inſtitutũ fabula quædam, & inanis res eſt. Nec minori piaculo, quę eiuſdem argumenti ſunt, ex Auguſtino detruncat. Atq; etiam grauiter Eccleſiã offendit, cum de numero operũ, quæ Cyprianus ſcripſiſſe dicitur, ea aufert, quibus Eccleſiæ illa dogmata corroborantur, quæ de ſanctorum, qui cum cælitibus vitam immortalem degunt, reliquijs: & ſacra vnctione: baptiſmi cęremonijs: alijſq; nouæ legis ſacramentis ſtatuta ſunt. Quæ cum ita ſint, dubium non eſt, Eraſmũ eius libertatis, quam nunc hæretici in rebus diuinis vſurpant, parentem & magiſtrũ fuiſſe, vt, ſi quis lucubrationes illius accuratè & cum iudicio legat, librũ cõficere poſsit, quo Eraſmum omnium errorum, quos Lutheri ſoboles Euangelij titulo imperitę plebi obtrudit, cauſam præbuiſſe demonſtret. Nemo enim de traditionibus, de Eccleſiæ authoritate, de conciliorum ac Maiorum decretis, & patrum cõmentarijs atq; explanationibus, quibus illi ſanctas literas illuſtrarunt, tam liberè, tam impudenter, tam ſine vlla reuerentia locutus ante fuerat, quàm Eraſmus in lucem prodiret. Huius ergò imitatione & exemplo, Lutherus, eos, quos diximus, libros faceſſere iuſsit, atq; ex albo eorum, qui iure optimo & meritiſsimo diuini dicuntur, ſegregauit.

Eraſmus parens errorum, qui noſtro tempore graſſantur.

Sed iam ad id, de quo nobis ſermo inſtitutus fuit, redeamus: & faciamus planum, nõ eſſe apud hæreticos ſcripturas: ex eo etiã colligi, quod perperam & malignè eas ex Hebræo, aut Græco in Latinũ aliumúe ſermonẽ cõuertant. Ac quòd (ſimul atq; Lutherus à nobis deſciuit) ſacros libros verterit, ac germanicè expreſſerit, ſupra di-

Hæreticos noſtri temporis ſcripturas non habere.

prà dictum eſt. Nihil hîc dicam de hæreticis, qui ſuperioribus ſæculis vixerunt. De ijs tantũ loquar, qui nos ab Eccleſia CHRISTI alienos, & eius hoſtes eſſe dicunt. Ac primùm, quo conſilio ſacros libros vertant, deinde quàm fideliter id faciant, dicendum eſt. Quòd ſcopus & finis, quem propoſitũ habuit Lutherus, cùm vertere ſacra Biblia inſtituit, malus, & inſidiarum plenus fuerit, illud demonſtrat: quòd mutare, & planè abrogare eam doctrinam voluit, quam tot ſæculis Eccleſia, quàm late patuerat, venerata eſt. Nam ſi eadem docere, nec quicquam proponere, quod ab Eccleſiæ dogmatibus diſsideret, ſtatutum habuiſſet, nunquam aliter, quàm Eccleſia, ſcripturã interpretatus fuiſſet. Sed quia docere noua non poterat, niſi nouè etiam ſcripturam explanaret, atq; ad ſuum inſtitutum volũtatemq; accommodaret, ideò neceſſe illi fuit, nouas, & nondum auditas translationes moliri. Ac fecit ille hoc callidè inprimis atq; aſtutè. Quò enim hoc à vulgo impetraret, vt cœleſtis Doctor & Apoſtolus haberetur, danda ei opera erat, vt omnibus perſuaderet, ſuperiorum temporum Pontifices, Epiſcopos, & Eccleſiæ miniſtros, vera ſcripturarum intelligentia quæ eſſet, ignoraſſe. Quod, vt ex animi ſententia conficeret, veterem tranſlationem damnauit, & nouum Pſalterium, noua Prophetarum oracula, noua Chriſti Euangelia popularis turbæ auribus donauit. Neq; verò res ei non fœliciter ceſsit. Nam ſimul atq; recens Bibliorum conuerſio ab eo elaborata in lucem prodijt, continuò tanquam de cœlo miſſa eſſet, ſuos admiratores reperit, qui & reprehenderent Maiores ac patres illos noſtros, quaſi Euangelij puritas nulli eis curæ fuiſſet: & vniuerſum Chriſtiano-

Quo conſilio, & qua fide ſacros libros vertant Euangelici.

Lutheri aſtus, & calliditas.

ſtianorum cœtum,quicũq; tum eſſet,damnarent,quòd antiquam ſcripturæ translationẽ,ſicuti ab Eccleſia Romana ſtatutum eſſet,ſequerentur. Sed qualis rogo illa Martini Lutheri tranſlatio fuit? Talis ſanè,prout ego à viris doctrina & probitate excellentibus audiui, vt homini Chriſtiano viã potius ad Iudaiſmum, q̃;ad Chriſtianam pietatẽ cõmonſtraret. Neq; verò eos,qui in ea ſententia ſunt, falli vnq̃; putarim. Nam cùm Martinus Lutherus Hebræorum doctores & Rabinos imitari,& ſcripturã ad eorũ voluntatem, q̃; iuxta patrũ mentem conuertere mallet, cui dubium eſt,quin illud etiã cõſequẽs foret,vt ex ea verſione Iudæorũ verius,q̃; Chriſtianorũ ſenſus & dogmata hauriri poſſent? Ex quibus intelligitur, Luherũ, & qui eũ ſecuti,libros ſacros dũ Latinos facere voluerunt,nõ reſpexiſſe ad charitatẽ,cuius propriũ officiũ eſt ædificare,ſicut ſanctæ literæ docent: ſed partim eos,qui præteritis ætatibus ſacros libros explanarunt,veluti linguarũ & veritatis ignaros arguere: partim ſuos errores & deliria firmare ac roborare voluiſſe. Ac quod Maiores noſtros damnare ignorationis & imperitiæ voluerint,illud nõ obſcurè patefecit,quòd non ſunt veriti eam tranſlationem,quæ ſeptuaginta interpretibus adſcribitur,reprehẽdere,& tanq̃; minus integra fide prodita ſit, notare: ac Hieronymum, qui in eadem quoq; re operam & laborem poſuit, carpere & ſugillare. Lutherus enim de ſanctorũ librorũ verſione loquens, Hieronymũ, & alios veteres interpretes ſæpè hallucinatos fuiſſe affirmat:& ſe illis anteponere nõ veret. Atq; ea (inquit) cauſa eſt,quòd Hieronymus, aliiq; veteres interpretes tã ſæpe ſint hallucinati. Quanq̃; aũt meum ſtudium,quod in hanc tranſlationẽ poſui,commendare ipſe nec debeam,nec velim:hoc tamen certò ,,

Verſio ſacrorum librorum Luthero authore qualis.

1.Cor.14.

Lutherus damnat omnes interpretes.

confirmare

,, confirmare poſſum, quòd innumeris in locis ſententi-
,, am clarius, & maiore cum fide defenderim, quàm Hie-
,, ronymus. Quis vnquàm de ſe talia prædicare aude-
ret, in quo aliqua modo probitatis & modeſtię Chriſti-
anæ vis ineſſet? Ergo, ſi Lutherus auditur, non Hiero-
nymus ſolùm, ſed interpretes etiã ſeptuaginta turpiter
errauerunt? Sed audi, quanto ſupercilio idem ſibi aſſu-
mat Zuinglius, cui deficiendi à nobis author Lutherus
fuit. Is enim Eſaiæ quædam verba explanans: Inuenie-
Zuinglius idem facit. bam (inquit) apud ſeptuaginta, quæ Hieronymus igno-
rauiſſe videbatur: & cõtrà, apud Hieronymum multa,
,, quæ iſti ignorauerunt. Nec ſeſe continet, quin & Hie-
,, ronymo, & ſeptuaginta interpretibus, collegam ſuum
,, Oecolampadium anteponat. Ita enim pauló pòſt ait:
Omnibus præfert ſuum Oecolampad. Dedit nobis poſt iſtos Eſaiam & Oecolampadius, vir
vndiq; abſolutior, q̃; pro multitudinis opinione, adeò
,, commentarijs illuſtratum, vt, quod ad ſenſum attinet,
,, & ſacrarum literarum collationem, nullum vnquàm
,, opus exierit à quoquam, quod æquius poſsit Cornu-
,, copiæ appellari. Vides, Chriſtiane lector, quò iſti ſpe-
Hæretici huius temporis ſuas tralationes ei anteponunt, quam Chriſtus approbauit, & Apoſtoli. ctarint, & quanta eorum ſuperbia atq; arrogantia fue-
rit, vt ſuas tranſlationes nõ dubitarint ei præferre, quam
CHRISTVS & Apoſtoli approbarunt: quandoquidem
ex ea teſtimonia adduxerunt, quibus Chriſtianæ fidei
primordia confirmarent? Atqui mille & quingentis ab
hinc annis, neq; Græci, neq; Latini ſcriptores, quod ad
vetus teſtamentum attinet, aliam, quàm ſeptuaginta in-
terpretum, tranſlationem admiſerunt. Nam etſi Diuus
Hieronymus libros poſtea ſacros de Hebræo in Lati-
num cõuerterit, tamen Clemens, Dionyſius, Ignatius,
Polycarpus, Irenæus, Iuſtinus martyr, Clemens Ale-
xandri-

xādrinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Athanaſius, & alij ſancti & illuſtres viri, qui Hieronymum ætate anteceſſerunt, cum̄ de rebus ſacris ſcribere conſtituerunt, ſeptuaginta interpretes ſibi ſequendos eſſe duxerunt: quòd certum eſſe crederent, eos afflatos ſpiritus ſancti numine, ſacra volumina explanaſſe. Solent illi quidem interdum Aquilam, Theodotionem, Symmachum, & alios citare: ſed æditionem à ſeptuaginta proditam, tanq̃; cæleſtia oracula venerantur. Quinetiā poſteaquàm Hieronymus biblia ex hebræa veritate tranſtulit, magnos clamores & tumultus apud plebem, quę multò ſimplicior & magis pia fuit, quàm noſtri homines ſunt, excitauit, vt ex Auguſtini ſcriptis perſpicitur: tantum abeſt, vt eius labor omnibus ſatisfecerit, & vtilis viſus ſit. Quæ ergo temeritas iſtorum hominum fuit, velle eam translationem, quæ tot ſæculis conſecrata, tot ſanctorum hominum, tot gentium ac populorum ore vſurpata & decantata fuit, labefactare? Qui hoc inſtituto moti, ad ſacros libros transferendos ſe cōtulerunt, ijs ne ſpiritus Chriſti, qui clauis ſcripturarū eſt, gratiam præſtò affuturam putes? Caue ne id vnquàm perſuaſum habeas. Nam cum ij eo animo hunc laborem ſuſcęperint, vt eam tranſlationem ſanctorum librorum damnarent, quam à CHRISTO accepit Eccleſia, eamq; ipſam Eccleſiam compluribus ſæculis erraſſe demonſtrarent, credibile non eſt, Chriſti ſpiritum eis ſcripturarum ſenſum aperuiſſe. Quis enim credat fieri poſſe, vt CHRISTI ſpiritus quicquam in mentem immittat, quod ipſius ſponſæ, quæ Eccleſia eſt, aduerſetur? CHRISTVS tanto amore Eccleſiam proſecutus eſt, vt pro ea mortē acerbiſsimam pertulerit, quò eam ſanctam,

Auguſt. in Epiſt. ad Hier.

Chriſti ſpiritus contra ipſius Eccleſiam nemini fauet.

ſanctam, & ab omni labe puram atq; integram efficeret. Quid ergo? Credendum eſt, fieri potuiſſe, vt ille ſuum ſpiritum ijs impertiretur, qui contra Eccleſiam bellum gerunt? Quis tam mentis inops fuerit, vt à ſpiritu ſancto afflari & illuſtrari ad ea myſteria percipienda, quæ in ſacris literis continentur, eos putet, qui contemnentes CHRISTI præceptum, non audiunt Eccleſiam, ac proinde in Ethnicorum ac publicanorũ numero habendi ſunt? Abſit, vt talia vnq̃; cogitare pio cuiquam in mentem veniat. Quin potius qui tales ſunt, ij, ſicut Euangelium docet, canes, porci, & cœleſtibus margaritis indigni iudicentur. Nemo eſt, qui Iudæos nõ exe-cretur, quòd idcirco ſanctos libros legant, vt omnia, q̃ de Chriſto dicuntur, deprauent, & contra Chriſtum arma ſuſcipiant. Atqui hæretici, qui Iudæos hac parte imitantur, eò diuina ſcripta vertenda & explananda ſuſcipiunt, vt Eccleſiam bello appetant: & dogmata, quæ illa hactenus ſeruauit, euertant. Efficitur ergo, vt non minori quàm Iudæi nobis odio eſſe debeant, quippe qui eodẽ Chriſtianos perſequendi, eiſq; cõtradicẽdi ſtudio ducantur: nec aliter, q̃; illi, ſcripturã deprauent & corrumpant. Ac mirum eſt, tanta eſſe homines iſtos cæcitate mentis perculſos, vt non videant, ſe eo maximè errare, ac turpiter decipi, quòd in eruendis ſacræ ſcripturę ſenſibus tam addicti Iudæis ſint, vt quicquid illi dicant, id ſequantur: & reiecta ac pro nihilo habita Eccleſiæ authoritate ac iudicio, in ſacrarum literarum explanatione, Synagogæ, quæ iam non Chriſti ſponſa, ſed meretrix & adultera eſt, mẽdacia amplectantur. Sed iam audi, & intelliges, quàm verũ illud ſit, quod paulò antè dixi, nimirum iſtos homines idcirco

Epheſ. 4.

Math. 18.

Iudæi, & Hæretici quo animo legant ſanctos libros, & eos transferant.

Hæretici huius temporis in ſacris libris vertendis malunt Synagogam, quàm Chriſti Eccleſiam audire.

ſacros libros vertiſſe, vt eos ad ſuum inſtitutũ accommodarēt,& ad ſtabiliendos errores, quos defendũt, detorquerent. Lutherus,poſteaq; ſe à noſtro cœtu ſegregauit, ſtatim in ſacerdotiũ Chriſtianæ legis impetũ fecit, idq; ſibi ante omnia abrogandũ atq, abolendũ eſſe cõſtituit. Quid ergo hic fecit? Videbat ei opinioni,quã ipſe tueretur, quòd nec CHRISTVS ſub panis & vini ſpeciebus, corpus & ſanguinem ſuum obtuliſſet: nec Melchiſedech,qui panem & vinũ obtulit,Chriſti figuram geſſiſſet, aduerſari illud, quod Propheta ſcribit, & repetit Apoſtolus: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Quare id ita vertit & explanat,vt Melchiſedech CHRISTI ea in re,quam diximus,imaginem præbuiſſe neget. Neq; verò Lutherus tantũ, ſed oẽs etiam, quotquot illius imitatione, ſacros libros hoc tempore vertunt,ita ea verba explanant, vt contra vniuerſæ CHRISTI Eccleſiæ ſententiam inficiētur ſacrificium nouę legis à Chriſto, in panis & vini ſpeciebus, iuxta ordinẽ Melchiſedech inſtitutũ fuiſſe: ex eoq; effici volunt,vt & Miſſæ ſacrificium execrandum ſit, & nullum in nouo Teſtamento Sacerdotium exiſtat: Quod ſanè ſcelus tam immane & inuſitatum eſt, vt nullis poſſit ſupplicijs vindicari. Atqui olim Lutherus, cum in eum Pſalmũ cõmentarios ædidiſſet, palàm affirmauit, Melchiſedech pro Abraham panem & vinum obtuliſſe, & Chriſti ſacerdotiũ adumbraſſe. Quod vt apertius perſpiciatur,libet eius verba ſubijcere,q̃ habent ad hũc modũ: Quid eſt(inquit)quòd Melchiſedech panẽ & vinũ obtulit pro Abrahã? Ibi expreſſit ſacerdotiũ in hoc tempore, vſq; ad nouiſsimũ diem, quod abſconditũ Sacramentũ altaris ſacri corporis &

Pſalm. 109.

Verba Lutheri de Sacerdotio in explanat. eiuſdem Pſalmi.

pretioſi ſanguinis ſui offert in Eccleſia. Hæc ille ſub initio eius Tragœdię, quã in Chriſtianorũ orbem moliebatur. Verum paulò pòſt publicus Eccleſiæ hoſtis & perduellis effectus, & ab omnibus, tam Latinis, quàm Gręcis ſcriptoribus, hac in re diſſentiens, tum Sacerdotium, tum ſacrificium, & oblationem altaris deteſtatus, ac omnibus maledictis, & conuitijs inſectatus eſt.

Noui ſcripturæ interpretes malunt Pſalmum 71. de Salomone, quàm de Christo interpretari.

Sed nec moleſtũ tibi ſit, Chriſtiane lector, quòd alio etiam exẽplo in mediũ allato intelligas, quò impietatis progreſsi tandem ſint noui iſti ſacrorũ librorũ interpretes, dum Synagogæ Iudæorũ, quæ iam non Moſis, ſed Sathanæ eſt, quàm Chriſti Eccleſiæ plus fidei adhibendũ eſſe cenſent. Quicunq; hactenus in cętu Chriſtianorũ doctrinæ laude claruerũt, & Pſalterium Dauidis explanarũt, ij quæ pſalmo ſeptuageſimo primo ille vaticinatus eſt, ea omnia de Chriſto potius, q̃; de Salomone, contrà ac Iudæi ſentiunt, prædicta fuiſſe confirmant. Noſtri verò temporis hęretici, cùm malint perfidos, & Chriſtianæ religionis hoſtes Iudæos, q̃; ſanctiſsimos illos Maiores noſtros ſequi, ea de Salomone, quàm de CHRISTO interpretari malunt. Hebręorũ linguæ ſtudium tanta contentione & ſtudio affectatum, quis vnq̃; probarit? Te ne, vt vſq; eò Iudęorum opinionibus addicas & quaſi conſecres, vt nihil tibi ſatisfaciat, niſi quod ex illorum turbidis fontibus hauſtum ſit? Tu ne, qui CHRISTI ſacris initiatus es, vt placeas gẽti perditæ atq; impiæ, cõmittes, vt ea vel ſentias vel ſcribas, quæ Chriſto Deo, & hominibus pijs, ſanctiſq; diſpliceant? Quanto prudentius & Chriſtianius faceres, ſi tuam ſimul & eorum miſeriam & inſaniam deplorares, quòd in tanta

Deplorandi magis Hebrei Christiano, quàm ſequẽdi.

optima-

optimarum frugum copia, quanta in explanationibus, & commentarijs ſanctorum patrũ abundat, tu cum illis vnà ſiliquis porcorũ veſci malis: q̃ neq; famem eximũt, neq; vires animi alunt, ſed exhauriunt potius, & corrumpunt. Verùm, vt ad propoſitum reuertatur oratio, quanta horũ hominũ temeritas ſit, quanta rerũ nouarũ cupiditate capiantur, quantò accenſi in Eccleſiam odio ſint, ex eo etiam perſpicies, quòd dum malunt in Iudæorum Synagogis falſitatis ſpiritum conſulere, quàm ex ſpiritu veritatis in Eccleſia Chriſti ſacra noſtræ fidei myſteria perdiſcere, quæ verba de creatione hominis Catholici, quicũq; in cœtu Chriſtianorũ fuère, ita explanarunt, vt hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei procreatum dicerent, ea iſti verba ita mutarunt ac peruerterunt, vt alius (in imagine) alius (ſimulachro) pro eo, quod eſt (ad imaginem & ſimilitudinem) verterit: & pulcherrimas ſentẽtias, quas inde Maiores noſtri cõtra peſtiferas hæreticorũ opiniones eliciunt, in dubiũ vocarint. Longũ fuerit demonſtrare, & propoſitis exemplis patefacere, q̃ fœdè iſti ſcripta ſancta vel Germanica, vel Latina faciant, dum ea ad ſomnia, quæ defendunt, detorquere volunt. Inſigne illud & memorabile eſt, quod mihi anno ſuperiore narrauit Georgius Vvicelius, vir probus, & linguarũ excellenter peritus, cum Francofordiæ in comitatu Chriſtianiſsimi Rom. Cæſ. Ferdinandi eodẽ hoſpitio vteremur, multaq; de hęreſibus hui⁹ ætatis colloqueremur. Id verò eſt, quòd ea Sophonię Prophetę verba, quib. ille prędicit fore, vt Deus de medio tollat æditituos: Luther. ita torquet, vt de Monachis eũ vaticinatũ eſſe contendat. Sed eiuſmodi loca, in quib. Lutherus apertè ſcripturis vim affert, & planè

Hæretici verba Moſis de creatione hominis corruperunt.

Munſterus.

Tigurini.

Mira Lutheri impudentia.

VVicelij liber de erroribus Lutheri.

eas deprauat ac corrũpit, iuſto & amplo volumine, innumera eſſe oſtẽdit idem Vvicelius. Quare nos lectorem ad eum reijcimus. Sed ille ipſe Lutherus, quẽ paulò ante (lector) audiſti, tantis ſe laudibus extuliſſe, vt ſe doctius & verius, quàm Hieronymum, & ſeptuaginta interpretes, ſacras literas explanaſſe ſupercilio, & arrogantia pluſq̃ Thraſonica iactaret, neceſſe eſt, ſcias, quò illius ingeniũ melius habeas perſpectum, ea verſione, qua quinq; Moyſis libros, pſalteriũ, & alios Prophetas, interpretatus erat, damnata, alteram elaboraſſe, atq; in lucem dediſſe, palamq́; faſſum fuiſſe, turpiter ſe erraſſe.

Lutherus nouam edidit translationẽ, & faſſus eſt, ſe erraſſe.

Qua de re loquens, ita ad ſuum Pellicanum ſcribit: Si non eſt excuſus Pſalmus vndecimus, velim deleas in fine vltimæ paginæ B. 11. verſus, cum tribus ſequentibus verſibus literæ C. Vides enim quàm ibi fœdè er- „rauerim in vocabulo סביב. Et paulò pòſt ad eundem: „Iam quod oblitus Pſalmo 13. Quicquid de verbo „משכיל ſomniaui per 26. verſus, dele quæſo. Et tamen, quæ hîc audiuiſti, publicè pro roſtris populo credenda Lutherus propoſuit, & è cœlo ſe ea habere affirmauit. Sed & Zuinglius, eius ęmulus, quẽ paulò antè diximus ita de ſe magnificè ſenſiſſe, vt ſeptuaginta, & Hieronymũ imperitię linguarũ notarit, nõ dubitat palàm fateri, ſe, Pellicani, & Leonis hortatu, ſæpè ſententiã mutaſſe.

Zuinglius fatetur ſe mutaſſe ſæpè ſententiam hortatu Pellicani, & Leonis.

Quoties (inquit) factũ eſt, vt Pellicani, & Leonis cõmilitonũ noſtrorũ admonitione allata, ſententiã mutauerimus? Quoties vt & iſti ſuã, reclamantib. licet Rabinis oĩbus? Sed quid ego nũc multa verba prodigã? Lutherus nõ ſe tantũ, ſed ſuum etiã Munſterum, & Pagninũ, atq; alios ideo lapſos crebro fuiſſe in ſacris libris vertẽdis affirmat, quod Hebræorum cõmentarijs nimiũ ſeſe adſtrin-

adſtrinxerint,q̃,vt ipſe ait,de Chriſto prauas habẽt opiniones. Sed præſtat eius verba ſubijcere: Moyſes,inqt, & ſcriptura,Iudęis noſtri tẽporis incognita eſt,nec verè apud eos eſt Moyſes antiquus,qui vtiq; vult Meſsiæ teſtis eſſe: cũ igitur Meſsiã tam ſcelerate tractent,impoſſibile eſt,eos Moyſen, vel in vno verſu ritè intelligere. ››

Lutherus fatetur erraſſe Munſterum, & Vagninum in præfat. in Biblia.

Quod ſi Moyſes(vel Lutheri teſtimonio)in Synagoga Iudæorũ locũ nõ habet,nec fieri poteſt,vt Iudęi,ſi Moyſen legant,vel vnũ eius verſum rectè intelligant,relinquitur,vt dicendũ ſit,Moyſen illũ,qui de Meſsia cõcionatur,in Eccleſia Chriſti eſſe,& proinde in ea loquentẽ & audiri & intelligi: cur ergo cũ Lutherus in Synagoga Iudæorũ q̃ſiuit, cùm neglecta ea explanatione, quã Eccleſia mille & quingẽtis annis ſecuta eſt,Rabinorum ſe explanationibus ipſe addixit, & nouam concinnare tranſlationem voluit? An non ſe hîc Lutherus,& ſuos, ſuo (quod dicitur) gladio iugulat? Si Moyſes non poteſt audiri in commentarijs Hebræorum, qui eum intelligere non poſſunt,quod de Meſsia,cuius ille ortum prædixit, malè ſentiant: qui ſe non videt effici, vt neq; in Lutheri,neq; in aliorum,qui eum imitantur, verſionibus loqui queat idem Moyſes,quando ij,Hebræos ſe Duces ac Magiſtros,in vertendis ſanctis libris,habuiſſe fatentur? Quòd ſi Iudæos affirmamus ſacras literas non habere, quia eas deprauant & corrumpunt, alienoſque eis ſenſus affingunt: quid obſtat,quò minus idem etiam de ijs hæreticis dicamus,quibus Hebræę gentis cõmentationes vice oraculorum ſunt? Sed ſi quis dixerit, Luthero, & eius ſectatoribus fidem accõmodari debere, quòd denuo ſacros libros ad Hebraicæ veritatis normam conuerterint: ne hac quidẽ ratione quicq̃ efficiet.

Suo iugulatur gladio Lutherus.

Moſes, qui de Chriſto concionatur, non loquitur in uerſionibus Euangelicorũ.

Nam eos veteris teſtamenti libros, quos nunc habemus, deprauatos & corruptos eſſe, & cõplurib. in locis ab ijs, quos ſeptuaginta interpretes habuère, & Hieronymus ſecutus eſt, diſcrepare, docent noſtro tẽpore nõ Chriſtiani homines ſolùm, ſed ij etiam, qui & Hebræi ſunt, & Hebræorum lingua exactè animi cogitationes exprimere norunt. Quorum in numero eſt Helias ille Germanus Leuites, qui in Hebraicis literis omnibus noſtræ ætatis hominibus excellere dicitur. Is enim & Elementa mutata, & literas tranſpoſitas eſſe conqueritur: & diuerſas reperiri lectiones, ac omnes ferè codices mendis ſcatere: ſoloſq; eos, qui in Hiſpania excuſi ſunt, minus adulteratos eſſe teſtatur. Ac noſtram editionem, quæ VVLGATA appellatur, tanti ille (ſicuti Cochlæus narrat) facit, vt palàm affirmet, ſe eam nullo negotio poſſe ab omnibus Momorũ reprehenſionibus, morſibus, & calũnijs vindicare. Sed & Pellicanus, qui Lutheri partibus adhæſit, & Hebræorũ ſermonis minimè ignarus fuit, eam Pſalterij interpretationem, quam Eccleſia hactenus ſacroſanctã habuit, ijs verbis effert, atq; extollit: Nunc verò (inquit) geminũ captare ſenſũ annixi, tanta dexteritate, & eruditione, & fide cũ Hebraico, q̃ ad ſenſũ, cõcordare deprehendimus

Libri Hebrei, unde Euangelici ſua biblia uerterunt, corrupti ſunt.

In tabul. 2. Maſoreth. orat. 1.

Heliæ Hebræi iudicium de Vulgata uerſione.

Pellicani de Pſalterio uulgatæ editionis iudicium.

„ VVLGATAM ęditionẽ Pſalterij, vt eruditiſsimũ pariter-
„ que pijſsimum, & verè Prophetali ſpiritu præditũ fuiſſe
„ interpretem Græcũ & Latinum, non dubitem, quam-
„ q̃; alicubi diſſentiat à punctis Hebraicis, quibus nũc Iu-
„ dæi vtuntur, q̃ olim non fuiſſe ſimilia, ambigere cogor:
„ & quarundam literarũ mutationem factam ſuſpicio fit,
„ conferentibus ſingula diligenter. Hæc ille. Nolo plura, quæ de ea re dici poſſent, commemorare. Hæc dixiſſe

exempli gratia ſit ſatis. Omitto etiam illa, quæ Bruno Amerbachius, qui linguarũ lõge doctiſsimus fuit, ſcripſerit in ea præfatione, quam Pſalterio D. Hieronymi præfixit: qui illud ſe obſeruaſſe commemorat, quòd is Pſalterij liber, qui Venetijs impreſſus eſt, â veteribus manuſcriptis exemplaribus, pleriſq; in locis, omnibus diſsideat. Ex quo ſequitur, vt dubium eſſe vnquam nõ debeat, quin hoc tempore, qui ſe veritatem Hebraicam amplecti gloriantur, ij non veritatẽ, ſed falſitatẽ potius ſequantur, & à vera myſteriorum noſtræ religionis intelligentia abſint quàm longiſsimè. Atq; hæc quidẽ dicta nobis ſint de eo, quod ad vetus attinet teſtamentũ. Ex quibus facile patet, qui eam tranſlationem non audiant, quam Eccleſia audit, eos ſacras literas nõ habere.

Bruno Amerbachius.

Heretici noſtri temporis non ueritatẽ, ſed falſitate Hebraicam ſequuntur.

Iam de nouo etiam teſtamento pauca, eaq; animaduerſione digna dicamus, quę etiam non obſcurè demõſtrẽt, q̃; fideliter iſti ſacras literas de eo ſermone, quo illæ proditæ ſunt, vertant. Quòd Martinus Lutherus cũ primum Eccleſiæ CHRISTI bellum indixit, eo fuerit aĩo, vt nulla tam ſacroſancta, auguſtaq; eſſet ſcriptura, quam ille non eſſet deprauaturus, modò Pontificis dignitatẽ, & Catholicæ Eccleſiæ authoritatẽ labefactaret, veræq; religioni damnũ aliquod afferret, argumento eſt illud, quòd ſcribit Caroloſtadium ſibi rem maximè gratam facturum fuiſſe, ſi verba, quæ Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo inſtituit, alio ſenſu accipi poſſe docuiſſet, q̃; is eſſet, quo ea Eccleſia interpretaretur. Se quidem quò id efficere poſſet, nullum nõ lapidem mouiſſe, nihil tamen efficere potuiſſe: quòd tanta e orum verborũ vis eſſet, nulla vt arte, aut ratione, in aliam ſententiam

Nouum teſtamentum qua fide uertant, & tractent Euangelici.

Hereticus Lutheri animus & prõpitudo ad diuinas literas deprauandas in Epiſtola ad Argẽtinenſes expreſſus.

tentiam flecti poſſent. Ac ſicuti illi hoc vnum in votis erat, vt dignitatẽ ſummi Paſtoris, in cuius poteſtate Ecclesiæ ſalus conſiſtit, oppugnaret: ita nihil habuit antiquius, q̃; vt ſcripturas ad hoc ſuũ propoſitũ detorqueret, & contra Apoſtolorũ conſuetudinem Eccleſiæ inſtitutum, multorumq́; deinceps populorum cõſenſum explanaret. Quod ergo in veteri teſtamento fecit, idem in nouo ſibi faciendũ putauit. Itaq; illud expoſuit, ac Germanica lingua donauit, vt complura eius loca ad ſua deliria; & impia commenta accõmodaret. Nos pauca ex eis perſtringemus, deinde orationem conuertemus ad eos, qui Lutheri exemplo ſibi quoque eadem licere voluerunt. Illa ergo verba, quæ CHRISTVS ait: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, Lutherus in hunc modũ vertit. Hic eſt panis meus, hoc eſt vinum meum. Nemo vnq̃;, ex Græcis aut Latinis explanatoribus, auſus eſt illa verba CHRISTI mutare: ſed omnes pro eo, ac par erat, ſumma religione coluerunt, & admiranda magis, quàm ore temerè vſurpanda eſſe putarunt. Solus ex omnium mortalium, qui Chriſti ſanctiſsimũ numen venerantur, Lutherus, quia ſimul cũ corpore & ſanguine Chriſti, manere panis & vini ſubſtantias credit, ea non ſolũ non admiratur, quod facere debuiſſet, ſed peruertit etiã, atq; apertè corrumpit. Illud quod Apoſtolus ait: Per Chriſtum habemus acceſſum, per fidem, in gratiam iſtam, in qua ſtamus: Lutherus ita vertit (cum nititur demonſtrare, omnibus Chriſtianis licere ſacerdotio fungi) vt dicat: Per CHRISTVM habemus acceſſum ad Deum, Et reliqua, quæ in medio poſita ſunt, omittit. Atq; etiam verba illa Pauli: Qui idoneos fecit nos miniſtros noui Teſtamẽti,

Hierony. contra Luciferianos.

Loca Apoſtoli à Luthero deprauata.

Rom. 5.

non

non literæ, ſed ſpiritus: ille ita vertit, aut peruertit poti- 2. Cor. 3
us, vt non de ſolis Eccleſiæ miniſtris & Sacerdotibus,
ſed de omnibus Sacerdotibus dicta videantur. Hæc mi-
hi recitaſſe ſit ſatis, quòd ex ijs facilè intelligi poſsit,
quanta fide ſcripturas verterit Lutherus. Plura qui
velit, eaq́; plenius cognoſcere, legat Roffenſem Epiſ-
copum & Martyrem, & Vvicelium, Hieronymumq́;
Empſerũ, atq; alios doctrina & pietate ſingulari homi-
nes, qui de Lutheri eius generis erroribus egregia volu-
mina cõſcripſerunt. Veniam ad eos, qui ex illius offici-
na prodierunt, inter quos primus occurrit Melanthon.
Is complura ſanctorũ librorũ loca incredibili impuden-
tia deprauauit. Huius rei exemplo eſt illud, quod Pau-
lus ait: Nam corporalis exercitatio ad modicum
vtilis eſt. Philippus, quia ſentit bona opera, inter quæ *Melanthon.*
ieiunium locari debet, ad vitam ſempiternam adipiſcē-
dam parum vtilia eſſe, aut nihil omninò momenti ha- *Loca Apoſtoli*
bere, ad hunc modũ verba illa transfert: Nam abſtinen- *corrupta.*
tia ad modicũ vtilis eſt. Qui attentè legerit Philippi lo-
cos communes, quos ſingulis penè annis mutat, & re-
cudit, infinita, quæ talia ſint, offendet. Zuinglius dum *Zuinglius.*
ſomniat, infantes ſine vllo originis peccato naſci, quo
in errore olim Pelagiani fuêre, & noſtro tempore eos *Rom. 5.*
imitatus eſt Eraſmus, quod eſt apud Paulum, ἐφ᾽ ᾧ, qua- *Eraſmus.*
tenus omnes peccauerunt, vertere mauult, quàm in
quo omnes peccauerunt, quod vetus expreſſerat inter-
pres. Caluinus verba illa Pauli: Saluos nos fecit per *Tit. 3.*
lauacrum regenerationis, & renouationis ſpiritus ſan- *Caluinus re-*
cti, quem effudit in nos abundè per Ieſum CHRISTVM *nouat errorē*
ſaluatorē noſtrũ: Sic explanat, vt non ſpiritus ſanctus, *Maſſalianorũ.*
ſed baptiſmus in nos effuſus à Deo fuiſſe intelligatur.

Itaq; Caluini iudicio Deus in baptiſmo non donat nos ſpiritu ſancto: Qui error iam olim dãnatus eſt in Maſſalianis. Idem, quod eſt in earum priore Epiſtolarum, quas Paulus ad Corinthios ſcripſit: Abundantius illis omnibus laboraui, nõ ego, ſed gratia Dei mecũ: ita exponit, vt dicat nihil Paulum, ſed Dei gratiam omnia effeciſſe. Quam ſententiam execrandam eſſe, docent cõcilia Aphricana, Auguſtini & Innocentij ætate habita, quæ aduerſus Pelagianorum inſaniam, in ſanctis operibus gratiam Dei nobis eſſe cooperatricem, pronunciant. Quinetiam cum omnes ſint in ea opinione, vt dicant, ſola fide peccatorum veniam & iuſtitiam obtineri: verba illa (Iuſtificati ex fide, pacem habeamus) Ipſi præſentis verbo exprimũt, & dicunt (pacem habemus). Tum enim demum pacatas eſſe conſcientias dicunt, ſi credant ſibi remiſſa eſſe peccata propter CHRISTVM. Ex qua interpretatione ſtatuere conantur ſuũ illud dogma de fide ſpeciali, qua quiſq; certò ſtatuit ſibi condonata omnia delicta: ſeq; in Dei filium cooptatum eſſe; quòd id CHRISTVS morte ſua obtinuerit. Quam de ea fide, quam illi ſpecialem cõſtituunt, ſententiam, hæreticam eſſe, declarauit ſacroſancta ſynodus, quæ Tridenti coacta eſt. Ex ijs, quæ diximus, & compluribus, quæ ad eam rem adduci poſſent, apparet, veram eſſe illam Tertulliani vocem, qui ait: Vbi diuerſitas doctrinę ſit, illic adulterationem ſcripturarum reperiri. Nec minus verum illud eſt, quod à quodam viro ſancto, & noſtri temporis Martyre dictum eſt: Verba Chriſti, ſi ore hæreticorum vſurpentur, verba eſſe Diaboli: & hæreſes atq; errores, qui veræ doctrinæ, & Chriſtianæ religioni aduerſentur. Vnde enim hæreſes, niſi ex ſcripturis aut

1. Cor. 6. *Caluinus negat gratiam Dei operari nobiſcum.*

Rom. 5.

Inanis Lutheranorum fiducia.

Lib. de praeſcript. aduerſ. heret.

Roff. contra cap. Babil.

ris aut corruptis,& deprauatis,aut malè intellectis ortæ ſunt? ſicuti olim dixit Hilarius. Iam quis tam eſt mentis expers, & rerum diuinarum ignarus, quin videat fore, vt breui omnes hæreſes redeant,atq; ab inferis reuocē-tur,quæ ſuperioribus ſæculis Eccleſiam CHRISTI oppugnarunt, ſi iſtorum hominum interpretationes audiantur? An nō breui fiet, vt excitētur ad vitam Quintiliani,qui omnibus ex æquo mortalibus,tam fœminis, quàm hominibus ſacra peragendi poteſtatem fecerūt, ſi Pauli verba, vt Lutherus vult,intelligantur? Nónne Eunomius reuiuiſcet, & eius Pater Aërius, ſi audiatur Philippus, qui ita Pauli verba intelligit, vt ieiunio, & alijs bonis operibus nihil tribuēdum eſſe doceat? Quid Zuinglius? an non Pelagij hæreſes veluti rediuiuos cineres accendit, dum Paulum, prout libitum eſt, interpretatur? Quid Caluinus? an non is quoq; & Maſſalianorum errores & Pelagianorum deliria renouat,ac reſtaurat? Longum fuerit,ac laboris penè infiniti,ſingulatim perſequi errores, & blaſphemias, & hæreſes, quæ reuocabuntur à tenebris in lucem, ſi ſanctæ literæ ita explanentur, vt iſtorum hominum verſiones, & commentarij eas nobis explanant.

De Synod. aduerſ. Arrianos.

Superiorum temporū hæreſes reuocant noui interpretes.

Neq; verò in eo ſolùm peccant, quòd ſanctos libros perperam,& nulla fide in quamcunq; viſum fuerit linguam conuertunt: ſed ob id etiā indigni iudicandi ſunt, qui ſacra Biblia poſsidere dicantur, quòd quæ in eis loca corrumpere conuertendo nequeunt,ea explanando deprauant, & ad ſuam ſinguli opinionem detorquent. Eius rei vnum & alterum proferam exemplū. Scribit Apoſtolus fore, vt in extremo iudicio Deus vnicuiq;

Quæ uertendo nequeunt deprauare heretici, ea ad ſuum inſtitutum detorquent.

Rom. 2.

ſecundum opera eius retribuat. Hæc verba hęretici noſtræ ætatis, quia vident ei ſententiæ aduerſari, qua ipſi pertinacia quadam incredibili opera bona ad vitam immortalem obtinendam conducere negant, ita exponunt, vt ſuæ ea menti ac voluntati, qui mos hæreticorũ *Melanth. in Com. in Epiſt. ad Rom.* proprius eſt, ſeruire cogant. Ac Melanthõ ea tractans, ſecundũ opera (inquit) id eſt, ſecundũ fidem, quam indicant opera. Hanc explanationem quis nõ videt vim afferre verbis Apoſtoli? Paulus dicit, ſecundũ opera, Philippus ait ſecundũ fidem. Hoccine eſt ſcripturas explanare, ac non potius detorquere, & vt Tertullianus ait, alienis expoſitionibus conuertere? Ac ſi Deo placet, is *In Epiſt quam præfixit eius commentarijs.* eſt ille Philippus, quem Martinus Lutherus tam fœlicem ſacris ſcripturę explanandæ artificem fuiſſe credit, vt Origene, & Hieronymo, & Thoma Aquinate lõge ſuperiorem, & Paulo proximum ac penè parem eum faciat. Quin etiam Caluinus, cum in eum locum incidiſſet, in hanc ſententiam eum interpretatus eſt: ſecundum, (inquit) hîc cõſequentiam & ordinem factorum, non cauſam ſignificat: vt ſenſus ſit, poſt opera dabit vi- *Caluin. in cõ. eiuſdem Epiſt.* tam. Sed hæc quoq; expoſitio, quàm à mẽte Pauli aliena ſit, facilè perſpiciet, qui expenderit, primò vocem illam (ſecundum) nuſq̃ in ſanctis literis in eũ ſenſum accipi, vt conſequentiã & ordinem ſignificet, & loco (poſt) præpoſitionis, ponatur. Deinde, quam ſententiã exprimat vox illa (ſecũdum) & cuius vocabuli locum expleat, non poſſe aliunde ſanius intelligi, quàm ex ipſius Apoſtoli verbis, qui eũdem ſenſum alia oratione effert ad Corinthios ſcribens. Omnes (inquit) nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque *1. Cor. 5.* propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malũ.

Atqui

Atqui nec minus ab omni pietatis Chriſtianæ regula alienũ illud eſt, quod Philippus, & Brentius verba illa Prophetæ Dauidis: Tibi ſoli peccaui, ita explanant, vt dicant: Tibi ſolùm pecco, id eſt, quicquid ago peccatum eſt. Quo nimirum ſenſu confirmare ſe putant dogma illud vulgatiſsimũ Lutheri, qui omnia opera bona, quæ ab hominibus fiant, coram Deo peccata eſſe cõtendit. Sed nec alia fraude aut dolo, Dauidis verſiculum, cuius teſtimonio, Eccleſia bonis operibus mercedem repoſitam eſſe confirmat, corrumpit Caluinus. Nam Dauid ait: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes in æternum propter retributionem: Caluinus extremũ illud (propter retributionem) exponit, vſq; ad finẽ, vt omnia operũ præmia tollat. Ac Lutherus etiam, in cuius ſchola reliqui oẽs in peius profecerunt, locum qui eſt apud Eccleſiaſten: Nemo eſt, qui faciat bonum, & nõ peccet: in eum accipit ſenſum, quaſi ſpiritus ſanctus, qui per eum ſcriptorem loquitur, affirmet, neminem eſſe mortalium, qui non in eo delinquat, quod benè facit. Qua ſententia quid poteſt eſſe à Dei puritate magis alienũ? Preterea cùm volunt eas traditiones, quas mille & quingentis annis Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa ſeruauit, reijcere, ſtatim illud proferunt vno omnes ore: Fruſtra me colunt mandatis hominum. Si dixeris: Quadrageſimæ tempore eſſe à carnibus abſtinendum, et quadraginta illos dies ieiunio corporis eſſe dicatos, vt eo, ſicut Eccleſia canit, vitia comprimantur, mens eleuetur, virtuteſq; & præmia acquirantur: mox illud audies: Fruſtrà me colunt mandatis hominũ. Si dixeris, ſanctorũ ſuffragia eſſe imploranda: preces pro mortuis ad Deũ adhibẽdas: corpus &

Pſalm. 50.

Philipp. & Brentius prophetæ locum deprauant.

Pſalm. 118.

Lutherus omnes perpetuò peccare unde probare uelit.

Eccleſ. 7.

Quo ſcripturæ teſtimonio bonam uerbi Dei, quod ſcriptum non eſt, partem heretici reijciunt.

Matth. 15.

Eſaie 29.

Ieiunium quadrageſimæ.

Inuocatio Sanctorum.

Preces pro mortuis.

Sacrificium Miſſæ. Imaginum ueneratio. In orat. in S. Theodorum.

ſanguinem Chriſti in altari offerendum: reliquias diuorum honorandas, imagineſque eorum erigendas, vt (quẽadmodũ D. Gregorius Nyſſenus olim dixit) ſimplicibus & idiotis inſtar librorũ ſint: hæc (inquã) & cõplura alia ſi protuleris, quæ vetuſtatis authoritate, & Chriſtianorum confeſsione conſecrata ſunt, illicò illud occinetur: Fruſtra me colunt mandatis hominũ. Denique, ſi quis queratur, quòd ijs conſtitutionibus & ſtatutis, quas Epiſcopi & Eccleſiæ præſides condiderunt, Lutherani, & alia hæreticorum turba non obtemperet, protinus illa voce pulſatur: Fruſtra me colunt mandatis hominum. Haud aliter Iohannes Brentius modò VVirtenbergenſium propheta ad ſuum torquet commentum, quod eſt apud Petrum: Redempti eſtis de vana conuerſatione paternæ traditionis. Et quod Paulus ad Coloſſenſes ſcribens ait: Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciã, ſecundum traditionẽ hominum. Quaſi Petrus paternã traditionem vocet ea, quæ poſteaq̃ Chriſtus ad patrem aſcendit, Apoſtoli, quorum ipſe principatum tenuit, tradiderunt. Quaſi paternam traditionẽ appellet verba Prophetarum, & præcepta Chriſti, & Apoſtolorũ, quæ, vt illi memoriæ commendent, hortatur. Ac non potius per traditionem paternam, intelligat legis ſeruitutem, cui, qui ſe ad literam dedicarunt, Meſsiam, quem Deus eorũ Maioribus promiſit, non agnouerũt. Quid Paulus? An nõ eos laudat, qui obediunt traditionibus, quas ab eo didicerũt? An non cum Syla vnà Eccleſias corroborat & præcipit, vt cuſtodiant præcepta & traditiones Apoſtolorum & Seniorum? Quas ergo traditiones alias reprehendit Paulus, quàm eas, quas perfidi

Diſciplinam Eccleſiæ quæ authoritate reijciant hæretici.

1. Petri 1.

Coloſſ. 2.

Brentius uerba Petri, & Pauli detorquet.

Paterna traditio quæ ſit apud Petrum.

Act. 15. & 16.

perfidi Iudæi pertinaciter tuebantur? Quod ergo, & quantum ſit ſcelus, hæc de omni genere traditionũ dicta accipere, quis non videt? Sed nec Chriſtus (cũ de Iudęis cõqueritur, quòd ab eis, mandatis hominũ colere?) alias vituperat & abrogat traditiones, q̃ eas, quas Phariſæorũ ſchola de cibo & potu, de oblatione, alijſq; friuolis rebus ſtatuerat, atq; in eis ſummam religiõnis locarat, & eas Dei mãdatis præpoſuerat: licet q̃dam apertè cũ illis pugnarent, vt intelliget, quiſqs ita Chriſti verba, quæ in Euangelio Mathæi leguntur, expenderit, vt conſequentia cum antecedentibus cõnectat, & integrã eorũ ſententiam exquirat. *Chriſti uerba de traditionibus quomodo expendenda.* Sed & illud inſignis cuiuſdã impudentiæ eſt, quod cùm Lutherani oẽs, quorũ nunc Antiſtes dicitur Melanthon, ſentiant, quouis peccato mortali fidem excuti, vt hoc ſuum delirium veriſimile efficiant, illa ſcripturæ verba eo torquẽt: Habentes dãnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt. *1. Timoth. 5.* Ac dicũt primam fidẽ tum irritã fieri, cùm quis capitali ſe peccato obligat, quod tunc fiduciã in Chriſto locare deſinat, *Prima fides apud Paulum quid hæreticis.* cõtrà ac Paulus intelligi voluit, & oẽs vſq; in hanc diem explanatores tum Græci, tum Latini intellexerunt: qui reprehendi eas viduas à Paulo ſcribunt, quæ poſteaquàm vouerunt Chriſto, ſe in perpetua caſtitate victuras, ad nuptias (vt canis ad vomitum) redeunt. *Quid prima fides patribus. 2. Pet. 3.* Itaq;, vt alios omittam, primam fidẽ Chryſoſtomus, & Oecumenius pactũ: *In Comm. & ſcholijs.* Ambroſius, & Theodoretus profeſsionẽ: Epiphanius, & Hieronymus promiſsionẽ: *Lib. 2. to. 1. hæreſ. 58.* Auguſtinus cũ reliquis, qui Latinè in eam Epiſtolã ſcripſerunt, apud Paulum, votum, ſignificare volunt. *In Epiſt. ad Paulinam. Lib. de ſancta Virginit.* Neque verò obſcurè, quanta iſtorum hominũ perfidia in ſanctis literis prò libidine torquẽdis ſit, ex eo cognoſci poteſt,

quòd Sacramentariorum colluuies, cuius Dux & anteſignanus eſt Caluinus, apertiſsima CHRISTI verba, quæ vel egregius córrumpendæ ſcripturæ artifex Lutherus nulla vi deprauari poſſe fatetur, figuratè intelligenda eſſe contendant, & peruertere non vereantur, ac quod CHRISTVS ait, Hoc eſt corpus meum, hic calix eſt ſanguis meus, illi, (eſt) accipi (pro ſignificat) & corpus (pro figura corporis) ac ſanguinem (pro figura ſanguinis) affirment. Quid iam hîc obſtat, quo minus cum viro ſancto Hilario, de Caluino, & eius Gregalibus dicam: Egregij ſcilicet arbitri, cœleſtium Sacramentorum conquiſitores, inuiſibiliū myſteriorum profeſsionibus de fide DEI calumniantes. Quid hoc ſibi vult? Siccine Chriſti oracula explananda ſunt, vt Chriſtus id dicatur ſentire, quod non ſentit, & mendax eſſe demonſtretur? qui, cùm dicat, ſe corpus, & ſanguinem ſuum diſcipulis præbere: nec corpus, nec ſanguinem, ſed vtriuſq; tantum rei Symbolū, & ſignum præbeat? Quis non dicat in iiſce hominibus verum eſſe deprehendi illud, quod Origenes ait: hæreticorum ora à Diabolo aperiri? An non Diabolus os eius aperit, qui audet affirmare, Chriſtum aliud dediſſe, quàm ipſe dare ſe dixerit? Aperit nimirum non eorum tantum ora, qui talia aſſeuerant, ſed illorum etiam, qui ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum ita explicant, vt mēdaces Prophetas & Apoſtolos efficere velint, quando ea illos dixiſſe fingūt, q̄ ipſis cogitare vnq̄ in mentem veniſſe qui credat, is malè de religione noſtra iudicet? Quis ergò tam cæcus eſt, tamq; in meridie caligat, vt non intelligat, ſcripturas ab eis haberi nō poſſe, qui eas tam impudenter ad ſua ſomnia ſtabilieda corrumpunt?

In Epiſt. ad Argentin.

Sacramentariorum impudentia in torquendis ſcripturis quanta.

In lib. ad Conſtant. Auguſtum.

Heretici Chriſtum faciunt mendacem.

Hom. 31. in Luc.

Heretici mendacia affingūt Prophetis, & Apoſtolis.

corrũpunt? Sed dices, pauca eiuſcemodi loca deprehẽdi poſſe, q̃ illi tam manifeſtè deprauent. Ego verò confirmo, tam multa eſſe, vt ſi ea velim numerãdo recenſere, futurũ ſit, vt me tempus & vires deficiãt. Quid multis opus eſt? Si quis attentè eorũ ſcripta excutiat, & tales ſcripturarũ adulterationes eximere inde velit, polliceri audeo fore, vt p̃ter paginas vacuas, nihil ferè relinquat. Quæ oĩa quiſquis ſecũ non oſcitanter cogitet ac ponderet, is planè cognoſcet, verũ eſſe, quod Epiphanius tradit ab hæreticis ſcripturam non aliter veneno infici, q̃ inficere aquam ſolet ſerpens, qui Dipſas appellatur. Ac quo res apertior ſit, libet ſancti illi⁹ viri verba ob oculos ponere: Qui rerũ (inquit) hiſtorias ſcripſerunt, Dipſadẽ tradũt, quendam ſerpentem, talem veneni perniciẽ inducere. Etenim in locis quibuſdam, vbi fõtes ſunt in petris, aut venæ, ſiue riuuli parui aquarum, qui à petris funduntur in receptaculum aliquod, ipſa Dipſas aquam reperiens, ac bibens, poſtquam bibit, venenum immittit in prædictas aquarum ſtationes: vt omne animal, quod acceſsit, & potu ſe ſatiauit, videatur quidem ſibi vtilitatem percepiſſe ex participatione aquæ: ſtatim verò circa aquarum receptaculum, ex veneno Dipſadis ſuſcepto, cadat, ac moriatur. Quin etſi aliquem percuſſerit ipſa eadem Dipſas, affectio doloris ex veneno ipſius vehementiori vi vſtoria prædito, ad ſitim & appetentiam potus vrget, ſemper ad bibendũ, ac ingerendum potum irritans. At percuſſus, putat ſe aliquid vtilitatis accipere, ad perniciem quoties in lœthali hoc dolore potum ſumit: Verum in ipſo potu, expleto ventre, & non amplius ſuſcipiente, poſtea vnà cum potu animam emittit. Hæc Epiphanius. Ac

To. 3. lib. 1. hereſ. 34.

Quomodo heretici corrũpant, & inficiant ſcripturas, ſimili pulcherrimo oſtenditur.

ſanè ad eundem modum hæretici puros ſcripturarum fontes, venenatis & peſtiferis explanationibus inficiunt. Et ſimplici ac rudi ingenio præditi qui ſunt, eas cùm legunt, ſanam ſe doctrinam haurire putant. Verùm vbi ex eis continenter biberint, hæreſes, & dogmata à veritate aliena, pro cœleſti doctrina amplectuntur, atque ad extremum ea morte, quæ animum interficit, moriuntur. Cum ergò hæretici ſcripta ſancta, Serpentum imitatione, ſuis expoſitionibus, tanquam veneno, corrumpant & vitient, quis ille tam erit veritatis aduerſarius, vt eos purum dei verbum, & ſanam doctrinam habere dicat?

Hæretici ſcripturas ea fide citant, qua eorum pater Diabolus.

Sed age, quo eos ita de poſſeſsione ſcripturarum deturbemus, vt ne minimum quidem iuris illos in cœleſtes literas obtinere appareat, pauliſper conſideremus: quàm integrè & fideliter eas citare ſoleant, cùm aliquid earum teſtimonio confirmare volunt. Quid verò hîc aliud illi facerent, q̃ quod facere eorũ pater Diabolus cõſueuit? Congreſſurus ille cum Chriſto, q̃ purè ſcripturã allegat? In manibus (inquit) portabunt te, ne forte offẽdas ad lapidẽ pedẽ tuũ. Quid hîc Sathanas facit? Quę ad ipſius inſtitutũ facere viderẽtur ea adduxit. Quæ vero aduerſari putauit, ea conſultò prætcrijt. Haud aliter ſanè hæretici, quorum pater Diabolus eſt, quiq; non minus ab eis religioſè colitur, quàm olim ab Ethnicis colebatur. Haud aliter (inquam) ſacras literas proferunt, eodem in eis citandis vtuntur conſilio.

Matth. 4. Pſalm. 90.

Lib. de ſimplic. prælat.

Hæretici corruptores Euangelij.

Nimirũ, vt Cyprianus ait, Corruptores Euangelij atq; interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt; partim memores, partim ſubdolè corrumpentes.

pentes. Vt ipſi ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita capituli vnius »
ſententiam ſcindunt. Nec alienum ab inſtituto eſt, »
quod literis mandauit ea de re Clemens Alexandri- *Strom. lib. 7.*
nus. Quod ſi Propheticis, inquit, ſcripturis vti auſi fue- »
rint, qui perſequuntur hæreſes, primùm quidē non om- »
nibus, deinde non perfectis, neque vt dictat corpus »
& contextura Prophetiæ: ſed eligentes ea, quæ dicta *Heretici quæ*
ſunt ambiguè, traducunt ad proprias opiniones: pau- *in ſcripturis*
cas voces ſparſim carpentes, non id conſiderantes, *ambiguè dicta*
quod ex ipſis ſignificatur, ſed ipſa nuda dictione vten- *ſunt, ad pro-*
tes. Nam in omnibus ferè dictis, quæ adducunt, » *prias opinio-*
inueneris ipſos ſola nomina attendentes, vt qui mu- » *nes traducūt.*
tent ſignificata, neque quemadmodum dicantur, co- »
gnoſcant, neque ijs, quas afferunt, allegationibus, ita »
vt earum natura poſtulat, vtantur. Hæc Clemens. »
Ac meo quidem iudicio conſultiſsimum fuerit ea le-
gere, quæ is vſque ad finem propemodum illius
libri ſcribit. Mirificè enim hæreticorum ingeni- *Ioan. 14.*
um & fraudes exprimunt. Sic Arrius proferebat illud,
Pater maior me eſt. Sed vel ſilentio prætermitte-
bat, vel malignè interpretabatur, quod in eodem
Euangelio legitur: Ego & pater vnum ſumus. Nec *Orat. 1. cont.*
aliud feciſſe Arrij ſectatores, queritur Athanaſius, qui *Arrian.*
eos veritatis ſuppilatores, & omni ſcelere diſtentos *Ioan. 10.*
ac ſuffarcinatos vocat. Atq; etiam Euſebius, qui Pam-
phili dicitur, in eo libro, quem ſcripſit aduerſus Mar-
cellum Ancyranum, qui ſcripturas corruptè & vi-
tioſè citauit: Toto (ait) corpore ſententiæ verborum »
mutilo, & quaſi decurato, & tota conſequentia diſsi- »
mulata, quibuſdam voculis adhærebat, quas malitioſè »
calumniabatur. Sed non eſt neceſſe, vt ea in re multis »

immorer.

immorer. Nemo enim eſt in numero Maiorũ noſtrorum, qui aduerſus aliquem rerum nouarum authorem quicquàm memoriæ & poſteritati conſecrarunt, quin conqueſtus ſit, ſcripturas ab eis infideliter citatas fuiſſe. Id de Valentino, & eius commilitonibus ſcriptum eſt ab Irenæo. Id de Marcione literis prodidit Tertullianus. Id de Nouato annotauit Cyprianus. Id in Eunomio Baſilius. In omnibus ſuperiorum ætatum hæreticis Epiphanius. In Neſtorio Cyrillus. In Vigilantio & Iouiniano Hieronymus. In Manichæis, Pelagianis, Donatiſtis Auguſtinus: In Habailardo Bernardus: In Petrobuſsianis Cluniacenſis obſeruarunt, atq; in literas retulerunt. Idem quoq; noſtro tempore nos magno cum noſtro malo experimur in Luthero, Philippo, Caluino, Brencio, Flacco, & alijs ſectarum & mendaciorum patronis ac defenſoribus. Nam etſi omnes hæretici, quotquot ſæculis ſuperioribus contra Chriſti Eccleſiam arma ſumpſerũt, id ſemper habuerunt in more poſitum, vt de ſcripturis teſtimonia perfidioſè producerent, nulli tamen hæretici vnquàm fuerunt, qui maiore aſtu & dexteritate id fecerint, quàm ij faciunt, qui noſtra ætate bellum contra CHRISTI ſponſam gerunt, quæ, vt Athanaſius ait, inuicta res eſt, etiamſi infernus ipſe commoueatur, & ſi, qui in inferno ſunt, mundi & tenebrarum Principes tumultum faciant. Dici non poteſt, quàm malignè, quàm inſidioſè, quàm fraudulenter iſti ſcripturas ad ſua firmanda proferant, vt verè in eos quadret, quod de omnibus hæreticis generatim literarum monumentis conſignauit Irenæus, cuius hæc ſunt verba: Quomodo ſi quis regis imaginẽ bonam, fabri-

Nulli heretici perfidioſius teſtimonia ex ſcripturis produxerunt, quàm qui noſtro tempore uiuunt.

Orat. qua probat unum eſſe Chriſtum.

Lib. 1. cap. 1. Aptiſsima ſimilitudo.

catam diligenter ex gemmis pretioſis,à ſapiente artifi-
ce, ſoluens ſubiacentis hominis figuram, transferat
gemmas illas,& reformans,faciat ex his formam canis,
vel vulpeculæ:& hanc malè diſpoſitam,dehinc confor-
met, & dicat, hanc eſſe regis illam imaginem bonam, „
quam ſapiens artifex fabricauit: oſtendens gemmas, „
quæ benè quidem à primo artifice in regis imagine cō- „
poſitæ erant, malè vero à poſteriore in canis figuram „
tranſlatæ ſunt: & per gemmarum phantaſiam decipiat „
Idiotas, qui comprehenſionem regalis formæ non ha- „
beant,& ſuadeat,quòd hæc turpis vulpeculæ figura, il- „
la eſt bona regis imago. Eodem modo & hi anicularū „
fabulas aſſumentes,poſt deinde ſermones,& dictiones, „
& parabolas hinc inde afferentes, vt aptare volunt fa- „
bulis ſuis eloquia Dei. Quamobrē cum ij,qui nūc Euā- „
gelici vocari gaudent,neq; omnes (vt diximus) recipi-
ant ſcripturas, neq; quas recipiunt, integras recipiant,
ſed adiectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem
inſtituti ſui interuertant:& diuerſis atq; adulterinis ex-
poſitionibus corrūpant ac deprauent: quis dubitet ve-
riſsimè ſuprà dictū fuiſſe, eos ſcripturas & verbum Dei
non habere;atq; ex eo effici,vt nō habeant purā doctri-
nam, quā ſe habere & tueri tam impudenter prædicāt?
Rectè ergo D. Hieronymus: Marcion (inquit) & Ba-
ſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes non habent Dei
Euangelium,quia non habent ſpiritum ſanctum, quia
ſunt extra Eccleſiam,vbi ſpiritus ſanctus nec datur,nec
habetur. Et eius æqualis Auguſtinus. Non quęrant (in-
quit) ſpiritū ſanctum,niſi in corpore CHRISTI. Extra
hoc corpus neminē viuificat ſpiritus ſanctus, quia ſicut
ipſe dicit Apoſtolus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordi-
bus

Heretici ex imagine regis faciunt canem aut vulpem.

Concludit hæreticos ſcripturas nō habere.

In Comment. in Epiſt. ad Galath. & 1. quæſt. 3. can. Marcion &c.

Extra Eccleſiam Euangelium nemo habet.

Epiſt. 50. ad Bonifacium.

Rom. 5.

bus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Non eſt particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt unitatis.

Iud. in Epiſt.

Non eſt autē particeps diuinæ charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Non habent itaq; ſpiritum ſanctum, qui ſunt extra Eccleſiam. De illis quippe ſcriptum eſt: Qui ſe ipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes. Ac quia carent, & deſtituti planè ſunt eo lumine, quo ſpiritus ſanctus mortales ſolet illuſtrare, vt diuinarum literarum ſenſum percipiant, idcirco fit, vt ſcripturas non intelligant, atq; ideo ne habeant quidem, licet quotidiè eas legant.

Scripturas habere quis dicatur.

Nemo enim ſcripturas habere dicitur, niſi is, qui eas intelligit. Intelligit verò ille, qui cum Eccleſia eas interpretatur, & non ſequitur nudam literam, vt hæretici, qui in eo quantum errent, quod in ſcripturis præter literā nihil aliud ſpectent, intelligere poterunt, ſi volent, ex verbis Diui Athanaſij, qui ſcribens aduerſus eos, qui affirmabant, non oportere verborum ſcripturę ſanctæ ſignificata altius conſiderare.

Turrian. lib. de iuſtificat. ad Germ.

Ergo, inquit, ferè inuenti ſunt, qui res omnes humanas euertere contendant, audeantq;, ne homines iam ratione vtantur,
,, neuè quæ natura ſua optima & pulcherrima ſunt, dili-
,, genter & limatè percalleant: quin potius omnia cōfun-
,, dunt & perturbant, verbis ſanctarum ſcripturarū neq;
,, conſideratè, neq; rectè, neq; piè, vt dicta ſunt, acceptis.

Si quis præter verba in ſcripturis nihil expēdat, efficitur, ut Prophetæ, & Apoſtoli inanes ſonos fundant, & eorū ſermo inutilis, & uanus ſit.

Etenim ſi quis, vt iſti præcipiunt, quę verbis ſignificantur, non conſideret, ſed potius negligenter, & ſine examinatione verborum audiat, quæ dicūtur: relinquitur, vt Prophetæ, & Apoſtoli inanes ſonos fundant, & ſermo omnis inutilis exiſtat & vanus: & qui audiunt, nihil vtile in animos mittant, ſic enim præcipiunt, auribus quidem audire, corde verò non intelligere, neq; conſe-
,, quentiam verborum perpendere: quod Dominus mi-

natus

natus eſt, cum ait, auditu audietis, & nō intelligetis. Id-
circo quod ſcriptum eſt, verbum caro factum eſt, co-
gunt audire tantum, piè vero intelligere non permit-
tunt, quaſi penes eos ſit, trahere cuiuſq; mentem, quò
velint, vt quiſq; intelligat, vt eis videtur, nō vt deceat &
conueniat. Audiam ergo verbum, & non quæram ſen-
tentiæ conuenientiam? vbi igitur conſiſtet aut rationis
cohærentia, aut audientis vtilitas? Fortaſſe iubent, vt in
pecudes mūtentur homines, ſiquidem inanis ſonus ver-
borū aure ſentiendus eſt, nulla verò vtilitas animo per-
cipienda: non ſic Paulus, qui de his docuit, nobis præ- *Heb. 5.*
cepit, vt temerè, ac ſine ratione, & ſine diſcrimine ali-
quid acciperemus, ſed quomodo? perfectorum (inquit)
eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro conſuetudine exerci-
tatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. De *Sacras literas*
perfectione conſuluit, & exercitationem laudauit, atq; *intelligere*
vt bonum à malo diſcerneremus, monuit. Sed quem- *quórum ſit.*
admodum prauum à recto diſcernere poteſt, qui, quid
ea valeant, quæ dicuntur, non intelligit? vt enim qui *Similitudo*
ægrotat, ciborum ſuauitatem non ſentit, neq; guſtu cu- *pulcherrima.*
iuſq; ſibi ſaporem integrè dijudicat, ſic cuius ſenſus, aut
propter ignauiam, aut ſtoliditatem non ſunt exercitati,
guſtat quidem ſermones, ſed eorū poteſtatem non ſen-
tit, neq; vim ſubiectæ ſententiæ percipit: omnia verò
ſine vllo diſcrimine, tanquam beſtia, quicquid fortui-
tò oblatum eſt, ſiue noceat, ſiue vtile ſit, aſſumit. Qui
ne inter animalia quidem munda numerari poteſt, vt *Qui ſacras li-*
qui non ruminet, neq; manſum cibū rationalem in ho- *teras intelli-*
minem interiorem dimittat, imò potius neq; diuiſum, *gere nolunt,*
neq; modificatum, cuius vitæ mala concoctio nocere *animalibus*
magis, quàm prodeſſe poteſt. Ecquis ignorat quem- *mundis ſimiles ſiat oportet.*

,, admodum qui ad cœnam à potente inuitatus eſt, huic
,, lex diuina iubeat, vt quæ appoſita ſunt, ratione ſpiri-
Eccleſiaſt. 1. ,, tuali conſideret? Sic etiam non oportet inanes verbo-
,, rum ſonos rapere, ſed illud potius accuratè, & ſtudioſè
Sacras literas legentibus quæ ſint conſideranda. contemplari, quod eſt decorum Deo, quod vtile no-
bis, quod cum lege cōſentiens, quod naturæ cōueniens,
,, quod veræ fidei, quod firmæ ſpei, quod charitatis inte-
,, græ ac caſtæ, quod ab infamia alienum, quod ab inui-
,, dia liberum, & quod gratia dignum. Quæ omnia
,, cum pijs cogitationibus conueniunt, & ſociata ſunt, vt
,, in eo probatum oſtenſumq́; eſt, quod ſcriptura ait: Et
Ioan. 1. verbum caro factum eſt. Deniq; vt ſummatim dicam,
,, qui verba auditu percipit, ſed quid valeant, non intelli-
,, git: quomodo intelliget, quæ inter ſe primo aſpectu pu-
,, gnare videntur? quomodo quæſtiones aptè explicabit?
,, quomodo ad eas reſpondebit? quomodo ſeruabit, quod
,, ſcriptum eſt, vt ſciamus, quomodo vnicuiq; reſpondere
Coloſſ. 4. oporteat? hactenus Athanaſius. Rectè ergo diſputa-
Tract. 45. in Ioan. tionem cum Auguſtino claudimus, dicentes, ſcriptura-
Hæretici habent literas ſcripturarum, non ſenſum. rum literas apud Iudæos, & hæreticos reperiri poſſe: ea-
rum verò ſenſum, & intelligentiam in ſola CHRISTI
Eccleſia locum habere, & mirum non eſſe, quod hære-
tici ſcripturas, vt iam docuimus, deprauent & corrum-
pant, quando, vt diligenter animaduerſum eſt à Tertul-
De præſcript. aduerſ. hæret. liano, vbi diuerſitas doctrinæ eſt, illic adulteratio ſcri-
pturarum perpetuò deprehenditur.

Etſi daretur hæreticis quod ſcripturā habeant, quod falſum eſt, non tamen inde ſequitur, doctrinam puram apud eos eſſe. Ac quamuis intelligi apertè ex ijs, quæ diximus,
poteſt, apud eos qui ſe CHRISTI Euangelium
docere glorientur, veram & puram doctrinam non
eſſe: quo tamen facilius ac planius id perſpiciatur, non
grauabimur

grauabimur ea de re paulò fuſius diſſerere. Atq; illud inprimis conſtanter aſſeueramus, licet hæreticis cōcedatur, quòd ſcripta ſancta habeant, id quod falſum eſſe palàm demonſtrauimus; tamen ex eo non efficitur, vt fateri conueniat, apud hæreticos puram, & ab omni falſitatis labe integram doctrinam reperiri poſſe. Nam, vt res diligentius expendatur, non eſt verum, quòd iſti tanto ſtudio, & contentione tuentur, eam duntaxat doctrinam puram eſſe, quæ cœleſtibus literis contineatur. Siquidem ſanctæ literæ declarant, neq; CHRISTVM, neq; Apoſtolos omnia, quæ ad pietatē pertinerent, ſcriptis cōprehendiſſe. Qui verò contrà ſentiunt, ij reſpondeant mihi, velim, vbi nam in ſanctis literis ſcriptum conſtet, omnia, quæ ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria ſunt, ſcripſiſſe? Aut quo in loco ſanctorum librorum legerunt, CHRISTVM, Apoſtoloſùe ipſius dixiſſe, nihil à Chriſtianis recipi debere, niſi id, quod literarum cœleſtium monimentis conſignatum eſſet? Apoſtolus enim ſe ſolo viuæ vocis oraculo nō pauca Dei Eccleſiæ myſteria tradidiſſe teſtatur, cùm ait: Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, &, ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Et in eadem Epiſtola: Ego enim (inquit) accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus: & quæ ſequuntur. Quæ verba non obſcurè indicant, ea, quæ ad Euchariſtiæ Sacramentum pertinent, ſine vllo ſcripto Corinthijs tradita ab Apoſtolo fuiſſe: & paulò poſt ea de re loquens, ait: cætera cum venero diſponā. Quæ verba explanans Auguſtinus: Hinc, inquit, ſatis intelligitur, quia multum erat, vt in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret,

Non eſt verū, quòd pura doctrina in libris ſacris tantùm contineatur.

Nuſquā Chriſtus, aut Apoſtoli iuſſerunt, vt nihil ſeruaretur, quod ſcriptum non eſſet.

1 Cor. 11

Quæ ad Euchariſtiæ Sacramentū ſpectant, ſola viua voce tradidit Apoſtolus.

 ſinuaret,

ſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate variat. Quinetiam Theſſalonicenſes ijs verbis alloquitur: Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram. Et Theophilactus, qui ea verba enarrat, hinc ſanè perſpicuum eſt, ait, pleraq; Paulum ſine ſcriptis, ſermone duntaxat, hoc eſt, viua voce, non Epiſtolis ſolùm his tradidiſſe: non enim ſecus illa, atque hæc fide ſunt digna. Itaque & Eccleſiæ traditionem dignam exiſtimemus, cui præſtanda ſit fides, vt ſi quid ab ea ſit traditum, nihil vltra perquiras. Iam ex his Pauli teſtimonijs facilè perſpici poteſt, eum non omnia, quæ docuit, literis mandaſſe. Quid Petrus Apoſtolorum princeps, qui poſteaquàm CHRISTVS in cœlum ad patrem ſe recepit, in Eccleſia ánnos triginta ſeptem ferè integros commoratus eſt? Quid rogo abſcriptum conſtat, præter duas Epiſtolas, eaſq; admodum breues? At quis tam fuerit mentis expers, vt non putet eum, qui tam coniunctè cum CHRISTO vixit, quiq; ad ea omnia, quæ ille vel geſsit, vel docuit, tam familiariter admiſſus eſt, multo plura dogmata Chriſtianis tradidiſſe, quàm ea ſint, quæ eius Epiſtolis continentur? Quid Iacobus, & Iudas? An hi quicq̃ præter vnicam vterque Epiſtolam poſteris reliquerunt? Quid de cæteris dixeris? Si eos excipias, qui Euangelia ſcripſerunt, ne verbũ quidem ab eis mandatũ fuiſſe literis reperias. Cui tamen, pius modò is ſit, & de noſtra religione benè ſentiat, dubiũ eſſe poteſt, quin ſinguli in ea prouincia, q̃ eis ſorte decreta fuit, pulcherrimas, & maximè ſalutares præceptiones Dei populo propoſue-

2. Theſſalo. 2.

Theoph. in 2. Theſſ. 2.

Si quid ab Eccleſia traditur, nihil vltrà requirendum.

Credendum eſt Apoſtolos multo plura Eccleſiæ tradidiſſe, quàm ſcripta reliquerunt.

propoſuerint? Quamobrē D. Iohannes, cùm iam Euā- ,,
gelij hiſtoriā clauderet, dixit, nō omnia, q̄ à Ieſu vel di- ,,
cta, vel facta fuiſſent, literis prodita eſſe: Sunt, inquit, & *Ioan. 21.*
alia multa, quę fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, ,,
nec ipſum arbitror mundū capere poſſe eos, qui ſcribē- ,,
di ſunt, libros. Ac nemo ſanè eſt tam Apoſtolis, & pa- *Apoſtoli omnia ſcripſiſsēt, ſi præter id, quod ſcriptum eſt, nihil ſeruari uoluiſsēt.*
tribus iniquus, vt ſi oīa ſcribi debuiſſent, quòd iſti tam
seriò contendunt, eos tam negligentes eſſe potuiſſe pu-
tet, vt quæcunq; ad doctrinā Chriſti pertinerent, ſum-
ma ea fide, & ſtudio æternis literarum monimentis non
conſignarent. Sed primùm quidem Apoſtoli intel-
lexerunt, ſibi magiſtri exemplū eſſe ſequendū, qui nihil
literis prodidiſſet, ſed viua omnia voce tradidiſſet, nec
eos ad ſcribendum, ſed ad prædicandum Euangelium
miſiſſet. Quare ita prædicationem verbi inſtitue- *Apoſtoli maluerunt pectoribus, quàm chartis doctrinam Chriſti credere.*
runt, vt pleraque auditorum pectoribus, & ijs potiſſi-
mū, quos ipſi ad Eccleſiæ gubernacula vocarunt, com-
mendarent. Itaque Paulus ad Timotheum ſcribens: *2. Tim. 2.*
Quæ audiuiſti, inquit, à me, per multos teſtes, hęc com- ,,
menda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios ,,
docere. Quæ audiuiſti, non quæ ego ſcripſi, dixit. Et ,,
hæc commenda, ait, non manda literis & conſcribe. ,,
Iohannes quoque Euangeliſta ad Electam, & eius libe- ,,
ros: Plura, inquit, habēs vobis ſcribere, nolui per chartā *2. Io. & 3.*
& atramētum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ,,
ad os loqui, vt gaudium veſtrum plenum ſit. Et idem: ,,
Multa habeo tibi ſcribere, ſed nolui per atramentum & ,,
calamum ſcribere tibi. Spero autem protinus te vi- ,,
dere, & os ad os loquemur. Deinde verò reliqui doctri- *Qui Apoſtolis ſucceſſerunt, idem inſtitutum ſecuti ſunt.*
na, & ſanctitate excellentes viri, quos Apoſtoli regen-
dis Eccleſijs præfecerunt, eorum veſtigijs inſiſtentes,

etſi multa religionis noſtræ myſteria ſcriptis comprehenderunt, ad retundendam eorum inſaniam, qui veræ fidei aduerſabantur, tamen complura eorum animis commiſerunt, quos dignos eſſe viderunt, quibus Dei Eccleſia crederetur. Probè nimirum habuerunt perſpectum tum Apoſtoli ipſi, tum ij etiam, qui eorum loca tenuerunt, multo firmius, & ſolidius hærere, quæ cordibus, & animis fidelium imprimuntur, quàm quæ *Hier. 31. Heb. 8.* membranis, aut tabulis exarentur. Nec illud eos latuit, prædictum multis antè ſæculis à ſpiritu ſancto fuiſſe, legem Euangelij, non literis, ſed pectoribus hominum impreſſum iri. Ex quo factum eſt, vt pleręque omnes Barbaræ nationes, ſine vllo ſcripturæ beneficio, ſed ſola auditione eorum quæ proferebantur, CHRISTI fidem, & religionem ſuſceperint, cœleſtibuſq; myſterijs inſtructæ fuerint, ſicuti Irenæus, & *Lib. 3. ca. 12. Strom. lib. 1.* Clemens Alexandrinus prudentiſsimè annotarũt. Atque etiam Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, qui *Greg. Nyſſ. in lib. de eius vita.* Origenis diſcipulus, & auditor fuit, cõplures nationes ac gentes, quæ ſimulachra antea coluerant, non literis, ſed ore, & voce viua ad CHRISTI fidem cultumq; perduxit, vt de eo Baſilius magnus, & eius frater Gre- *Lib. de ſpiritu ſancto. ca. 27.* gorius memoriæ prodiderunt. Ac ſi quis rem ſecum diligenter conſideret, is profectò intelliget, Deum multò purius, & caſtius ab ijs coli, qui eius præcepta in animo inſculpta, atque infixa habent, quàm ab illis coleretur, qui omnia ſcripta haberent, quæ ad religionem noſtram pertinent: quandoquidem illud certum eſt, literam occidere, niſi adſit ſpiritus gratiæ, quæ, vt Ambroſius inquit, neſcit tarda molimina, & ſine vllo ſcripto, ſolo inſtinctu & afflatu docere

Purius colitur Deus ab ijs, qui eius præcepta in animo impreſſa habent, quàm qui ea ſcripta tenent.

cere mortales poteſt, & eis ad præcepta adimplenda robur, & vires ſuppeditare, ſicut conſtat ab ea ſic factum fuiſſe plus quàm bis mille annorum ſpacio, quod tempus inter primum hominem conditum, & Moſen interceſsit, qui primus omnium mortalium literas inueniſſe, & earum vſum poſteris tradidiſſe dicitur ab Euſebio Cæſarienſi, qui id etiam confirmat eorum teſtimonio, qui à religione noſtra alieni fuerunt. Nemo enim vnquam ita egregiè inſanus fuerit, vt dubitet, quin Adam, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & reliqui ſancti patriarchæ ſalutem ſempiternam adepti ſint, ad quos ſine vllis ſcriptis Deus locutus eſt, ſuaſque præceptiones in eorum cordibus, quæ munda reperit, & ab omni labe peccati integra, infixit. Ac ne ſequentibus quidem ſæculis, ſicuti ſapienter Diuus Chryſoſtomus animaduertit, literis Deus voluntatem ſuam teſtatam feciſſet, niſi Iudæi ab ea vitæ integritate, & caſtimonia, quæ in maioribus ipſorum mirifica fuit, degeneraſſent. Et quod magis mirum videbitur noui iſtius Euangelij profeſſoribus, ſicut CHRISTVS Apoſtolis nihil ſcriptum reliquit, ſed ſpiritum ſanctum ſe illis impertiturum recepit, à quo diſcerent omnia. Ita neque in poſterum quicquam in literas referri permiſiſſet, niſi palàm vidiſſet, eam admonitionem, quæ ſcriptis continetur, aliqua ex parte neceſſariam idcirco Eccleſiæ fore, quòd non eſſent defuturi homines, qui non ſolùm ſanctam Apoſtolorũ vitam, & mores non imitarentur, ſed nouos etiam errores cõfingerent, & improbè ac flagitioſè viuerent.

Plus quàm bis mille annos Deus homines ſine literis docuit.

Lib. 9. cap. 4. & lib. 10. cap. 3. præparationis Euangelicæ.

In proœm. Comment. in Math.

Scripturis cur erga Iudæos vſus ſit Deus.

Verum enimuero nõ ſcripturę ſacrę ſolũ autoritate,

Patrum teſtimonijs, & Eccleſiæ conſuetudine, & authoritate probari, non omnes Chriſtianæ doctrinæ partes literis cōprehenſas eſſe.

ſed ſanctorum etiam patrum teſtimonijs, more, ac conſuetudine Maiorum, conſenſu totius Eccleſiæ, rationibus deniq; varijs confirmari poteſt, non omnia, quæ ſeruanda ſunt ijs, quibus cœleſte regnum aſſequi curæ eſt, diuinis literis explicata fuiſſe, ſed complures religionis Chriſtianæ partes, eaſq; maximè ad ſalutem neceſſarias fidelium pectoribus ab Apoſtolis, & eorū ſectatoribus commendatas eſſe. Ac quo res dilucidior fiat, producemus patrum ſententias, quæ noſtrum, hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ dogma mirificè confirmant.

Ignatius. *Hiſt. Eccleſ.*

Diuus Ignatius, Iohannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ diſcipulus, vt de eo ab Euſebio ſcriptum legimus, eo maximè teſtatus eſt, nō omnia ab Apoſtolis ſcripta fuiſſe, quòd omnes Aſiæ populos, vt Apoſtolicis traditionibus obedirent, & ſe earum præſidio contra hæreſes armaret, hortatus ſit, & eas literarum monimentis comprehenderit.

Clemēs Pont. Max. *In epiſtolis, & compendio olo.*

Clemens diſcipulus Petri, cui ipſe Romanam Eccleſiam regendam tradidit, multa ſe ab Apoſtolis accepiſſe teſtatur, de quibus in ſcriptis Euangelicis & Apoſtolicis nihil apertè dictum legitur.

Polycarpus. *Irenæus lib. 3. cap. 3.*

Polycarpus eiuſdem Diui Iohannis auditor, Smyrnenſis Epiſcopus, & Dei martyr glorioſus, cum Romam veniſſet, expoſitis traditionibus, quas ab Apoſtolis ipſe accepiſſet, eos qui Cerinthi, Baſilidis, & aliorum errores ſequebantur, ad veritatis agnitionem, & veram Dei pietatem conuertit.

Dionyſius Areopag. Cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia.

Dionyſius ille Areopagita, qui diſcipulus præceptore Paulo dignus fuit, & Lutetiæ Pariſiorū Chriſti doctrinā ſanguine ſuo conſecrauit, de eodē ſcribēs argumēto: Quocirca, inq̄t, primi illi hierarchię noſtrę Duces, ac principes, cū & ipſi à diuina bonitate plenè, cumulateq; ſanctū hoc munus accepiſſent,

&à di-

& à diuina benignitate eius apud poſteros propagandi, „
prorogandiq́; cauſa miſsi eſſent, iidemq́; valde, vt diui- „
ni, poſteros ad cœleſtia, & diuinitatis ſimilitudinem „
traducere cuperent: ſignis, quæ ſub ſenſum cadunt, cœ- „
leſtia, varietateq́; ac multitudine, id quod coniunctum, „
connexumq́; erat, & humanis diuinas res, quæque ma- „
teria carent, iis, quæ ex materia conſtant, ac noſtris eas, „
quæ eſſentia ſuperiores ſunt, partim ſcriptis, partim „
non ſcriptis ſuis inſtitutionibus ex ſacroſanctis legibus „
nobis tradiderunt. Irenæus, Polycarpi ſectator, & Ec- *Irenæus.*
cleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, qui glorioſum prò
Chriſto Martyriũ pertulit, de traditionibus ita ſcribit: „ *Lib. 3. cap. 3.*
Traditionem itaq; Apoſtolorum in toto mundo ma- „
nifeſtatã in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera „
velint audire, & habemus annumerare, q ab Apoſtolis „
inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorũ „
vſq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerũt, „
quale ab iis deliratur. Ac ne Brentius aliquis dicat, ea *Reſpondetur Brentij obiectioni.*
Irenæi verba de ſcripturæ traditione, non de ea, quæ vi-
ua voce fit, accipi debere, attendat, quòd Irenæus re-
cenſens Epiſcopos ab Apoſtolis inſtitutos, & eorũ ſuc-
ceſſores, nõ dixit, nihil tale ſcripſerunt, ſed nihil tale do-
cuerũt. Deinde expendenda ſunt, q̃ poſtea ſubiicit, cùm
oẽs adhortatur, vt ad Eccleſiã redeant, hæc enim, inqt, „
eſt vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt & la- „
trones, propter quod oportet deuitare quidẽ illos, quæ „
aũt ſunt Eccleſiæ, cũ magna diligẽtia diligere, & appre- „
hẽdere veritatis traditionẽ. Quid.n. etſi q de aliqua mo- „
dica q̃ſtione diſceptatio eſſet, nónne oporteret in anti- „
q̃ſsimas recurrere Eccleſias, in q̃b. Apoſtoli cõuerſati „
ſunt, & ab eis de p̃ſenti q̃ſtione ſumere, quod certũ, & re „
liquidum

Irenæus, qui uelint ſcire quæ ſit uera doctrina, eos nõ ad ſcripturas, ſed ad Eccleſiam remittit.

2. Pet. ult.

liquidũ eſt. Intelligat ex iis Brentius, vnde velit Irenæus earum rerum quæ controuertantur, explanatione peti. Ab antiquiſſimis videlicet Eccleſiis, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, non reiicit nos ad ſcripturas. Non quòd eas legendas eſſe neget, ſed quia ex Petri teſtimonio didicit, cõplura eſſe in ſcripturis, quæ ad intelligendum difficilia ſint, & ab indoctis, & inſtabilibus hominibus deprauari, atque in alienos ſenſus torqueri ſoleant. Egeſippus aũt ſcriptor inprimis clarus, qui ad ſæculũ Apoſtolorũ quàm proximè acceſsit, & Adriano imperante floruit, vt Euſebii verba vſurpem, quinq; cõmentariis ſyncerã Apoſtolicæ prędicationis traditionẽ ſimpliciſsima hiſtoriæ ſtructura commentatus eſt. Iam verò eos, quos nominaui, patres, proximè ſequitur Clemẽs Alexãdrinus, Pantęni martyris diſcipulus, & magni illius Origenis præceptor, qui de doctrina religionis noſtræ loquens: Eſt autẽ (inquit) duplex agricultura, vna quidem, quæ ſcriptis non cõtinetur: altera verò, quæ continetur. Ac ſtatim affirmat, qui in vinea Domini bonus operarius haberi velit, neceſsũ eſſe, vt ſeſe vtriq; agriculturæ parti omnino addicat. Vtrouis, ait, modo Domini operarius præclarum frumentũ ſeminauerit, & ſpicas auxerit, & meſſuerit, verè diuinus apparebit agricola. Atq; in eodẽ opere eam Chriſtianę religionis partem, quæ ſcripta nõ eſt, vocat traditiones occultas, & glorioſam, ac venerandã traditionis regulam. Et, vt narrat Euſebius, ſcripturus Clemẽs eximiũ illud, & præclarum ſtromatum volumen, quod vtinam integrũ etiam nunc extaret, ea ſe literis cõprehendere velle præfatur, quæ cùm ab aliis doctrina, & ſanctitate illuſtribus viris, tum præſertim à Pantæno martyre, qui

Lib. 4. Eccleſiaſt. hiſt. ca. 8.

Egeſippus Apoſtolicæ prædicationis traditionem quinq; libris cõplexus eſt.

Clemens Alexandrinus.

Strom. lib. 1.

Duplex fidei agricultura.

Diuinus agricola quis.

Lib. 5. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 11.

Indis Euangeliũ prædicauit,accepiſſet. Eius verba hæc „
ſunt: Sed qui veram quidem beatæ doctrinæ ſeruabant *Strom. lib. 1.*
traditionẽ,ſtatim à Petro & Iacobo, & Iohãne & Pau- *Patres apud*
lo,ſanctis Apoſtolis,filius à patre accipiẽs (pauci aũt ſũt *filios depoſuiſſ*
patribus ſimiles)ad nos quoq; Deo volẽte peruenerũt, *ſemina Apo*
illa à Maioribus data, & Apoſtolica depoſituri ſemina. „ *ſtolica.*
Quin etiam in hiſtoria eiuſdem Euſebij, Clemens is, de *Lib. 6. hiſt.*
quo loquor, dicitur Pantæni martyris exceptiones & *Eccleſiaſt.*
traditiones in libro hypotipoſeon expoſuiſſe: & ipſe fa- *cap. 13.*
tetur extorqueri ſibi ab amicis, vt traditiones, quas ab
antiquis presbyteris auditu perceperat, literis, & poſte-
ritati propagaret. Hæc de Clemente, qui ſe temporibus
Apoſtolorũ vicinũ fuiſſe, & ętate Seueri, q Romanorũ
Imperio potitus eſt, vixiſſe demonſtrat. Hos nõ multis
poſt annis ſecutus eſt Origenes, qui non tantũ teſtatur *Origenes.*
multa eſſe, quæ Eccleſia CHRISTI citra vllam ſcri-
pturam amplectatur, ſed Clementem etiã præcepto-
rem imitatus, de traditionibus ita ſcribit: Sed in Eccle- „
ſiaſticis obſeruationibus,ſunt nõnulla, quæ omnibus fa- „
cere neceſſe eſt, nec tamẽ ratio eorum omnibus patet. „
Namq;, verbi gratia, genua flectimus orantes, & quod „
ex omnibus cœli plagis ad ſolam orientis partem con- *Hom. 5. in lib. Num.*
uerſi fundimus orationem, non facilè cuiq; eſſe puto ra- „
tione compertum. Sed & Euchariſtię, ſeu percipiendę, „
ſeu quo ritu geritur, explicandæ, vel eorũ quę geruntur *Multa ſunt in*
in baptiſmo, verborũ, geſtorumq; & ordinũ, atq; inter- *religione noſtra, quorum*
rogationũ, & reſponſionũ quis facilè explicet rationẽ? *ratio non omnibus patet.*
Et tamen hęc oĩa operta licet, & velata portamus ſuper „
humeros, cum ita implemus ea, & exequimur, vt à ma- „
gno Pontifice Chriſto, & à filijs eius tradita, & cõmen- „
data ſuſcepim⁹. Hæc Origenes. Ex quib. facilè cogno- „
ſcitur,

" " ſcitur, quis author ſit earum traditionum, quas Eccleſia ſeruat, & veneratur. Magnus ſcilicet Pontifex Chriſtus, qui eas nobis per Apoſtolos, quos meritò Origenes Chriſti filios appellat, tradidit. Qui ergo traditiones reijcit, & commenta, ac mandata hominum vocat, ſciat ſe non in Eccleſiam ſolùm, ſed in magnum Pontificem Christũ, à quo inſtitutæ illæ ſunt, peccare. Hyppolitus Epiſcopus, & Martyr, qui in ſex dierum opus cõmentarios elaboraſſe dicitur, quæ de antichriſti aduentu, vita, rebus gerendis, & interitu ſcribit, eà magna ex parte ſe ex arcana traditione didiciſſe teſtatur. Legat qui volet pulcherrimam illam orationem, quam is de antichriſto compoſuit, agnoſcet eum traditioni potiùs, quàm ſcripturæ addictum fuiſſe. Gregorius Neocæſarienſis, qui, vt paulò ante dixi, ex Origenis ſchola prodijt, & Phirmilianus, ac Meletius, viri ſancti ac celebres quanti fecerint cùm alias traditiones, tum eam, quæ ſpiritum ſanctum eadem, qua pater, & filius gloria afficiuntur, colendum eſſe docet, declarat Diuus Baſilius in eo opere, quod inſcripſit de ſpiritu ſancto. Iuſtinus Philoſophus, & Martyr, qui Antonini, & Comodi ſeculo claruit, multa etiam, & ea potiſsimum, quæ ad Euchariſtiam pertinent, ſine ſcripto vllo à Chriſtianis ſeruata fuiſſe ſcribit. Tertullianus grauis author, & peruetuſtus, qui Origenis æqualis fuit, quantum præſidij in ijs dogmatibus, quæ Eccleſia abſq; literarum monumentis amplectitur, ponendum putet, in pulcherrimo illo volumine demõſtrat, quod de quodam milite ſcripſit, qui idcirco Martyrio coronatus eſt, quòd lauream nõ in capite aliorum militum more, ſed in manu geſtaret, cum vnà cum cæteris militibus in publicum prodijſſet

Author traditionũ quis ſit.

Qui eam doctrinæ partem reijcit, quæ ſcripta nõ eſt, in quẽ peccet.

Hyppolitus. In ſerm. de Antichriſto.

Gregorius Neocæſarienſis.

Cap. 29.

Iuſtinus. In Apologia.

Tertullianus.

Hic liber inſcribitur de corona militis.

diјſſet donatiuum, quod Tribunus iuſſu Cæſarum Septimij Seueri, & Antonini Caracallæ ſingulis ex ordine vocatis erogaret, accepturus. Ac in eodem opere Tertullianus complura cõmemorat, quæ religio Chriſtiana, & ſoli maiorum traditioni accepta fert, & ſingulari reuerentia et veneratione proſequitur. Qualia ſunt illa verba, quibus antiſtes eum inſtruit, qui ad aquam adit, & diabolo, & pompæ, atq; angelis eius ſe nuntium remittere ſignificat. Et quod à quotidiano lauacro per hebdomadam abſtinent, qui recens abluti baptiſmo ſunt, & quæ ad Euchariſtiam ſpectant, & oblationes, quæ pro defunctis adhibentur. Quæ omnia, ac cõplura alia, cùm enumeraſſet, Harum, inquit, & aliarũ huiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur authrix, cõſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium. Hæc & longè complura Tertullianus, qui in eo cum Origene videtur cõcordare, vt alia nũc omittam, quod nonnulla in Eccleſia obſeruentur, quorum apertè ratio non facilè pernoſcatur. Et in eo libro, quo viam præmunit ijs, qui hæreticos profligare, eorumq; errores extirpare velint, quid Apoſtoli docuerint, non aliunde diſcendum eſſe tradit, quàm ex ore earum Eccleſiarum, quas illi fidei præceptis fundarunt, quicquid cũ ea doctrina, quam hæ amplectantur, non conſpiret, id pro mendacio haberi debere. Porrò autem Cyprianus Carthaginis Epiſcopus, et inclytus Dei martyr, nõ minore obtinere authoritatẽ ſcribit, q̃ Apoſtoli Spiritus

Aurea Tertulliani uerba.

Tertullianus in lib. de præſcript. aduerſ. hæreticos, ueram doctrinã unde cognoſcẽdã affirmet.

Cyprianus.

c ſancti

Diuina Cypriani ſententia, & memoriæ altè infigenda.

ſancti numine afflati tradiderũt,q̃; ea,q̃ à Chriſto inſtituta fuiſſe cõſtat. Nã de ablutione pedũ verba faciens, Ipſe,inqt,ſũmus ſacerdos ſui eſt ſacramẽti inſtitutor & „ author. In cæteris hoĩes ſpiritũ Sanctũ habuere docto„ rem:& ſicut par eſt Spiritui ſãcto,et Chriſto diuinitas: „ ita in ſuis inſtitutis æqua eſt authoritas,& poteſtas: nec „ minus ratũ eſt,quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli „ tradiderũt,q̃ quod ipſe tradidit,& in ſui cõmemoratio„ nem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas,& „ vniformis in ſuo genere ſtat actio oim, nihil addi, nihil „ ſubtrahi,nihil corrigi poteſt, vel mutari. Iam rogo, vt hæc diligenter expendas. Ex Origenis oratione noſti traditionũ,q̃ in Eccleſia Chriſti locũ debitũ obtinent, authorẽ eſſe magnũ illũ Pontificem Chriſtũ: nunc ex Cypriani ſermone perſpicis, eas ex Spiritus ſancti inſtinctu,& nobis per Apoſtolos ab eo tradi,& quæ Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt ſine vlla ſcriptura, æquè ſacroſancta eſſe debere,atq; ea habeantur,quæ literarum monimentis conſignata ſunt,vt non magis in ijs, quàm in illis quicquam addere,ſubtrahere,corrigere vel mutare fas ſit. Efficitur ergo ex hoc Cypriani teſtimonio, vt qui nunc eam doctrinæ partem,quæ ſcripta non eſt, contemnunt,ij Spiritum ſanctũ,à quo illa inſtituta fuit, contemnant, ac proinde grauiter in eum delinquant. Atqui quos peccare in filiũ,& Spiritũ ſanctũ cõſtat,cui dubiũ eſt, eos quoq; in patrẽ, cui eadẽ cũ illis maieſtas, & honor cõmunis eſt, peccare? Iã verò diuus Epiphanius, in magno illo opere, quod aduerſus hæreſes ferè oẽs cõſcripſit,nõ ſcripturæ magis,q̃ traditionis vi,& authoritate de mendaciorũ magiſtris victoriã reportat. Is

Traditiones inſtinctu Spiritus ſancti Apoſtoli tradiderũt,nec minus ſacroſanctæ eſſe debent, q̃ ea quæ ſcripta ſunt.

Qui contemnunt traditiones, Spiritum ſanctum contemnunt.

Contra hæreſes.lib.2.to.1. hæreſ. 61.

Is ergo contra eos, qui ſe Apoſtolicos nuncuparunt, in hæc verba ſcribit: Oportet traditione vti, non enim omnia è ſcriptura accipi poſſunt, quia aliqua ſacris ſcripturis, aliqua traditione nobis ſancti Apoſtoli commendarunt. Ac rurſus idem ille Epiphanius, Scripturæ, inquit, traditione indigent & ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſq; argumenti vim & facultatem: quare oportet Traditione vti.

AD CHRISTIANVM LECTOREM.

Reliquorum librorum, quos quidem duos Author adiungere ſtatuit, hoc loco Argumenta ponemus, ne quid te Lector celemus.

Tertius igitur declarabit, noſtri temporis hæreticorum doctrinam, naturæ, ſcripturæ, & diſciplinæ morum repugnare: noſtram verò doctrinam cum natura, ſcriptura, & diſciplina maximè conſentire, atq; ab iis fontibus profluxiſſe.

Quartus demum liber oſtendet, quæ ſit uera Chriſti Eccleſia, & quibus ſignis pernoſcatur, declaratq; eam in ijs, quæ ad fidei doctrinam pertinent, errare non poſſe, atq; eius matrem & magiſtram Eccleſiam Romanam eſſe, & ipſius Pontificem ſummum Chriſti uicarium, & orbis Chriſtiani paſtorem exiſtere. Quod ſupereſt, hæc ipſa quæ nunc damus, ut æqui boniq; conſulas, te bone Lector etiam atq; etiam rogamus. Vale & uiue in Chriſto fœlix.

INDEX EORVM, QVAE HIS DVOBVS LIBRIS PRÆCIPVE CONTINENTVR, IN ALPHABETI ORDINEM REDACTVS.

A.

APocrypha quæ dicantur. 90.a.
Apoſtolici qui dicti. 79.b.
Apoſtoli ſine ſcripto multa Eccleſiæ tradiderunt. 146.147
Apoſtolorum hæredes non ſunt hæretici. 101.b
Apollinaris Syrus in errores lapſus. 57.a
Apoſtoli Epiſcopos inſtituerunt cum poteſtate alios etiã inſtituendi. 102.b.& deinceps.
Apoſtolorum hæredes quomodo uerè cognoſcantur. 104.b
Auguſtini laus. 55.b
Authoris in ſcribendo conſilium & ordo. 19.a
Alberti ducis Bauariæ laus. 116.a

B.

BAſilij magni cõmendatio. 43.b
Bibliorum loca ab hæreticis perperam explicata. 140.141
Bibliorum loca ab hæreticis interpretibus deprauata. 134.135 & in nouo Teſtamẽto. 137.138
Biblia quo conſilio & qua fide uerterit Lutherus. 131.132

C.

CAnon ſcripturæ à quibus olim non receptus. 126.127 & à quibus modò non recipiatur. 128.129
Carnales ab Eccleſia ad hæreſes facilè deficiunt. 8.b.22.b
Catholicorum Scriptores nunc eximij numerantur. 18.a
Catholicus uerè germanus qs. 67.a
Catholicorum contra Sectas ſcribentium nomina. 83.a
Catholicum pectus quomodo confirmandum in Religione. 68.69
Charitas ab hæreticis aliena. 28.a
Chriſtiani nõ oẽs ſpirituales. 61.b
Chr̃s ubi cubet & paſcat ſuos 72.b
Chriſtus quantam Apoſtolis poteſtatẽ dederit, eorumq; ſucceſſoribus. 110.b
Confeſsiones apud hæreticos uariæ. 29.b

D.

De⁹ cur ſinat hæreticos errare. 54.
Dogmata noua dij alieni. 69.b
Donatiſtarũ error de Eccleſia. 1.a
Depoſitũ quid uocet Aplus. 123.b
Dipſas figura hæreticorum. 142.a

E.

Eccleſiam non eſſe penes paucos, & in obſcuro. 6.a
Eccleſia apud hæreticos & Schiſmaticos non quærenda. 6.b
Eccleſiæ figura Mons. 5. Ciuitas ſuper montem ſita. 5. b. Hieroſolyma. 5.b. Paradiſus. 7.a. 22.b 61.b. Mons non expoſitus omnibus. 24.a. Nauis. 7. Lectulus Salomonis. 71.b
Eccleſia non deſerenda ob malos eius Præſides, 12.a.b. 67.b
Eccleſiæ notæ apud hæreticos uariæ. 25.b.& 85.a.b
Eccleſiam qui perſequantur. 9.b
Eccleſiam exeuntium cæcitas. 11.a
Ab Eccleſia ſeparare ſeſe, quàm ſit horrendum. 64.69
Eccleſia uas bonum, in quo depoſitum ſeruatur, & omnis operatio ſpiritus. 66.a
Eccleſiæ multa ſine ſcripto Apoſtoli tradiderunt. 147.b
Eccleſiæ laus & uirtus. 70.71.90.b
Eccleſia antiquior q̃ Scriptura, & de ſcriptura teſtificans. 89.90
Eccleſiæ iudicium præter ſcripturã neceſſariũ controuerſijs. 88.b
Eccleſiæ notas non eſſe puram doctrinam, & uſum legitimum Sacramentorum. 82.& deinceps
Eccleſiæ authoritas neceſſaria. 91.a

Ec-

Eccleſiæ & Scripturæ magna conſpiratio. 95.a
Epiſcoporum inſtitutio, dignitas & tituli. 110.111.112
Epiſcopus honorandus, non iudicandus. 15.b
Epiſcopi ab Apoſtolis inſtituti cũ poteſtate. 103.104
Epiſcopos proferre non poſſunt hæretici, à quibus habeant ſucceſsionem. 105
Electio Epiſcoporum & miniſtrorum ad quos pertineat. 112.113
Ethnici reuerentius tractarunt ſacra, quàm nunc pleriq;. 62.a
Euãgelici cur dici cœperũt. 28.29
Euangelici non habent miniſtros legitimè uocatos. 117.a
Euſebius Cæſarieñ. factus Arrianus. 56.b
Eraſmi licentia in iudicando Scripturæ Canone. 130.a
Eraſmum fauere Arrianis. 130.b
Eraſmus parens errorum huius tẽporis. 131.a
Exempla duorum Iureperitorum notanda. 69.a

F.

Ferdinandi Cæſaris laus. 116.a
Fidem primam irritam quo ſenſu dicat Paulus. 141.a
Fures quomodo hæretici & Philoſophi. 123

G.

Gnoſtici qui dicti. 75.b
Gregorij Nazianzeni laus. 44.a

H.

Hebræis non omnia legere ſacra licuit. 62.a
Hæreticorum linguæ diuiſæ. 7.b
Hæretici uolunt ut omnia damnemus, & nũc ſolis eis credam⁹. 53
Hæreticorum inconſtantia. 53.b
Hæretici pro Eccleſia nunq̃ totũ, ſed partes ſemper oſtendunt. 7.a
Hæreticorum doctrina, ſcopus & fructus. 7.b
Hæreticis omnibus commune, ut ſe uocent Eccleſiam. 2.3. & cur. 4.a. Itẽ fingere ſolẽt crimina. 37
Hæretici cur nõ agnoſcant, ac etiã oppugnẽt Eccleſiã. 9. et deinceps
Hæreticorum ambitio. 9.b.23.a
Hæreticis cur non credendum. 5.a
Hæreſes nunc plures, quàm olim unquam. 8.a
Ad hæreſes qui nunc ꝓpenſi. 16.b
Hæreſes non Deum, neq; Apoſtolos, ſed homines habent Authores. 10.b
Hæreſũ portẽta nũc inſignia. 52.b
Cur eas multi ſectentur, duplex cauſa. 11. & 12
Hæreticorum eloquentia multos fallit. 16.b
Hæretici alieni à timore Dei. 27.b à charitate. 28. à iuſtitia. 31.a à modeſtia. 22.a
Hæreticorum figura perdix. 2.a Eſau. 4.a. Iudas. 35.a. Solon. 10. lupi ouium ueſtimẽtis tecti. 4.b Protheus. 76
Hæretici, etiam ſi uera loquantur, non admittendi. 41.b
Hæretici errant, licet docti, in linguis exercitati, ac etiam in ſcripturis periti. 58
Hæreticis nihil moleſtius, quàm ordo. 62.b
Hæretici Sophiſtæ uerborum eſſe malunt, quàm diſcipuli ueritatis. 67.b
Hæreticorum libri omnino cauendi. 68.69
Hæreſes cur Deus oriri permittat. 69.70
Homerus cur à Platone pulſus è ciuitate. 55.a
Hæreſes quid profuerint Germaniæ. 70.a
Ad hæreticos adhortatio. 72.a
Hæreſes duabus uijs extinctæ hactenus. 78.b
Humaniori literaturæ nimium tribuitur. 54.b.55.a
Hæreticos non habere puram doctrinam, nec uſum legitimum Sacramentorum. 100
Hæretici ius nullum habent in ſcripturis. 121. & deinceps.
Hæretici quomodo citent ſcripturas. 142.143

Hæretici quomodo explanando deprauent ac torqueant ſcripturas. 139
Hæretici quod bene legunt, malè credunt & intelligunt. 124.125
Hebræi deplorandi magis quàm imitandi Chriſtiano. 134.b
Hebræorum libri etiam ſacri quales. 136.b
Hæretici quantum ſibi permittant & arrogent in translationibus Bibliorum. 132.133
Hęretici quomodo ſcripturas olim deprauarint. 127

I.

Iudæi quo animo Biblia transferant. 134.b
Iudæorum ſectæ quales ante Chriſtum natum. 92.b

L.

Linguarum uſus uerus non reprehendendus, ſed abuſus. 56.a
Literarum politiorum ſtudio hęretici abutuntur. 21.a
Ludimagiſtri corrumpunt in fide Germaniam. 16.17
Lutheri faſt⁹, auaritia, libido. 30.32 impudentia. 36.a.51.a. animus & ſcopus. 36.b
Lutherana ſchola ex una fide ludũ fidium fecit. 29.a. & induxit libertatẽ Philoſophicã. 30.a.54.a
Lutherani quò ſtudia cõferant ſua. 36.b.& eorũ maledicẽtia. 37.38
Lutherani non ſolùm ſcripturis tegunt uitia ſua, ſed etiam ea uocant Euangelium. 39
Ante Lutheri ætatem quanta pax Eccleſiæ. 75
Lutherus & eius doctrina qualis ab initio, & quibus gradib⁹ peruenerit ad plenam impietatem. 78.& deinceps
Lutheranorum Symbolum & nomen ab initio. 80.a
Lutherus Arrium imitatus. 80.b
Lutherus à ſuis deſertus, & hæreticus habitus. 83
Lutheri aſtus & calliditas 116.b
Lutherus lupus, fur, latro. 118
Lutheri inconſtantia. 120.a

M.

Mali doctores & paſtores Eccleſiæ audiẽdi, nõ imitãdi. 12.13.14.15
Magiſtratibus non licet conſtituere miniſtros Eccleſiæ, & præoccupare partes Epiſcoporum. 110.& 115

O.

Origenis laus. 44.b
Oſtium, per quod intrant ueri paſtores, quod. 118.a
Ouile Chriſti Eccleſia eſt. 119.a

P.

Patres à nouitate alieni & ſynceri. 50.a.
Patres ꝙ modeſti fuerint. 46.b.47
Patres quàm diligenter ad ſcripturas intelligendas ſe compoſuerunt. 42.b.& deinceps
Patrum teſtimonium pro traditionibus. 145.& deinceps
Precatio Hilarij, Auguſtini, Gregorij, Bernhardi, Thomæ, ante ſtudium. 46.a.b
Princeps conſtituere non poteſt Eccleſiæ miniſtros. 106.b
Prophetæ cur de Eccleſia apertius loquantur, ꝙ de Chriſto. 12
Ex patribus quidam etiam docti errarunt. 56.57
Pax & coniunctio animorum propria eſt Chriſtianorum. 75.b
Poteſtas quæ Apoſtolis & Epiſcopis data. 110.111
Principes non ſucceſſores Apoſtolorum, ſed Epiſcopi. 107.b
Principes olim quomodo ſe geſſerunt in miniſtris Eccleſiæ conſtituendis. 108
Principũ eſt non ſe immiſcere cauſis & poteſtati Eccleſiæ. 108.109
Populus quatenus olim elegerit Epiſcopos. 112 a
Populo uel magiſtratui relinquere poteſtatem eligendi miniſtros non expedit. 114.a.b
Populo non facile fidendum. 115.a

R.

Roffenſis Epiſcopus laudat. 34 a
Romanam Eccleſiam hęretici ſæpè confitentur. 29.a

Romani Pōtificis eſt maximè Epiſcopos eligere. 112.a
Romanæ Eccleſiæ laus. 38
In Romanæ Eccleſiæ fide acquieſcendum. 68.a
Romana Eccleſia Epiſcopos ſuos omnes ordine recenſet. 103.b
Rupertus Tuitienſis qualis. 55.b

S.

Sacramēta ſunt plus ꝙ ſigna. 99.b
Sacramentorū numerum & rationem confirmat Eccleſia. 98
Sacramenta quot ſint, ex ſcriptura intelligitur. 96.b. & quot hæretici faciant. 97.a
Sathanæ proprium, Chriſti corpus diuidere. 36.a
Sathanas qua uia introducat Atheiſmum. 3.a
Sapientiæ arcem per ſeptem gradus aſcendimus. 26.b
Spirituales in Eccleſia manent, nō carnales. 8.b.9
Scriptura ſacra cur prodita. 35.b
Scriptura reuerēt & piè legēda. 24
Scripturæ ſumma & ſcopus. 26.a
Scripturæ mōs nō oīb' obuius. 24
Scriptura ut intelligatur, ſeptem gradus adhibendi, quos negligunt hæretici. 26. & deinceps
Scripturæ quibus aperiantur. 33. & q̃ affectu tractādæ. 33.a.b. 45
Scripturæ quomodo ab hæreticis legantur. 34.b
Scriptura ꝙ piè, modeſtè & ſedulò tractanda exemplo Patrū. 47.48
Scripturas eſſe difficiles, probatur exemplis ſcripturæ. 48.a. exemplis etiam patrum. 49.a. latius autem uide 58. & deinceps.
Scriptura cur obſcura. 58.59.
Scripturæ lectionem quū permiſit omnib' primùm Eraſmus, Germania ſibi arrogat infelicit. 60.a
Scripturę lectionem uulgo permittendam eſſe, quomodo probent quidam. 62.a.b
Scripturæ expoſitio à quibus petenda. 63.b
Scriptura non continet omnia credenda. 87.b
Scriptura non eſt nota Eccleſię. 87 & deinceps
Scripturæ tranſlationem molitur Lutherus. 80.b
Scripturam agnoſcere docent patres teſtimonio Eccleſiæ. 91.92
Scripturæ libros hæretici non recipiunt in uniuerſum. 126.127
Succeſsio in Eccleſia quomodo iudicanda, & quanti facienda. 104
Synagoga ubi olim quæri debuerit. 93.a

T.

Tertullian' quomodo lapſus. 57.a
Teſtamenti ueteris libri à quibus ſeruati. 92.b
Teſtamenti utriuſꝗ ſumma. 94.b
Thomæ Aquinatis ante ſtudia precatio. 46.b
Teſtamentum nouum ubi ab hęreticis corruptum. 137.138
Tranſlationes Bibliorum nouæ quales iudicandæ. 135.136
Traditiones quomodo in ſcriptura intelligantur. 140.141
Traditiones Apoſtolorum & Eccleſiæ, ſine ſcripto etiam recipiendæ & uenerandæ, earumꝗ authoritas & utilitas. 146. & deinceps.

V.

Veritas non eſt communis Catholicis & hæreticis. 101.a
Vulgus ad ſcripturæ lectionem non admittendum, & ſoluuntur rationes aduerſariæ. 63.a.b
Vulgo noſſe quid ſit ſatis. 64.a

Laus Deo, & pax Eccleſiæ.

Digitized by Google